

# PSALMI LATINAE VULGATAE.

EORUM SONUS ET SENSUS LITERALIS.

---

EXARAVIT

Dr. **MELCHIOR MLČOCH,**

SUÆ SANCTITATIS CAPELLANUS ORNAMENT. E. U., ORDINIS S. SEPULCHRI  
HIEROSOLIM. EQUES, CÆLSSIMÆ SUÆ ARCHIEPISCOPALIS CELSITUDINIS CON-  
SILIARIUS ET CONSISTORII ASSESSOR, PROUT ET EMINENT. PRINC. EPISCOPI  
VRATISLAV. CONSILIARIUS INTIMUS IN SPIRITUALIBUS, C. R. PUBL. ORD. PRO-  
FESSOR STUDII BIBL. V. TEST. ET DIALECTORUM ORIENTALIUM IN C. R. FA-  
CULTATE THEOLOG. OLOMUCENSI.

---

CUM LICENTIA  
CELSISSIMI AC REVERENDISSIMI PRINC. ARCHIEPISCOPALIS  
ORDINARIATUS OLOMUCENSIS.

---

OLOMUCII 1898.

APUD ED. HÖLZEL, BIBLIOPOLAM OLOMUCII ET VINDOBONÆ.  
SUMPTIBUS AUCTORIS.

EXCELLENTISSIMO, REVERENDISSIMO AC CELSISSIMO  
PRINCIPI

DOMINO, DOMINO

**THEODORO KOHN,**

DEI ET S. SEDIS APOSTOLICAE GRATIA

**ARCHIEPISCOPO OLOMUCENSI,**

PRINCIPI, DUCI, REGIAE CAPELLAE BOHEMIAE COMITI,

SUAE CAESAREO-REGIAE ET APOSTOLICAE MAIESTATIS CONSILIARIO

ACTUALI INTIMO,

SS. THEOLOGIAE DOCTORI

&c., &c., &c.

ARTIUM ET SACRARUM SCIENTIARUM MUNIFICENTISSIMO

FAUTORI ET PROTECTORI

DOMINO SUO GRATIOSISSIMO

IN GRATI ANIMI DOCUMENTUM

HOC OPUS

SUMMA, QUA FERTUR, REVERENTIA ET DEVOTIONE

DEDICAT

HUMILLIMUS

AUCTOR.

## Benevolo Lectori.

In libro, qui editus est anno 1890. et titulum gerit „Psalterium“ seu „Liber Psalmorum“, exaravit devote infra-scriptus latinam versionem textus originalis hebraici Psalmorum et demonstravit argumentis exegeticis harmoniam huius versionis cum versione latinae Vulgatae, quam s. Concilium Tridentinum declaravit authenticam. —

Ex argumentis illis scientificis simul clare patet, lectionibus variantibus sensum quoad essentiam minime mutari.

In libro illo bonitas et auctoritas latinae versionis Vulgatae scientifice vindicatur simulque illustratur indoles latinae linguae vulgaris, cui addiscendae in studiis gymnasialibus non datur locus.

Hacce indole perspecta facile disparent difficultates, quas parant nonnullae voces et constructiones in exponendis etiam pericopis, quae ex Evangeliiis et Epistolis desumptae pro diebus Dominicis et Festis ab Ecclesia sacra destinantur. — Adducuntur etiam regulae, quibus rite observatis genuinus sensus literalis locorum alias perdifficilium clare patet. —

Utique exigit versionis latinae e textu hebraico adornatae — comparatio cum latina versione Vulgata, — dein pensatio argumentorum exegeticorum, — nec non memoratio et applicatio regularum adductarum ex parte lectoris certum temporis spatium nec non congruam virium intentionem.

Ast permultis, qui sunt in maioribus ordinibus constituti, multa et varia incumbunt officia, quibus animus eorum distrahitur et valde defatigatur. Hi utique stante optima voluntate non possunt navare operam necessariam comparationi duarum versionum, argumentis scientificis, et regulis in isto libro adductis, ut sacrum officium quotidie persolventes etiam perspiciant genuinum sensum literalem singularum sententiarum, quas labiis devote proferunt.

Talibus utique exoptatum esset opus, in quo ad latus cuiusque psalmi latinae Vulgatae exhiberetur lætum resultatum laboris defatigantis — genuinus sensus literalis cuiusvis versus sermone latino classico intelligibiliter expressus.



Ast etiam iis, qui cum lætitia studiis sacris vacare possunt, non minus gratum esset opus, cum quo resultatum sui laboris comparare possent.

Insuper sunt versiones Psalmorum secundum latinam Vulgatam in linguis vulgaribus hucusque exaratae, non sat intelligibiles ob defectum operis, in quo genuinus sensus literalis singularum sententiarum totius Psalterii latino classicorum sermone — sine paraphrasi — intelligibiliter exhiberetur. Stante tali libro facili opera transferri posset sensus iste sermone latino expressus in quamcumque aliam linguam et acquireretur intelligibilis versio Psalmorum latinæ Vulgatæ in hac vel illa fidelium lingua.

Et hoc, quod est in votis omnium, qui sunt bonæ voluntatis, præstat præsens liber, ut benevolus lector sibi facile persuadebit. Inveniet in eo sine omni defatigatione genuinum sensum literalem — illam animam ss. psalmorum, qui sunt eloquia Spiritus sancti, — istius Spiritus, qui est dator munerum, dulcis hospes animæ, lumen cordium, consolator optimus, sine cuius numine nihil est in homine.

Olomucii, die 23. Martii 1897.

**Auctor.**

## P R A E F A T I O.

§ 1. Lingua psalmorum originaria est lingua hebraica. Ex textu originali adornata est sæculo III. ante Christi nativitatem versio sacræ scripturæ graeca, dicta Alexandrina „seu“ Septuaginta (LXX)“.

Lingua versionis Alexandrinæ nequaquam est græca classica, sed dialectus macedonico-alexandrina — eo tempore διάλεκτος κοινή seu vulgaris dicta, quæ apud Iudæos hebraismis et aramaismis permixta vocatur — dialectus hellenistica.

Sensum libri hac dialecto conscripti ne græcus quidem eruere valet totaliter et absque difficultate ob proprietates eius dialecti et lexicales et grammaticales, — nisi calleat simul linguam hebraicam et aramaicam.

Alexandrina versio Psalmorum est versio ad verbum facta.

§ 2. Circa annum 200 post Chr. adornata est ex græca versione Alexandrina — latina versio, quæ serius Itala nominabatur.

Lingua huius versionis non est lingua classicorum, (quæ tempore Augusti „urbana“ dicebatur), sed lingua latina vulgaris seu rustica. Ratio huius linguæ vulgaris quoad linguam latinam urbanam est eadem, quæ inter linguam germanicam et bohemicam classicorum et dialectum huius vel illius regionis.

§ 3. Ad finem sæculi IV. et initio V. comparavit s. Hieronymus psalterium Italæ cum Alexandrina κοινή; et correxit illud. Quia correctio hæc facta est Romæ et abinde in basilica Vaticana in usu mansit, vocatur Psalterium hocce correctum — Romanum. (Ex hoc psalterio romano est in breviario rom. psalmus 94. ad Matutinum „Venite exultemus“; similiter loci Psalmorum in Missali romano.)

§ 4. Quia autem Psalterium tali modo emendatum minus placebat, iterum illud correxit respectu habito hexaplae Originianæ, et hæc nova Psalterii correctio vocatur Psalterium Gallicanum; et hanc versionem latinam ss. Synodus Tridentina auctoritate sua

declaravit authenticam i. e. omnis erroris circa fidem et mores immunem.

Hæcce latina versio authentica reperitur in Bibliis sacris Vulgatæ editionis Sixti V et Clementis VIII. Pontificum Maximorum auctoritate recognitis, seu breviter in latina Vulgata.

Textus seu sonus huius latinæ versionis authenticæ collocatur in hoc libro in prima columna.

§ 5. His præmissis patet, latinam Versionem Psalterii in Vulgata esse versionem mediatam i. e. non e textu originali, sed ex versione græca Alexandrina institutam. Quemadmodum græca Alexandrina est translatio ad verbum facta textus originalis Psalmorum, ita etiam est latina versio — ad verbum facta translatio græcæ Alexandrinæ. Propter hanc indolem fundunt latinæ sententiæ huius versionis eundem sensum, quem originale hebraicum habet; sunt ergo interpretandæ ad genium linguæ hebraicae et aramaicae habito simul respectu proprietatum dialecti hellenisticae (vide § 1.) et latinae linguæ rusticae (vide § 2.).

§ 6. Quævis enim sententia est cogitatio verbis expressa. Cogitatio ipsa — est anima sententiæ, verba autem sunt eius corpus. —

Quibus verbis et qua eorum syntaxi certa cogitatio hebraice exprimitur, hoc docet genius linguæ hebraicae.

Quibus verbis et qua eorum syntaxi eadem cogitatio textus originalis hebraici — lingua latina classica exprimenda sit, hoc docet genius linguæ latinae.

Sic ex. gr. exprimit latina Vulgata ad verbum textum hebraicum: psl. 24, 3.: „universi, qui sustinent te, non confundentur“

Secundum genium linguæ hebraicae exprimitur hisce verbis cogitatio: „Nemo eorum, qui tibi confidunt, confundetur“.

Secundum genium linguæ latinae classicae exprimitur autem hæc cogitatio: „Pars eorum, qui tibi confidunt, confundetur, ast non omnes.“

Facile patet, esse essentielle discrimen inter cogitationem illam et hanc; et hoc discrimen rationem suam habet in diversitate genii linguæ hebraicæ et latinæ classicæ.

Si auctor sacer cogitationem memoratam hebraice prolatam dein lingua latina classica protulisset, ut ab auditoribus et lectoribus linguæ latinae tantum gnaris recte et clare intelligatur, certe secutus esset genium linguæ latinae et dixisset: „Nemo eorum, qui tibi confidunt, confundetur.“

§ 7 Translator textus sacri totam quasi personam auctoris sacri in se suscepit, et propterea debet imbutus esse accuratissima cognitione tam genii linguæ textus originalis hebraici, quam genii linguæ, in quam transferre intendit cogitationem lingua hebraica, — respective latina versione textus hebraici ad verbum facta, — expressam. Si quis laborat defectu rei prioris vel posterioris, ad opus tam grave non accedat, quia non est condigne præparatus.

Qualem sensum singulæ sententiæ latinæ Vulgatæ respectu habito genii linguæ originalis hebraicæ fundunt, collocatur in hoc libro in columna secunda.

§ 8. Secundum s. Augustinum confert lectio ss. Scripturarum (utique si lector sensum eorum, quæ legit, rite intelligit) duplex commodum; illuminat enim mentem quoad veritatem, et inflamat affectum cordis ad amorem Dei. Et quis sinceri cordis non teneatur ardenti desiderio, ut mens eius illuminetur quoad veritatem et cor eius inflammetur ad amorem Dei Creatoris et Salvatoris nostri? —

Sane non est præstantius medium, quo mens illuminetur, cor ad amorem Dei inflammetur et inflammatus affectus cordis in dies augeatur, quam eloquia Spiritus sancti in carminibus lyricis seu psalmis, qui dispositiones divinas in salutem humani generis factas et revelationem divinitus communicatam in memoriam revocant. Inde explicatur frequentissimus psalmorum usus tam in Antiquo quam in Novo Testamento, et illa sanctæ matris Ecclesiæ dispositio, qua clerici ordines maiores adepti tenentur quotidie certam Psalterii partem recitare — in propriam et fidelium salutem.

§ 9. Hæc recitatio fit cuique eo gravior et efficacior, quo clarius patet literalis sensus — illa anima — cuiusvis psalmi et quo facilius singulæ psalmi partes discernuntur. Hunc in finem — præmissis

**I. significationibus vocum:** „psallo“ — „psalmus“ — „psalterium“ — „psaltes“, —

**II. notis introductionalibus in librum Psalmorum —**

- a) apponitur in præsentī libro in fronte cuiusvis psalmi brevis sententia, qua vel generale argumentum totius psalmi, vel sententia primaria, vel usus practicus indigitatur.
- b) Dein sequitur sonus latinæ Vulgatæ in columna prima et sensus latinæ Vulgatæ in columna secunda.\*)

---

\*) Argumenta scientifica, quibus sensus latinæ Vulgatæ, in columna secunda collocatus, probatur, inveniuntur in libro: „Psalterium“ Exaravit Dr Melchior Mlčoch, Olomucii 1890. Apud Ed. Hölzel, bibliopolam Olomucii et Vindobonæ. In isto libro invenitur versio latina textus originalis hebraici; et simul adducuntur argumenta exegetica, quibus harmonia huius versionis et Vulgatæ latinæ demonstratur.

- c) Ut vero singulae partes cuiusvis psalmi facile et primo statim intuitu discernantur, incipit quaelibet psalmi pars in secunda columna — distincta litera initiali.
- d) Post textum cuiusvis psalmi adducuntur necessariae notitiae de auctore secundo, de argumento, de occasione et tempore exarationis, nec non de iis, quae ad rectam interpretationem psalmi necessaria sunt.

## I.

§ 10. a) **Significationes vocum:** a) psallo, b) psalmus, c) psalterium et d) psaltes.

a) Graecum „ψαλλω“ detonat: 1. proprie vibro; in specie: vibro nervum arcus — vibro chordam instrumenti musici; dein — 2. fidibus cano, — 3. voce et fidibus cano.

b) Latinum „psallo“ denotat: 1. instrumentum musicum pulso — fidibus cano,<sup>1)</sup> 2. cano ad citharam.<sup>2)</sup> Hoc significatu occurrit „psallo“ in Psl. 68, 13. „in me psallebant (i. e. cantilenas de me canunt), qui vinum bibebant“. 3. Apud b. Hieronymum<sup>3)</sup> et b. Augustinum<sup>4)</sup> denotat „psallo“ — „cano psalmos Davidis“, qui sunt laudes Dei, sive adhibito psalterio, sive assa voce fiat; hacce significatione adhibetur „psallere“ in Ecclesia.

§ 11. b) Graecum „ψαλμός“ denotat: 1. τὸ vibrare — τὸ cantare fidibus — τὸ cantare voce et fidibus. — 2. Canticum, quod comitantibus instrumentis musicis canitur. — 3. In s. scriptura — canticum sacrum, canticum laudis.<sup>5)</sup>

Latinum „psalmus“ significat 1. sonum citharae seu fidium 2. carmen, quod ad sonum fidium canitur. Hoc sensu unica vice in latina Vulgata (non in LXX.) adhibetur „psalmus“ ad denotandum canticum, quo propheta Ieremias ludibrio habebatur.<sup>6)</sup> — 3. Apud christianos scriptores autem adhibetur vox haec ad designandos hymnos sacros seu cantica Davidis regis, quia ad psalterium ea cantare mos fuit, quod et ipse auctor fecisse dicitur.<sup>7)</sup>

§ 12. c) „Psalterium“ (= ψαλτήριον) denotat:

1. instrumentum fidibus instructum, simile citharae, differrens tamen<sup>8)</sup> — harpa<sup>9)</sup> (ἤραρfe, harfa);

1) Cic. Cat. 2, 10. et alii confer. I. Sam. 19, 9 David psallebat manu sua etc. 2) Hor. Od. 4, 13, 7. et alii. 3) Ep. 107. a. 10 etc. 4) In psal. 46. et 65. 5) Judit 16, 2. 6) Lament. 3, 63. „ego sum psalmus eorum“ i. e. obiectum ludibrii. 7) Tert. adv. Prax. 11. etc. Lactant. 4, 8. et 12. Hieron., Augustin. etc. 8) August. in psal. 56. 9) Ex graeco ἄρπη = falx, quia in modum falcis ex una parte incurvum est illud instrumentum.

2. citharam, lyram; —

3. carmen, quod ad psalterium canitur;

4. apud scriptores Ecclesiæ — librum psalmorum Davidicorum<sup>1)</sup>.

§ 13. *d)* „Psaltes“ (= ψαλτής) vocatur:

1. Qui instrumentum aliquod musicum pulsat; item qui canit.<sup>2)</sup>

2. Qui psalmos facit et canit = psalmista (ψαλμιστής)<sup>3)</sup> = psalmographus (ψαλμογράφος) — per excellentiam = rex David.<sup>4)</sup>

## II.

### Notae introductionales in librum Psalmorum.

§ 14. Titulus et numeratio. „Liber psalmorum“ dicitur collectio 150 poëmatum argumenti lyrico-religiosi, quæ hebraice „Tehillim“ (i. e. hymni), græce „ψάλμοι“ audiunt.

Præter huncce titulum, collectioni communem, gerit quilibet fere psalmus propriam inscriptionem, quæ indicat vel auctorem vel occasionem, qua compositus est, vel melodiam, vel praesidium chori, sub cuius directione, — vel instrumentum musicum, quo accinente decantandus est.

§ 15. Quoad numerationem psalmorum inde a psalmo 9no usque 147mo intercedit discrimen inter textum hebraicum et versionem latinam Vulgatam, quæ sequitur versionem Alexandrinam (LXX). Contrahuntur enim quatuor psalmi textus hebraici (9 et 10 et dein 114 et 115) in duos et postea, ut numerus 150 psalmorum compleatur, duo psalmi (116 et 147) in quatuor dividuntur.

Inde invenitur in psalmo 9. et 113. latinæ Vulgatæ binæ numeratio a versu primo incipiens (1 — 21 + 1 — 18. v. 1 — 8 + 1 — 18). E contra non incipiunt duo psalmi Vulgatæ latinæ a versu primo; orditur nempe psalmus 115tus versu 10mo et 147mus versu 12do.

Numeri isti sunt recentioris ætatis et indicant ordinem, quo psalmi inventi seu potius collecti sunt, nequaquam autem ordinem temporis, quo conscripti sunt. In libris liturgicis adducuntur psalmi sub numero, quo in latina Vulgata insigniuntur.<sup>5)</sup>

§ 16. 2. **Divisio.** Hebræi dividunt Psalterium ad normam Pentateuchi in 5. libros. Hanc divisionem ss. Patrum et Scriptorum eccl. pluri utpote vetustissimam rati, secuti sunt v. c. Epifanius, Origines, s. Hippolytus, s. Hilarius Pictaviensis, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus.

<sup>1)</sup> Hieron. ep. 33. n. 3; ep. 125. n. 11 et alii. <sup>2)</sup> II. Sam. 23, 1. IV. Reg. 1, 15. I. Paral. 23, 5. Quint. 1, 10. <sup>3)</sup> Hieron. adversus Pelag. 1. n. 2. et alii. <sup>4)</sup> Tert. carm. advr. Marc. 5, 130. <sup>5)</sup> In præsentī libro fit citatio psalmorum secundum versionem latinam Vulgatam. Citatio iuxta textum hebraicum addito: „hebr.“ notatur.

- I. liber, psl. 1—40, est collectio psalmorum Davidis; 37 cum inscriptione „Davidis“.
- II. liber, psl. 41—71, exhibet psalmos Korachitarum, nonnullos Davidis, unum Asaphi.
- III. liber, psl. 72—88, exhibet psalmos Asaphi, nonnullos Korachitarum, unum Davidis.
- IV. liber, psl. 89—105, exhibet psalmum Moysis, duos Davidis, reliquos anonymos.
- V. liber, psl. 106—150, exhibet 16 psalmos Davidis, unum Salomonis, reliquos anonymos.

Quatuor priores libri clauduntur doxologia: „fiat, fiat“, in textu hebraico: „Amen, Amen“ <sup>1)</sup>

§ 17. 3. **Auctor et aetas.** a) Inscriptiones in textu hebr. genuinæ docent, varios fuisse psalmorum auctores, quorum nomina sunt:

1. David rex, cui tribuuntur psalmi 73. —
2. Moyses, cui adscribitur unus (89.). —
3. Salomo, cui adiudicantur duo (71. et 126.) —
4. Asaph, cuius nomen gerunt psalmi duodecim (49, 72—82). De nomine „Asaph“ vide notam ad psl. 49. —
5. Eman, auctor psalmi 87mi. —
6. Ethan, auctor psalmi 88vi. —
7. Corachitae, seu filii Core (Corachi), quibus assignantur duodecim (41—48, 83, 84, 86, 87.). De nomine „Corachita“ vide notam ad psl. 41.
8. Reliqui psalmi sunt in textu hebraico anonymi, et ex parte Davidicæ fors originis.

Quia a Davide maxima psalmorum pars descendit, obtinuit usus, quem etiam s. Ecclesia servat, ut tota collectio „**Psalmi Davidis**“ nuncupetur. S. concilium Tridentinum enumerans libros sacros dicit (præeunte conc. Cartagin. III. ao. 397. can. 47.) „**Psalterium Davidicum**“

b) His relatis simul, in quantum fieri potest, psalmorum ætas cognoscitur. Quidam psalmi exilii demum tempore, alii post exilium compositi esse videntur. Nullus vero ex ætate Maabæorum descendit, quia eo tempore lingua hebraica non amplius erat in usu. Quando autem hi psalmi collecti sunt, non conve-

<sup>1)</sup> Eandem materiam, eadem forma exhibent psl. 13 et 52. Quæ in psl. 39, 14—18 sunt, constituunt psalmum 69<sup>um</sup>. Quæ in psl. 56, 8—12 et 59, 6/2—14 sunt, constituunt psalmum 107<sup>um</sup>. Psalmus 17 paucis mutatis est etiam in II. Sam. cap. 22.

niunt. Verosimillimum est, post exilium demum Babylonicum eorum collectionem fuisse institutam.

§ 18. 4. **Argumentum psalmorum est vel**

1. doctrinale (ex. gr. 1., 48., 118.) vel
2. liturgicum (ex. gr. 3., 4., 5., 7., 8., 14., 17., 18., 23., 34., 108., 129—137.) vel
3. historicum uti psl. 104. et 105. vel
4. messianum per se vel typice.

§ 19. 5. **Finis.** Ut ex inscriptionibus et ex argumento apparet, est finis psalmorum diversus et quidem vel intendit auctor

1. Deum laudare, pro acceptis donis gratias agere, nova impetrare, peccata sua deflere, ut sit novarum gratiarum dignus; vel
2. de Deo eiusque proprietatibus et operibus edocere, virtutem commendare et a sceleribus retrahere; vel
3. quoddam precum publicarum schema exhibere; vel
4. Messiam eiusque passionem, mortem et resurrectionem annuntiare.

§ 20. **Nota.** a) Psalmi, qui liberaliter ad Christum eiusque regnum i. e. Ecclesiam s. referuntur, vocantur **exclusive Messiani**; hi sunt:

Psl. 2. agens de victoria Messiae regis. —

Psl. 15. de resurrectione et gloria eius. —

Psl. 21. de passione Messiae et de fructibus eius. —

Psl. 44. de Christo eiusque Ecclesia. —

Psl. 71. de regno Messiae æterno et pace perpetua. —

Psl. 109. de victoria Messiae regis et de eius sacerdotio.

b) Psalmi, qui talia continent, quæ literaliter Davidem vel aliam personam Antiqui Testamenti spectant et mediate tantum ad Christum diriguntur, vocantur **typice Messiani**; persona nempe illa typum gerit Christi. Huc spectant ante omnia psalmi: 8., 18., 34., 39., 40., 67., 68., 77., 96., 101., 108., 116., 117.; horum enim characterem Messianum testatur Novum Testamentum.

§ 21. 6. **Momentum Psalterii.** Psalmi inde a temporibus Davidis in liturgia sacra publice decantabantur. Hæc publica psalmorum decantatio dispositiones divinas in salutem humani generis factas et revelationem divinitus communicatam continuo audientibus in memoriam revocabat, insuper eam etiam præcipue vaticiniis Messianis amplificabat. — Nec hoc silentio premendum est, quod pro indole sua schema quoddam precum cuiuslibet generis exhibeant, et maxime idonei sint, ut cultui publico



inserviant, unde frequentissimus eorum tam in Antiquo quam in Novo Testamento usus liturgicus explicatur.

**Nota.** Nominantur nonnulli psalmi insuper Graduales, alii Pœnitentiales, alii Imprecatorii.

§ 22. *a)* Psalmi **graduum** seu **graduales** vocantur 15 psalmi 119—133. Vocantur psalmi graduum i. e. ascensionum seu peregrinationum sacrarum, eo quod a Judæis Hierosolimam ad festa Paschatis, Pentecostes et Tabernaculorum ascendentibus decantari solebant.

§ 23. *b)* **Pœnitentiales** dicuntur ii psalmi, in quibus anima de peccatis commissis dolens veniam precatur. Huius argumenti psalmi exstant quidem plures in psalterio, antiquo autem Ecclesiæ usu septem tantum hocce titulo insigniuntur nempe 6., 31., 37., 50., 101., 129., 142.

§ 24. **Imprecatorii** seu **maledictorii** ii vocantur psalmi, in quibus vindicta divina et omnia infausta super inimicos iustitiæ exposcuntur. Huc pertinent: psalmi 34<sup>ti</sup> versus 4—6., 8. 26., psal. 39<sup>ni</sup> v. 15. 16., psal. 57<sup>mi</sup> v. 7. . ., psal. 58<sup>vi</sup> v. 6. 12—16., psal. 68<sup>vi</sup> v. 23—29., psal. 103<sup>tii</sup> v. 35., psal. 108 v. 6—15. 19. 20. 29., psal. 136<sup>ti</sup> v. 7.—9.

§ 25. In finem rectæ interpretationis ponendum est loco imperativi seu coniunctivi præsentis — Futurum; v. c. 68., 25.: „Effunde super eos iram tuam“ = „Effundes super eos iram tuam“ vel 108., 8.: „Fiant dies eius pauci = dies eius erunt pauci“. (In psal. 57., 7. et 58., 14.—16. psal. 139, 10 et 11. ponit Vulgata — Futurum.)

Est enim vatibus sacris V. T. proprium, ut res venturas tamquam vota proferre soleant. — Prædicentes felicitatem regni Messiani rem proponunt modo desiderantis, optantis; prædicentes mala, quæ secundum Legis sanctionem impios manent, faciunt id modo imprecatorio.<sup>1)</sup>

Quando ergo auctor sacer mala talia modo optantis profert, optat, vel

1. ut iustitia divina se manifestet. Cum enim Deus in iustitia sua punit improbos pertinaces, probi in virtute confirmantur et lætantur; — utique lætantur non in malo, sed in iustitia Dei, quemadmodum Deus ipse puniens non lætatur in puniendo impiorum, sed in sua iustitia, quia iustus Dominus iustitiam diligit. Vel

2. optat, ut removeantur et auferantur culpæ (conf. psal. 7, 10.); desiderium eius non refertur ad malum hominis. Hoc sensu in-

<sup>1)</sup> Imprecor = mali quidpiam precor.

telligitur v. 35. psalmi 103.: „Deficiant peccatores de terra et iniqui, ita ut non sint“ i. e. secundum culpam. In quantum enim iniustitia parit scandalum publicum et ordinem divinitus statutum pervertit, innocentibus et iustis miseriam parat, digna est execratione.

§ 26. His altioribus motivis animatur auctor sacer et nequaquam perverso studio vindictae personalis vel odio inimici. — Talia motiva impura in auctorem sacrum non cadunt et ne cadere quidem possunt, quia repugnant legi divinæ Mosaicæ, cuius tamen commentarium exhibent psalmi — eloquia Spiritus sancti. Lège autem Mosaica

a) personalis vindicta expresse interdicitur verbis: „Mea (Dei) est ultio et ego retribuam in tempore.“ (Deut. 32, 35.)

§ 27. b) quoad odium inimici hæc sunt notanda: Dilectio inimici docetur lege naturali secundum illud principium: „quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris;“ nullus enim vult odio haberi et sibi reddi malum pro malo; unde ipse Plato solo lumine naturali illud agnovit (I. 1.)

Hanc legem naturalem inculcat Antiquum Testamentum expresse aequae ac Novum Fœdus. Dicit enim Deus in Antiquo Fœdere: „Non quæras ultionem, nec memor eris iniuriæ civium tuorum; diliges proximum tuum sicut te ipsum.“ (Lev. 19, 18. coll. Math. 5, 43. 22, 39. Luc. 6, 27. Rom. 13, 9.)

§ 28. Notione autem „proximi“ comprehenduntur etiam „Non-iudæi — gentiles seu homines in genere, sive sit inimicus sive amicus, ut disserte docet Moises verbis: „Advena in terra vestra sit inter vos quasi indigena, et diligetis eum quasi vosmetipsos; fuistis enim et vos advenæ in terra Aegypti: Ego Dominus, Deus vester.“ (Lev. 19, 33. 34.)

Dicta illustrantur ab eo sequentibus præceptis: „Si occurreris bovi inimici tui et asino erranti, reduc ad eum.“ „Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo. (Exod. 23, 4. 5. conf. Deut. 22, 1—4.).

Et sicut lex Mosaica docent et reliqui libri V. Fœderis; v. c. Prov. 24, 17. „Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina eius ne exultet cor tuum.“ Prov. 25, 21. „Si esurierit inimicus, ciba illum; si sitierit, da ei aquam bibere.“

Insuper ostendit propheta Elisæus sua agendi ratione (IV. Reg. 6, 8—23.), odio principis ethnici nequaquam auferri dilectionem proximi.

§ 29. Ut in Novo ita etiam in V. Testamento detestatione sceleris non excluditur misericordia erga peccatorem. Unde.

etiam Salvator noster perversam interpretationem Legis, quam serius demum per nefas callide introduxerunt Pharisei, castigat et rejicit (Math. 5, 43.).

Ex his simul patet, nullam esse essentialem differentiam inter spiritum Antiqui Fœderis et spiritum Novi Testamenti respectu huius materiæ.

§ 30. Quando autem quis provocat ad Legis (Exod. 21, 24) verba: „Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu etc.“, confundit inepte privatam vindictam cum vindicta, quæ competit legitimo magistratui nomine Dei hac in terra. Lex enim istis verbis statuit tantum normas (principium talionis), secundum quas competenti magistratui iudicandum est in læsionibus corporalibus deliberatis vel ex insidiis, ut læso fiat satisfactio iusta; confugere autem ad magistratum competentem, Deus nec in Antiquo nec in Novo fœdere interdixit. (Conf. Rom. 13, 1.—5.)



# Liber primus.

(Psalmi 1.—40.)

## Psalmus 1.

### Diversa sors iustorum et impiorum.

#### Sonus latinae Vulgatae.

11. Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiae non sedit;
22. sed in lege Domini voluntas eius, et in lege eius meditabitur die ac nocte.
33. Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum. quod fructum suum dabit in tempore suo.  
Et folium eius non defluet; et omnia, quaecumque faciet, prosperabuntur.
44. Non sic impii, non sic; sed tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terrae.
55. Ideo non resurgent impii in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum,
66. quoniam novit Dominus viam iustorum, et iter impiorum peribit.

#### Sensus latinae Vulgatae.

Beatus homo, qui non ambulat ad consilium impiorum, et in via peccatorum non consistit, et in societate pestifera non sedet; sed, qui lege Domini delectatur, et de lege Eius meditatur die ac nocte.

Estque sicut arbor plantata ad rivos aquarum, quæ fructum suum dat tempore suo, cuius folium non defluit, et omnia, quæ facit, prospere cedunt.

Non sic impii, non sic; sed sicut palea, quam dispellit ventus a superficie terræ.

Ideo non consistent impii in iudicio, neque peccatores in coetu iustorum;

Novit enim Dominus viam iustorum, iter autem impiorum finietur pernicie.

#### Notae ad Psalmum 1.

Psalmus primus est prologus Psalterii et aptissime dicitur apud Hieronymum „Præfatio Spiritus Sancti“.

In eo commendatur studium pietatis et impietatis fuga; simul proponitur diversa iustorum atque impiorum sors — tum præsens tum futura.

Auctor psalmi huius non nominatur; in quibusdam vetustis versionis Alexandrinæ editionibus tribuitur Davidi, cui etiam a Patrum latinorum plerisque adiudicatur.

Occasio singularis, qua psalmus hic exaratus fuit, ob argumentum ceius adeo generale, indicari nequit.

## Psalmus 2.

**Contra Deum Deique filium frustra consurgit mundus.****Sonus latinae Vulgatae.**

1. Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?
2. Astiterunt reges terræ et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius.
3. Dirumpamus vincula eorum et projiciamus a nobis iugum ipsorum.
4. Qui habitat in cœlis, irridebit eos, et Dominus subsannabit eos.
5. Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos.
6. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius.
7. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.
8. Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ.
9. Reges eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringes eos.
10. Et nunc reges intelligite, erudimini, quia iudicatis terram.
11. Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore.
12. Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus et pereatis de via iusta.
13. Cum exarserit in brevi via eius, beati omnes, qui confidunt in eo.

**Sensus latinae Vulgatae.**

**A**d quid tumultuantur gentes, et inania meditantur populi?

Reges terræ consurgunt, et principes conveniunt una — adversus Dominum et adversus Unctum Eius:

„Rumpamus vincula Eorum, et abjiciamus a nobis iugum Ipsorum!“

**Q**ui residet in cœlis, irridet eos,

Dominus nempe illudit eis.

Tandem loquitur ad eos in ira sua,

et in furore suo conturbat eos.

**E**go autem constitutus sum rex —  
„Ab Eo —

in Sione monte Eius sancto;

Promulgabo ergo decretum Eius!“

Dominus dixit ad me: „Filius meus es Tu,

Ego hodie genui Te.

Postula a me, et dabo Tibi gentes hereditatem Tuam,

et possessionem Tuam terminos terræ.

Reges eos sceptro ferreo,

et confringes eos sicut vas figulinum.

**E**t nunc reges estote intelligentes, —  
sinite vos erudiri, qui iudicatis terram !

Servite Domino cum timore, et exultate Ei cum tremore!

Admittite disciplinam, ne quando irascatur Dominus,

neve pereatis declinantes de via iusta;

etenim in brevi exardescit ira Eius; Beati omnes, qui confidunt in Eo!

## Notae ad Psalmum 2.

Psalmus secundus est exclusive Messianus (vide „Præfatio“ § 20), agens de victoria Messiae regis. Populi et reges consurgunt contra Regem a Deo in monte Sione inauguratum; nil autem proficient, sed perniciem sibi creabunt; morigeri vero sub sceptro Eius erunt felices. — Etiam paraphrastes Chaldeus — Regem hunc censet esse — Messiam.

Psaltes ipse loquitur vv. 1., 2., 5., 10.—13.

Loquentes inducuntur:

a) contumaces v. 3.

b) Rex a Deo inauguratus — Filius Dei v. 6.—9.

Auctor psalmi est secundum Actus Apost. 4., 24.—25. — David.

Occasio exarationis erat promissio divina, quæ per os Nathanis Davidi de regno aeterno obtigit, ut in II. Sam. 7., 12.—16.; I. Par 17., 11.—14. legitur.

## Psalmus 3.

### Oratio matutina hominis, qui patitur persecutionem.

#### Sonus latinae Vulgatae.

1. Psalmus David, cum fugeret a facie Absalom, filii sui.
2. Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? multi insurgunt adversum me?
3. Multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo eius.
4. Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum.
5. Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo.
6. Ego dormivi, et soporatus sum; et exsurrexi, quia Dominus suscepit me.
7. Non timebo millia populi circumdantis me:  
exsurge, Domine, salvum me fac, Deus meus.

#### Sensus latinae Vulgatae.

Psalmus Davidis, cum fugeret Absalonem, filium suum.

**D**omine, quam multiplicati sunt, qui tribulant me!  
multi surgunt contra me!

Multi dicunt de me:  
„Non est ei salus apud Deum eius“.

**E**t tamen Tu, Domine, es protector meus,  
gloria mea; Tu enim exaltasti caput meum!

Voce mea ad Dominum clamo,  
et exaudit me de monte suo sancto.

**E**quidem cubitum eo et dormio,  
et expergefio, quia Dominus protegit me;

Non timeo millia populi cingentis me.

**S**urge, Domine, salva me, Deus mi!

**Sonus latinae Vulgatae.****Sensus latinae Vulgatae.**

- |                                                                                                                                                                      |                                                                                                                                                                            |
|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>8. Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: dentes peccatorum contrivisti.</p> <p>9. Domini est salus: et super populum tuum benedictio tua.</p> | <p>Tu enim percussisti omnes adversantes mihi sine causa; Tu impiorum dentes confregisti.</p> <p>Penes Dominum est — salus certa; Super populo Tuo est benedictio Tua.</p> |
|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

**Notae ad Psalmum 3.**

Auctorem huius psalmi esse Davidem, docet inscriptio, quae simul occasionem indicat; hac de re vide II. Sam. cap. 15. — 17

Argumentum Profugus ab Absalone, filio suo, conqueritur David de hostium multitudine et insultatione (v. 2. 3.).

Sed mox confortatus memoria divini favoris, quem hucusque tam saepe expertus erat, affert spem divini auxilii et victoriae de hostibus reportandae (v. 4.—7.).

Ad finem contestatur fidem suam verbis: „Penes Dominum est salus certa“ (v. 9.) — contra rebelles dicentes: „Non est ei salus apud Deum ejus“ (v. 3.).

Absalonis in psalmo non fit mentio disserta, quod ex nimio Davidis erga filium amore facile explicatur. — Conf. II. Sam. 18, 5. 12, 22.

**Psalmus 4.****Oratio vespertina hominis in angustis constituti.****Sonus latinae Vulgatae.****Sensus latinae Vulgatae.**

- |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                          |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                      |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>1. In finem in carminibus, Psalmus David.</p> <p>2. Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiae meae; in tribulatione dilatasti mihi.</p> <p style="padding-left: 20px;">Miserere mei, et exaudi orationem meam.</p> <p>3. Filii hominum, usquequo gravi corde; utquid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?</p> | <p>Ad liturgiam sacram, — in fidibus, Psalmus Davidis.</p> <p>Quum clamarem, audiebat me iustus Deus meus.</p> <p>Tu praestabas in tribulatione auxilium mihi.</p> <p>Miserere mei et exaudi orationem meam!</p> <p>O viri, quousque eritis duro corde?</p> <p>ad quid diligitis inania et secta mini mendacium?</p> |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

**Sonus latinae Vulgatae.**

**Sensus latinae Vulgatae.**

- |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                  |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                  |
|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>4. Et scitote. quoniam mirificavit Dominus sanctum suum;<br/>Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.</p> <p>5. Irascimini, et nolite peccare: quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.</p> <p>6. Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino; multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?</p> <p>7. Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine:<br/><br/>dedisti lætitiā in corde meo.</p> <p>8. A fructu frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt.</p> <p>9. In pace in idipsum dormiam et requiescam.</p> <p>10. quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.</p> | <p>Cognoscatis tandem, Dominum mirifice duxisse cultorem suum! Dominus exaudiet me, cum clamavero ad Eum.</p> <p>Irascētes nolite peccare! eorum, quæ cogitatis in cordibus vestris, pœniteat vos in cubilibus vestris!</p> <p>Offerte sacrificia iusta, et sperate in Domino!<br/><b>M</b>ulti dicunt: Quis faciet nos experiri bona!</p> <p>Signi instar elevatus est super nos grātiosus vultus Tuus, Domine;<br/>Tu dedisti lætitiā cordi meo — maiorem — proventu frumenti, vini et olei, quo illi ditati sunt.</p> <p>Secure simul cubitum ibo et obdormiam,<br/>quoniam Tu, Domine, — solus facis me secure habitare.</p> |
|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

**Notae ad Psalmum 4.**

Auctor psalmi juxta inscriptionem — David. —

a) implorat opem Dei (v. 2)

b) dein alloquitur hostes suos. ut cessent a conaminibus suis scelestis simulque inanibus. cum ipse habeat Deum — vindicem causae suae. (v. 3. —6 hebr.)

c) Ad finem celebrat felicitatem proborum (v. 7. —9. hebr.) —

Verosimile compositus est psalmus hic eodem fere tempore, quo psalmus tertius et quidem pridie vesperi; dicit enim vates v 9: „secure simul cubitum ibo et obdormiam“

**Psalmus 5.**

**Oratio matutina in via ad templum Domini.**

**Sonus latinae Vulgatae.**

**Sensus latinae Vulgatae.**

- |                                                                            |                                                                                                           |
|----------------------------------------------------------------------------|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>1. In finem pro ea, quæ hereditatem consequitur,<br/>Psalmus David.</p> | <p>Ad liturgiam sacram; — pro ea, quæ hereditatem consequitur (= gente Israelitica); Psalmus Davidis.</p> |
|----------------------------------------------------------------------------|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------|



**Sonus latinae Vulgatae.**

2. Verba mea auribus percipe,  
Domine,  
intellige clamorem meum.
3. Intende voci orationis meæ,  
rex meus et Deus meus.
4. Quoniam ad te orabo: Domine,  
mane exaudies vocem meam.
5. Mane astabo tibi, et videbo:  
quoniam non Deus volens ini-  
quitatem tu es.
6. Neque habitabit iuxta te ma-  
lignus: neque permanebunt ini-  
iusti ante oculos tuos.
7. Odisti omnes, qui operantur ini-  
quitatem:  
perdes omnes, qui loquuntur  
mendacium.  
Virum sanguinum et dolosum  
abominabitur Dominus:
8. ego autem in multitudine mi-  
sericordiæ tuæ introibo in do-  
mum tuam:  
adorabo ad templum sanc-  
tum tuum in timore tuo.
9. Domine. deduc me in iustitia  
tua: propter inimicos meos  
dirige in conspectu tuo viam  
meam,
10. quoniam non est in ore eorum  
veritas:  
cor eorum vanum est.
11. Sepulcrum patens est guttur  
eorum,  
linguis suis dolose agebant:  
iudica illos Deus.  
Decidant a cogitationibus suis,  
secundum multitudinem impi-  
etatum eorum expelle eos. quo-  
niam irritaverunt te, Domine.
12. Et lætentur omnes, qui spe-  
rant in te,  
in æternum exultabunt: et ha-  
bitabis in eis.  
Et gloriabuntur in te omnes,  
qui diligunt nomen tuum,

**Sensus latinae Vulgatae.**

Verba mea auribus percipe, Do-  
mine.  
attende ad clamorem meum!  
Attende ad vocem orationis meæ,  
rex mi et Deus mi!

Quoniam ad Te oro;  
Domine, mane audias vocem meam!  
Mane coram Te sto et exspecto!  
**T**u enim non es Deus, qui de-  
lectetur iniquitate;  
neque habitat apud Te malignus;  
neque consistent iniusti coram  
oculis Tuis.

Odisti omnes, qui operantur ini-  
quitatem,  
perdes omnes, qui loquuntur men-  
dacium;  
hominem sanguinolentum et do-  
losum abominatur Dominus.

**E**go autem propter magnitudi-  
nem gratiæ Tuæ possum in-  
gredi domum Tuam;  
possum adorare ad templum sanc-  
tum Tuum in timore Tui.

Domine, deduc me in iustitia Tua;  
propter inimicos meos dirige viam  
meam in conspectu Tuo!

Nam in ore eorum non est sin-  
ceritas!  
cor eorum est malum.  
Sepulchrum hians est guttur eo-  
rum,  
linguis suis dolose agunt.  
**C**ondemna eos, o Deus!  
Cadant propter consilia sua!  
ob multitudinem impietatum eo-  
rum expelle eos,  
Tibi enim resistunt, Domine!

Et lætabuntur omnes, qui Tibi  
confidunt, —  
in æternum exultabunt, et Tu ha-  
bitabis inter eos;  
ut gloriari possint de Te omnes,  
qui diligunt nomen Tuum!

**Sonus latinae Vulgatae.**

**Sensus latinae Vulgatae.**

13. quoniam tu benedices iusto.  
Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.

Tu enim benedicis iusto.  
Domine, tamquam scuto circumdas nos benevolentia Tua.

**Notae ad Psalmum 5.**

Auctor psalmi est, ut docet inscriptio, — David.

Tempus: Composuit cum verosimiliter, quum caeso Absalone redux prima vice adesset sacrificio matutino (conf. v 8).

Argumentum: Psalter precatur Deum, ut sibi auxilium præstet ab hominibus mendacibus et sanguinariis; —

Spemque concipit, fore, ut Jehova precibus cultoris sui annuat, quod Ipse, — sanctissimus, impiis eorum conatibus non possit favere.

Nota: Sunt, qui psalmum hunc viro recentioris ævi tribuere volunt, ducti imprimis eo, quod in v. 8. „templum“ memoratur; putant nempe voce „templum“ designari debere „templum Salomonicum Jerosolimitanum“

Ast voce „templum“ nominatur in latina Vulgata ante tempus Salomonicum „tabernaculum sanctum“ v c. Ex 30, 13 „dimidium sicii iuxta mensuram templi.“: I. Sam 1, 9. „Heli sedente ante postes templi Domini“; 3 3. „Samuel dormiebat in templo Domini.“ Hoc facile explicatur; nam latina voce templum designabatur antiquis:

1. locus, qui ab omni parte aspici, vel ex quo omnis pars videri potest;
- 2 in specie locus apertus ab augure lituo finitus et consecratus, (confer: contemplor-ari);
3. dein etiam locus septus et tectus, cuiusmodi erat etiam locus, in quo senatus habebatur; nam in loco per augures consecrato senatum haberi necesse erat, alioquin senatus consulta non erant iusta; inde nominat Cicero (Dom 51 curiam „sedem et templum publici consilii,“ et Livius adhibet vocem „templum“ de curia (I. 30. et 26, 31. et ibidem 33.) nec non de asylo (2, 1)
4. Aedes, quæ diis consecratae fuerunt — ex qualicunque materia extructæ.

**Psalmus 6. (I. pœnitentialis.)**

**Miserere mei Domine!**

**Sonus latinae Vulgatae.**

**Sensus latinae Vulgatae.**

1. In finem in carminibus, Psalmus David, pro octava.

Ad liturgiam sacram; — in fidibus; — Psalmus Davidis, pro octava.

2. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me.

Domine, noli me amplius in furore Tuo punire, nec in ira Tua me castigare!

**Sonus latinae Vulgatae.**

3. Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum:  
sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.
4. Et anima mea turbata est valde:  
sed tu, Domine, usquequo?
5. Convertere, Domine, et eripe animam meam: salvum me fac propter misericordiam tuam,
6. quoniam non est in morte, qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?
7. Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum:  
lacrymis meis stratum meum rigabo.
8. Turbatus est a furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.
9. Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.
10. Exaudivit Dominus deprecationem meam:  
Dominus orationem meam suscepit.
11. Erubescant, et conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur et erubescant valde velociter.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Miserere mei, Domine, nam infirmus sum;  
sana me Domine, contremiscunt enim ossa mea?  
Anima quoque mea turbata est nimis,  
et Tu, Domine, — quousque?  
**C**onvertere, quæso, Domine, et eripe animam meam,  
salva me pro benignitate Tua!  
Non enim datur mortuus, qui celebrare Te queat,  
in orco autem, quis Te laudet?  
Fessus sum gemendo,  
per singulas noctes mædefacio lectum meum,  
lacrymis meis irrigo stratum meum.  
Tabescit mærore oculus meus;  
senesco ob permultos inimicos meos.  
**R**ecedite a me omnes, qui operamini iniquitatem;  
audit enim Dominus vocem fletus mei!  
Audit Dominus deprecationem meam,  
Dominus orationem meam admittit.  
Erubescant et graviter percellentur omnes inimici mei,  
do novo erubescant — valde velociter.

**Notae ad Psalmum 6.**

**Auctorem** nominat inscriptio — Davidem.

**Argumentum.** Psalter versans in summo rerum discrimine ob insectationes adversariorum, implorat misericordiam Dei, qua opus est culpæ consciis. et vitam sibi conservari petit. (v. 2—8.).

**Firmissima** dein auxilii divini spe animatus, hostes suos discedere iubet (v. 9.—11.).

**Occasio** — accurate indicari nequit; absque dubio debet psalmus hinc originem suam, quum permulti hostes iam de imminente Davidis exitio lætarentur.

De Psalmis pœnitentialibus vide „Præfatio“ § 23.

## Psalmus 7.

**○ Domine, adiuva me contra calumniatores  
et ingratos!****Sonus latinae Vulgatae.**

1. Psalmus David, quem cantavit Domino pro verbis Chusi filii Jemini.
2. Domine Deus meus, in te speravi: salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me,
3. nequando rapiat ut leo animam meam, dum non est, qui redimat, neque qui salvum faciat.
4. Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis:
5. si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.
6. Persequatur inimicus animam meam, et comprehendat, et conculcet in terra vitam meam, et gloriam meam in pulverem deducat.
7. Exurge, Domine, in ira tua, et exaltare in finibus inimicorum meorum.
8. Et exsurge, Domine Deus meus, in praecepto, quod mandasti:  
et synagoga populorum circumdabit te. Et propter hanc in altum regredere:
9. Dominus iudicat populos. Iudica me, Domine, secundum iustitiam meam, et secundum innocentiam meam super me.
10. Consumetur nequitia peccatorum, et diriges iustum, scrutans corda et renes, Deus.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Psalmus Davidis, quem cecinit Domino propter sermones Chusi Beniaminitae.

**D**omine, mi Deus, in Te spero, salvum me fac ab omnibus persecutoribus meis et libera me!

Nequando rapiat me sicuti leo, dum non est, qui redimat, neque qui salvum faciat me.

**D**omine, mi Deus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis;

Si reddidi benefactoribus meis mala (pro bonis);  
cadam merito per inimicos meos — spe frustratus.

Persequatur me inimicus et comprehendat —  
et conculcet in terra vitam meam, et in pulverem deducat dignitatem meam.

**S**urge, Domine, in ira Tua!  
et exaltare in finibus inimicorum meorum!

Surge, quæso, Domine, Deus mi, secundum præceptum, quod Ipse dedisti!

et cœtus populorum Te circumstat,  
et super illo in altum regredere!  
Dominus iudicabit populos.

Iudica me, Domine, secundum iustitiam meam, et secundum innocentiam meam — fiat mihi!

**C**onsumetur nequitia peccatorum.  
et stabilias iustum;  
corda enim et renes probas Tu,  
— o Deus!

**Sonus latinae Vulgatae.**

11. Iustum adiutorium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde.
12. Deus iudex iustus, fortis et patiens: numquid irascitur per singulos dies?
13. Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit: arcum suum tetendit, et paravit illum.
14. Et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.
15. Ecce, parturiit iniustitiam, concepit dolorem et peperit iniquitatem.
16. Lacum aperuit, et effodit eum: et incidit in foveam, quam fecit.
17. Convertetur dolor eius in caput eius: et in verticem ipsius iniquitas eius descendet.
18. Confitebor Domino secundum iustitiam eius, et psallam nomini Domini altissimi.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Iustum adiutorium meum est  
 Iapud Dominum,  
 Ille enim salvos facit rectos corde.  
 Deus est iudex iustus, fortis et  
 patiens;  
 numne irascitur per singulos dies?  
 Si vos non converteritis, — gla-  
 dium suum vibrabit;  
 tendit arcum suum aptatque eum,  
 et contra illum dirigit arma morti-  
 fera,  
 — sagittas suas facit ardentes.  
 En! ille parturit iniustitiam,  
 E concipit ærumnam, et parit  
 iniquitatem.  
 Foveam aperuit et excavavit eam,  
 ipse autem cadit in foveam, quam  
 fecit.  
 Dolor ab eo paratus revertitur  
 in caput ipsius,  
 et in verticem ipsius descendit  
 iniquitas eius.  
 Ego celebrabo Dominum pro iu-  
 stitia Eius,  
 et psallam nomini Domini altis-  
 simi.

**Notae ad Psalmum 7.**

**Auctor et argumentum.** — Auctor sacer huius psalmi. David, implorat auxilium Jehovæ, Dei regis, contra persecutores suos immanes, quos nullo provocavit modo (v. 2.—6.).

Rogat, ut in publico tribuum conventu causam eius Jehova ipse agat i. e. provocat ad iustum supremi iudicis iudicium (v. 7.—9.).

Denique persuasus de causæ suæ bonitate iudicii divini iustitia, et erectus spe liberationis, sperat, fore, ut adversarius, si in malitia perseveret, ipse incidat in illam perniciem, quam Davidi paravit (v. 10.—18.).

Psalmus dubio procul spectat ad persecutionem Sauli, in cuius aula multi erant hostes Davidis, ut definiri vix possit, quisnam eorum sit ille Chus Beniaminita, Sauli contribulus, quem inscriptio nominat.

Psalmus 8.

**Gloria Dei manifestatur in coelo et in terra.**

**Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem pro torcularibus,  
Psalmus David.
2. Domine Dominus noster, quam  
admirabile est nomen tuum  
in universa terra!  
Quoniam elevata est magni-  
ficentia tua super cœlos.
3. Ex ore infantium et lactenti-  
um perfecisti laudem propter  
inimicos tuos,  
ut destruas inimicum et ul-  
torem.
4. Quoniam videbo cœlos tuos,  
opera digitorum tuorum:  
lunam et stellas, quæ tu fun-  
dasti.
5. Quid est homo, quod memor  
es eius?  
aut filius hominis, quoniam  
visitas eum?
6. Minuisti eum paulo minus ab  
Angelis, gloria et honore co-  
ronasti eum:
7. et constituisti eum super ope-  
ra manuum tuarum.
8. Omnia subiecisti sub pedibus  
eius, oves et boves universas:  
insuper et pecora campi:
9. volucres cœli et pisces ma-  
ris. qui perambulant semitas  
maris.
10. Domine Dominus noster, quam  
admirabile est nomen tuum  
in universa terra!

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram: — pro tor-  
cularibus; Psalmus Davidis.

Jehova, Domine noster!  
quam admirabile est nomen  
Tuum in universa terra!  
Magnificentia enim Tua elevata  
est super cœlis.

Ex ore infantium et lactentium  
perfecisti laudem propter inimi-  
cos Tuos,  
ad compescendum inimicum et  
vindictæ cupidum.

Quando contemplor cœlos Tuos,  
Opera digitorum Tuorum,  
lunam et stellas, quas Tu fun-  
dasti.

Quid est homo, quod memor est  
eius?  
aut filius hominis, quod curam  
eius geris?

Fecisti eum paulo carere præ  
Angelis,  
gloria et honore coronasti eum.

Dominari quoque facis eum in  
opera manuum Tuarum;

omnia subiecisti sub pedibus eius;  
oves et boves universos,  
insuper et bestias agri,  
volucres cœli et pisces maris  
et quidquid transit semitas ma-  
ris.

Jehova. Domine noster!  
quam admirabile est nomen Tuum  
in universa terra!

**Notae ad Psalmum 8.**

**Auctor.** Psalmus octavus est canticorum Davidis unum aliquod  
pulcherrimum.

**Argumentum.** Psalter celebrat Dei magnificentiam, quæ maxime  
effulget in amore Eius erga hominem, quem tam nobilem esse voluit, ut

paulo tantum careat præ Angelis, et reliquis præstet et imperet (ex Gen. 1., 27. sqq.).

Occasio huius hymni magnifici frustra quæritur.

Nota. Versus 5. a 6. applicatur ad Jesum Christum, qui omnium hominum erat perfectissimus (vide I. Cor. 15, 27.; Hebr. 2, 5.—9. et v. 3.; Math. 21, 16.).

## Psalmus 9.

### Gratiarum actio et supplicatio.

#### Sonus latinae Vulgatae.

1. In finem pro occultis filii,  
Psalmus David.
2. Confitebor tibi, Domine, in  
toto corde meo: narrabo om-  
nia mirabilia tua.
3. Lætabor et exultabo in te:  
psallam nomini tuo, Altis-  
sime,
4. in convertendo inimicum me-  
um retrorsum:  
infirmabuntur, et peribunt a  
facie tua.
5. quoniam fecisti iudicium me-  
um et causam meam:  
sedisti super thronum, qui  
iudicas iustitiam.
6. Increpasti gentes, et periit  
impius:  
nomen eorum delesti in æter-  
num et in sæculum sæculi.
7. Inimici defecerunt frameæ in  
finem: et civitates eorum de-  
struxisti.  
Periit memoria eorum cum  
sonitu:
8. et Dominus in æternum per-  
manet.  
Paravit in iudicio thronum  
suum:
9. et ipse iudicabit orbem terræ  
in æquitate,  
iudicabit populos in iustitia.

#### Sensus latinae Vulgatae.

Ad liturgiam sacram; — secun-  
dum „pro occultis filii“. Psalmus  
Davidis.

**C**elebraturus sum Te, Domine,  
ex toto corde meo,  
enarraturus omnia mirabilia Tua!

Lætaturus sum et exultaturus de  
Te;

psalliturus nomini Tuo, Altissime!

**E**o, quod in fugam convertisti  
inimicos meos,  
viribus destituti perierunt coram  
facie Tua.

Tu enim egisti iudicium in causa  
mea,  
consedisti in throno, — iudicans  
iuste.

**I**ncrepasti gentes, inde periit im-  
pius;  
delevisti nomen eorum in æter-  
num et in sæculum sæculi.

Frameæ inimici vires amiserunt  
in æternum;  
destruxisti enim civitates eorum,  
periit memoria eorum ad modum  
sonitus.

**D**ominus autem permanebit in  
æternum,  
stabilivit thronum suum ad exer-  
cendum iudicium.

Et ipse iudicabit orbem terræ  
æque,  
iudicabit populos iuste.

**Sonus latinae Vulgatae.**

10. Et factus est Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus in tribulatione.
11. Et sperent in te, qui novērunt nomen tuum: quoniam non dereliquisti quārentes te, Domine.
12. Psallite Domino, qui habitat in Sion: annuntiate inter gentes studia eius,
13. quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est: non est oblitus clamorem pauperum.
14. Miserere mei, Domine, vide humilitatem meam de inimicis meis:
15. qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.
16. Exultabo in salutari tuo: infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt.  
In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.
17. Cognoscetur Dominus iudicia faciens: in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.
18. Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quæ obliviscuntur Deum.
19. Quoniam non in finem oblivio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem.
20. Exsurge, Domine, non confortetur homo: iudicentur gentes in conspectu tuo.
21. Constitue, Domine, legislatorem super eos: ut sciant gentes, quoniam homines sunt.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Eritque Dominus refugium presso, adiutor temporibus tribulationis!

Et sperabunt in Te, qui novērunt nomen Tuum, quod non dereliquisti cultores Tuos, Domine.

**P**sallite Domino, qui residet in Sione; evulgate gentibus studia Eius.

Quod memor est eorum — ceu vindex sanguinis, nec obliviscitur clamoris oppressorum.

**M**iserere mei, Domine, vide afflictionem meam ex parte inimicorum meorum!

Tu enim liberabis me a portis mortis, ut valeam enarrare omnia laudabilia facta Tua in portis filiæ Sionis.

**E**xulto de auxilio Tuo. Demersæ sunt gentes in interitum, quem paraverunt, in laqueo, quem absconderunt, captus est pes eorum.

Innotuit Dominus — ius exercens; in operibus manuum suarum illaqueatus est peccator ipse.

**R**etrovertentur impii ad orcum, omnes gentes, quæ obliviscuntur Dei.

Non enim unquam dabitur oblivioni pauper, spes oppressorum numquam carebit effectu.

**S**urge, Domine, ne invalescat homo;

iudicentur gentes coram facie Tua! Constitue, Domine, super eos executorem legis, ut intelligant gentes, se esse mortales!



### Notae ad Psalmum 9.

Auctor et argumentum. Vates sacer, — David, celebrat Jehovam, gratias agens pro insigni quadam victoria de potentibus hostibus reportata.

Laudat Jehovam, quod hostes illos perfecte delevit (vers. 2.—7.); et extollit iustitiam et auxilium Eius (v. 8.—12.).

Dein insertis precibus, ut ex periculo maximo, in quo adhuc hæret, liberetur, Deum orat (v. 14.—15.). —

Iterum de hostium ruina exultat (v. 16. — ad finem).

Tempus. — Epinicius hoc exaratum est translata iam arca in Sionem (conf. vv 12. 15.).

Occasio. — Occasionem huic psalmo præbuit verosimile bellum cum Nesibenis eorumque confœderatis — Syris, Damascenis. Assyris. Edomitibus, Ammonitis et Moabitibus, ut in II. Sam. 8, 2.—12. refertur, ubi vero ultima saltem prælia obiter attinguntur. — Confer psalmos 59. et 82.

### Psalmus 10. (secundum Hebræos).

#### **Domine tuere me contra impios raptores et insidiatores.**

#### **Sonus latinae Vulgatae.**

#### **Sensus latinae Vulgatae.**

1. Utquid, Domine, recessisti longe, despicias in opportunitatibus in tribulatione?
2. Dum superbit impius, incenditur pauper:  
comprehenduntur in consiliis, quibus cogitant.
3. Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ et iniquus benedicitur.
4. Exacerbavit Dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non quæret.
5. Non est Deus in conspectu eius: inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.  
Auferuntur iudicia tua a facie eius: omnium inimicorum suorum dominabitur.
6. Dixit enim in corde suo: Non movebor a generatione in generationem, sine malo.

Quare longe recedis, o Domine, deorsum aspicias temporibus tribulatione plenis!

Per superbiam impii irritantur pauperes,  
comprehenduntur machinationibus, quas illi excogitant.

Impius enim gloriatur desideriis sensualitatis suæ,  
et iniquus benedicit sibi.

Impius exacerbavit Dominum,  
præ fastu suo magno Eum non curat.

Ex mente eius — non existit Deus; viæ eius inquinatæ sunt omni tempore;  
Iudicia Tua remota sunt ab eo; in omnes, qui se ei opponunt, dominatur.

Dicit enim in corde suo:  
„Non nutabo a generatione ad generationem,— liber ero ab adversis.“

**Sonus latinae Vulgatae.**

7. Cuius maledictione os plenum est, et amaritudine, et dolo: sub lingua eius labor et dolor.
8. Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem.
9. Oculi eius in pauperem respiciunt: insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua.  
Insidiatur, ut rapiat pauperem: rapere pauperem, dum attrahit eum.
10. In laqueo suo humiliabit eum, inclinabit se, et cadet, cum dominatus fuerit pauperum.
11. Dixit enim in corde suo: Oblitus est Deus, avertit faciem suam, ne videat in finem.
12. Exsurge, Domine Deus, exaltet manus tua: ne obliviscaris pauperum.
13. Propter quid irritavit impius Deum: Dixit enim in corde suo: Non requiret.
14. Vides, quoniam tu laborem et dolorem consideras, ut tradas eos in manus tuas.  
Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor.
15. Contere brachium peccatoris et maligni: quæretur peccatum illius, et non invenietur.
16. Dominus regnabit in æternum, et in sæculum sæculi: peribitis gentes de terra illius.
17. Desiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum audit auris tua.
18. Iudicare pupillo et humili, ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.

**Sensus latinae Vulgatae.**

**O**s eius plenum est maledictione, et amaritudine et dolo; sub lingua eius est vexatio et cruciatus.  
Sedet insidians cum divitibus in occulto, ut interficiat innocentem; Oculi eius speculantur pauperem; Insidiatur in abscondito, sicut leo in spelunca sua;  
Insidiatur, ut rapiat pauperem; rapturus pauperem attrahit eum;  
laqueo suo prosternit eum; inclinat se et procumbit; in potestate sua tenet pauperes.  
Dicit enim in corde suo: Deus obliviscitur, avertit faciem suam, ne quid unquam videat.  
**S**urge, Domine Deus! exaltetur manus Tua!  
Noli oblivisci oppressorum!  
Propter quid irritet Deum impius, dicens in corde suo: „Non quæret vindictam?“  
Tu vides illud, quoniam spectare soles vexationem et cruciatum, ut tradas eos in manus Tuas.  
Tibi se committit pauper, orphano — Tu eris adiutor.  
**C**ontere brachium impii et maligni;  
quæretur de peccato eius, ut illud esse desinat.  
Dominus regnabit in æternum et in sæculum sæculi;  
Vos gentes peribitis de terra Eius.  
Desiderium oppressorum exaudiet Dominus,  
deprecationem cordis eorum audit auris Tua —  
ad agendam causam orphani et oppressi,  
ne ultra pergat magnificare se — homo terrenus.

### Notae ad Psalmum 10. sec. Hebraeos.

Psalmus hic caret inscriptione. Latina Vulgata et Arabs iungunt iuxta græcam Alexandrinam hunc psalmum præcedenti; verum diversitas materiae substratae repugnat, ut uterque psalmus iungatur in unicum canticum.

Causante hac contractione duorum psalmorum in unicum, invenitur in Vulgata in psalmo nono bina numeratio a versu primo incipiens — nempe versus 1.—21. (hebr. psal. 9<sup>mus</sup>) + v. 1.—18. (hebr. psalm. 10<sup>mus</sup>). Eadem causa eundem effectum parit in psalmo 113<sup>tio</sup>. (Vide „Præfatio“ § 15.)

Argumentum. Auctor sacer conqueritur de iniuriis, quibus affliguntur cultores Dei ex parte hominum insolentium, rapacium et insidiosorum; qui sensualitati suae unice indulgentes, Dei existentiam et providentiam negant. Ex eo, quod Deus eos hucusque non castigavit, concludunt, se fore semper felices (v. 1.—6.) — Dein

agendi rationem divitum rapacium psaltes grafice delineat (v. 7.—11.) comparans eos cum feroci leone. Denique (v. 12.—18.) —

orat Jehovam, ut oppressos sui cultores defendat, et iniquos raptores in perniciem agat, ne terra Jehovae (Lev. 25, 23.), huiusmodi atheistis profanetur, — firmiterque sperat, Jehovam preces has esse exauditurum.

Tempus et occasio exarationis indicari nequit. Docente historia sacra et profana existebant omni tempore tales atheistæ, quorum numerus — imprimis temporibus turbulentis valde augetur.

## Psalmus 10.

### In diebus tribulationis confide Domino!

#### Sonus latinae Vulgatae.

#### Sensus latinae Vulgatae.

1. In finem, Psalmus David.

Ad liturgiam sacram; Psalmus Davidis.

2. In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ: Transmigras in montem sicut passer?

**D**omino confido;  
Quomodo potestis dicere mihi:  
„Fugias in montanum sicut passer?“

3. Quoniam, ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.

Nam, ecce, impii tendunt arcum, parant sagittas suas in pharetra, ut in obscuro sagittent rectos corde.

4. Quoniam, quæ perfecisti, destruxerunt: iustus autem quid fecit?

Etenim, quæ perfecte constituisti, destruunt;  
iustus autem — quid efficit?

**Sonus latinae Vulgatae.****Sensus latinae Vulgatae.**

- |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                  |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                         |
|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>5. Dominus in templo sancto suo:<br/>Dominus in cœlo sedes eius: oculi eius in pauperem respiciunt:<br/>palpebræ eius interrogant filios hominum.</p> <p>6. Dominus interrogat iustum et impium:<br/>qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.</p> <p>7. Pluet super peccatores lachryas:<br/>ignis et sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum.</p> <p>8. Quoniam iustus Dominus et iustitias dilexit:<br/>æquitatem vidit vultus eius.</p> | <p><b>D</b>ominus est in templo sancto suo;<br/>Domini thronus est in cœlo, oculi Eius in pauperem respiciunt,<br/>palpebræ Eius explorant filios hominum.</p> <p>Dominus probat iustum et impium;<br/>ille autem, qui diligit iniquitatem, odio habet animam suam.</p> <p>Pluere faciet super impios — lachryas;<br/>ignis et sulphur et procellæ spirantes erunt pars calicis eorum.</p> <p>Iustus enim est Dominus; inde diligit iustitiam,<br/>æquitate delectatur vultus Eius.</p> |
|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

**Notae ad Psalmum 10.**

Auctor et argumentum. Auctor psalmi huius — David — imminente periculo monetur ab amicis, ut sibi consulat fuga in montana, in quibus olim latebras habuit (1.—3.).

Hic vero amicorum consilium reiicit, fiduciam reponens in Iehovam, rerum omnium gubernatorem. — (v. 4.— ad finem.)

Tempus. Psalmus verosimile exaratus est inter initia coniurationis Absaloniticae, cuius indicia penitus celari non poterant; mentio enim fit de „intentata eversione fundamentorum ordinis legalis“. (v. 4.)

**Psalmus 11.****Oratio iusti grassante corruptione morali.****Sonus latinae Vulgatae.****Sensus latinae Vulgatae.**

- |                                                                                                                                                                   |                                                                                                                                                                          |
|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>1. In finem pro octava,<br/>Psalmus David.</p> <p>2. Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus:<br/>quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum.</p> | <p>Ad liturgiam sacram; pro octava,<br/>Psalmus Davidis.</p> <p><b>A</b>diuva me, o Domine! nam deficiunt probi,<br/>nam diminuuntur veritatem amantes ex hominibus.</p> |
|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

**Sonus latinae Vulgatae.****Sensus latinae Vulgatae.**

3. Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum:  
labia dolosa in corde et corde locuti sunt.
4. Disperdat Dominus universa labia dolosa  
et linguam magniloquam.
5. Qui dixerunt: Linguam nostram magnificabimus,  
labia nostra a nobis sunt:  
quis noster dominus est?
6. Propter miseriam inopum  
et gemitum pauperum  
nunc exurgam dicit Dominus.  
Ponam in salutari  
fiducialiter agam in eo.
7. Eloquia Domini, eloquia casta:  
argentum igne examinatum,  
probatum terræ,  
purgatum septuplum.
8. Tu, Domine, servabis nos:  
et custodies nos a generatione  
hac in æternum.
9. In circuitu impii ambulant:  
secundum altitudinem tuam  
multiplicasti filios hominum.

False loquuntur unusquisque cum proximo suo,  
labiis dolosis et corde non sincero loquuntur.

**P**erdat Dominus omnia labia dolosa

et linguam magniloquam eorum,  
qui dicunt: „Linguam nostram magnificabimus.

labia nostra sunt nobiscum: quis dominus nobis?

**P**ropter miseriam inopum  
et propter gemitum pauperum, —  
„Nunc surgam“ dicit Dominus,  
„ponam eum in salute,  
fiducialiter agam cum eo.“

Eloquia Domini sunt eloquia casta,  
velut argentum igne examinatum,  
hominibus probatum,  
purgatum septuplum.

**T**u, Domine, servabis nos,  
et custodies nos ab hoc genere in æternum.

In circuitu impii ambulant;  
secundum altissimam sapientiam  
Tuam permittis, ut ii homines multiplicentur.

**Notae ad Psalmum 11.**

Auctor sacer — David, queritur, probos et sinceros emori, et progeniem peiorem nasci (v. 2.—5.).

Iehova promittit auxilium, quod vates certissime sperat; sunt enim promissa Iehovæ sincera, purissimo argento comparanda (v. 6.—9.).

Tempus. Exaratio huius psalmi facta esse videtur:

1. Vel tempore, quo David calumniis Doëgi et similium apud Saulum impetitus, parentes suos securitatis causa in ditionem Moabiticam transportaverat, dein autem divina promissione per prophetam Gadum recreatus, in terram Iuda reversus est (I. Sam. 22, 1.—5.); — vel vero

2. eo tempore, quo quam plurimi ad Absalonem deficiebant. — (II. Sam. 15, 13. et seq.).

## Psalmus 12.

**Exaudi me, Domine!****Sonus latinae Vulgatae.**

## 1. In finem, Psalmus David.

Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem:  
usquequo avertis faciem tuam a me?

2. Quamdiu ponam consilia in anima mea,  
dolorem in corde meo per diem?

## 3. Usquequo exaltabitur inimicus meus super me?

## 4. Respice, et exaudi me, Domine, Deus meus.

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte;

## 5. ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum.

Qui tribulant me, exultabunt, si motus fuero:

## 6. ego autem in misericordia tua speravi.

Exultabit cor meum in salutari tuo:

cantabo Domino, qui bona tribuit mihi,  
et psallam nomini Domini altissimi.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — Psalmus Davidis.

**Q**uousque, Domine, oblivisceris mei prorsus!  
quousque avertes faciem Tuam a me?

Quamdiu volvam consilia in animo meo?  
mærorem in corde meo tota die?

quousque efferet se inimicus meus super me?

**R**espice et exaudi me, Domine, mi Deus!

fac, ut luceant oculi mei, ne obdormiam somnum mortis,

ne quando dicat inimicus meus: „Prævalui ei!“

adversarii mei exultant, quando nuto.

**E**go autem in gratia Tua fiduciam pono;

cor meum exultabit de auxilio Tuo,

cantabo Domino, quod benefecit mihi,

et psallam nomini Domini altissimi.

**Notae ad Psalmum 12.**

Auctor et argumentum. — Auctor psalmi huius, — David, dluturnis persecutionibus exagitatus enixe implorat auxilium divinum, simulque firmissimam suam spem et fiduciam in Iehovæ gratiam contestatur.

Occasio: Multas persecutiones passus est David sub Saulo; quæ autem earum dederit occasionem huic carmini exarando, definiri nequit.

## Psalmus 13.

**M u n d u s m a l u s .****Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem, Psalmus David.
2. Dixit insipiens in corde suo:  
Non est Deus.  
Corrupti sunt, et abominabiles  
facti sunt in studiis suis:  
non est, qui faciat bonum,  
non est usque ad unum.
2. Dominus de cœlo prospexit  
super filios hominum,  
ut videat, si est intelligens,  
aut requirens Deum.
3. Omnes declinaverunt, simul  
inutiles facti sunt:  
non est, qui faciat bonum, non  
est usque ad unum.  
Sepulcrum patens est guttur  
eorum:  
linguis suis dolose agebant:  
venenum aspidum sub labiis  
eorum.  
Quorum os maledictione  
et amaritudine plenum est,  
veloces pedes eorum ad effun-  
dendum sanguinem.  
Contritio et infelicitas in  
viis eorum,  
et viam pacis non cognoverunt:  
non est timor Dei ante oculos  
eorum.
4. Nonne cognoscent omnes, qui  
operantur iniquitatem.  
qui devorant plebem meam  
sicut escam panis?
5. Dominum non invocaverunt:  
illic trepidaverunt timore, ubi  
non erat timor.
6. Quoniam Dominus in gene-  
ratione iusta est:  
consilium inopis confudistis,  
quoniam Dominus spes eius  
est.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — Psalmus Davidis.

**D**icit insipiens in corde suo:  
„Non est Deus“.

Corrupti sunt et abominandi ob  
studia sua;

non est, qui faciat bonum, non  
est vel unus.

**D**ominus de cœlo despicit — in  
homines,

ut videat, num quis exstet sapiens  
seu quærens Deum.

**O**mnes declinaverunt, — ad  
unum corrupti sunt;

non est, qui faciat bonum, non  
est vel unus.

Sepulchrum hians est guttur  
eorum.

linguis suis dolose agunt,  
venenum aspidum est sub labiis  
eorum.

Os eorum plenum est maledic-  
tione et amaritudine;

pedes eorum veloces sunt ad ef-  
fundendum sanguinem.

Pernicies et infelicitas est in viis  
eorum,

viam enim pacis non norunt;  
non est timor Dei ante oculos  
eorum.

Numquid nemo sapiet maleficorum  
istorum,

qui devorant plebem meam instar  
panis,

Dominum non invocant!

**I**bi contremiscent timore,  
ubi non est timendum (justis);

nam Dominus est cum genere  
iusto.

Confundere voluistis consilium  
inopis,

quoniam Dominus est spes eius.

**Sonus latinae Vulgatae.**

7. Quis dabit ex Sion salutare  
Israël?  
cum averterit Dominus capti-  
vitatem plebis suæ,  
exultabit Jacob et lætabitur  
Israël.

**Sensus latinae Vulgatae.**

**U**tinam detur ex Sione salus  
Israëlis!  
Si reduxerit Dominus captivos  
plebis suæ,  
exultabit Jacob et lætabitur Is-  
raël.

**Notae ad Psalmum 13.**

**Auctor et argumentum.** Translata iam arca in Sionem (col. v. 7.), queritur — psalter regius — de impiis et potentibus oppressoribus populi (v. 4.), quibus coercendis par non erat; hinc auxilium divinum exoptat, et liberationem captivorum melioribus temporibus committit.

Si loquitur de „reductione captivorum“ (v. 7.), intelligendi sunt illi Israëlitæ, qui occasione tot bellorum, quæ David gessit, in captivitatem abducti sunt.

Quoad impios et potentes oppressores, intelliguntur non tantum hostes externi, sed huc pertinent etiam cædes Abneri et Amasæ — per Ioabum. — (II. SSam. 3, 27.—32 — 20, 8. —10. et III. Reg. 2, 5.—6.)

**Psalmus 14.**

**Iustus salvabitur in aeternum.**

**Sonus latinae Vulgatae.**

1. Psalmus David.  
Domine, quis habitat in ta-  
bernaculo tuo?  
aut quis requiescet in monte  
sancto tuo?  
2. Qui ingreditur sine macula  
et operatur iustitiam:  
3. qui loquitur veritatem in corde  
suo,  
qui non egit dolum in lingua  
sua:  
nec fecit proximo suo malum  
et opprobrium non accepit  
adversus proximos suos.  
4. Ad nihilum deductus est in  
conspectu eius malignus:  
timentes autem Dominum glo-  
rificat.  
Qui iurat proximo suo, et  
non decipit:

**Sensus latinae Vulgatae.**

Psalmus Davidis.  
**D**omine, cuinam licet habitare  
in tabernaculo Tuo?  
aut cuinam licet commorari in  
monte sancto Tuo?  
**E**i, qui ingreditur sine macula  
et operatur iustitiam,  
qui loquitur veritatem secundum  
cor suum,  
qui non agit dolose lingua sua,  
qui non facit iniuriam proximo suo:  
et qui non tolerat opprobrium  
adversus proximos suos.  
In cuius oculis nihili ducitur ma-  
lignus,  
timentes autem Dominum magni  
æstimat;  
qui iurans proximo suo eum non  
decipit,



**Sonus latinae Vulgatae.**

5. Qui pecuniam suam non dedit  
ad usuram,  
et munera super innocentem  
non accepit:  
qui facit hæc, non movebitur  
in æternum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Qui pecuniam suam non dat ad  
usuram,  
et munera adversus innocentem  
non accipit.  
Qui facit hæc, non nutabit in  
æternum.

**Notae ad Psalmum 14.**

Auctor et argumentum. — Regius psaltes, — David, — delinca-  
ideam veri cultoris Iehovæ.

Verus Dei cultor est probitatis et veracitatis studiosus, nec non  
sinceri erga homines animi.

Talis cultor est, quando ad sanctuarium accedit, Deo gratus, eritque etiam  
beatus in æternum.

Detractio et calumnia, adulatio, periurium, oppressio fenore  
(Ex 22, 24. Lev. 25, 36.) et partium studium in iudicio — cum idea veri  
cultoris Dei sociari nequeunt. (Confer verba divini Salvatoris: „Non potest  
arbor bona malos fructus facere“; — „a fructibus eorum cognoscetis eos“ etc.  
Math. 7, 16. .)

Occasio. — Occasio huius psalmi exarandi erat sine dubio solemn-  
translatio arcæ fœderis ex Kirjat-jearim in montem Sionem.

**Psalmus 15.****Deus optima pars hereditatis meae.****Sonus latinae Vulgatae.**

1. Tituli inscriptio ipsi David.  
Conserva me, Domine, quo-  
niam speravi in te.
2. Dixi Domino: Deus meus es tu,  
quoniam bonorum meorum  
non eges.
3. Sanctis, qui sunt in terra  
eius,  
mirificavit omnes voluntates  
meas in eis.
4. Multiplicatæ sunt infirmitates  
eorum: postea acceleraverunt.  
Non congregabo conventicula  
eorum de sanguinibus:  
nec memor ero nominum  
eorum per labia mea.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Monumentale carmen Davidis.  
**S**erva me, Domine, Tibi enim  
confido!  
Dico Domino: Deus meus es Tu,  
Tu enim bonorum meorum non  
eges!  
Quoad sanctos, qui versantur in  
terra Eius,  
adimplevit miro modo omnia de-  
sideria mea.  
**M**ulti sunt dolores eorum, qui  
ad ea (idola) festinant.  
Non congregabo conventus eorum  
ob sacrificia cruenta,  
nec proferam nomina eorum la-  
biis meis.

**Sonus latinae Vulgatae.**

5. Dominus pars hereditatis meae  
et calicis mei:  
tu es, qui restitues hereditatem meam mihi.
6. Funes ceciderunt mihi in præclaris:  
etenim hereditas mea præclara est mihi.
7. Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum:  
insuper et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.
8. Providebam Dominum in conspectu meo semper,  
quoniam a dexteris est mihi, ne commovear.
9. Propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea:  
insuper et caro mea requiescet in spe.
10. Quoniam non dereliques animam meam in inferno,  
nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.
11. Notas mihi fecisti vias vitæ,  
adimplebis me lætitia cum vultu tuo:  
delectationes in dextera tua usque in finem.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Dominus est hæreditas mihi tributa et calix meus,  
Tu servabis mihi hereditatem meam.

Funiculi mensorii ceciderunt mihi  
in regione præclara,  
et hereditas illa placet mihi nimis.

Laudo Dominum, eo quod docebat me;  
immo etiam noctu movent me renes mei.

Semper video coram me Dominum:  
est enim ad dexteram mihi, ne vacillem.

Propterea lætatur cor meum et  
exultat lingua mea,  
immo et caro mea secure quiescit.

Tu enim non relinques animam meam in inferno;  
nec permittes, ut sanctus tuus videat corruptionem.

Tu edoces me viam vitæ.  
imples me lætitia coram facie Tua;  
lætitia vera est ad dexteram Tuam in æternum.

**Notae ad Psalmum 15.**

Auctor et argumentum. — Regius psalter — David, — in summorum discrimine versans, contestatur, gratiam Dei esse summum bonum suum, — se fidelibus tantum Iehovæ cultoribus delectari (v. 2.—3.); — omnem autem cultum alienum aversari (v. 4.—5.); — dein sortem sibi a Deo præfinitam laudat (v. 6.)

spemque suam reponit in Deo, qui cum semper docebat et docet, et qui eum ex omnibus periculis, quæ salutem et vitæ eius minantur, eripiet æterneque beati reddet (v. 7.—11.).

Messianum huius psalmi characterem testantur Actus apostolorum (12, 25.—33.). Citatis nempe versibus 8.—11 huius psalmi dicit b. Petrus apostolus: „Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David, quoniam defunctus est, et sepultus, et sepulchrum eius est apud nos usque ad hodiernum diem. Propheta igitur cum esset, et sciret, quia iureiurando iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius sedere super sedem eius: providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem. Hunc Iesum resuscitavit Deus, cuius nos

omnes testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritus sancti accepta a Patre, effudit hunc, quem vos videtis, et auditis."

O c c a s i o exarationis indicari nequit.

## Psalmus 16.

### Domino confidit iustus persecutionem patiens.

#### Sonus latinae Vulgatae.

Oratio David.

1. Exaudi, Domine, iustitiam meam:  
intende deprecationem meam.  
Auribus percipe orationem meam, non in labiis dolosis.
2. De vultu tuo iudicium meum prodeat:  
oculi tui videant æquitates.
3. Probasti cor meum, et visitasti nocte:  
igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.
4. Ut non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum  
ego custodivi vias duras.
5. Perfice gressus meos in semitis tuis,  
ut non moveantur vestigia mea.
6. Ego clamavi, quoniam exaudivisti me Deus:  
inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.
7. Mirifica misericordias tuas,  
qui salvos facis sperantes in te.
8. A resistantibus dexteræ tuæ custodi me, ut pupillam oculi.  
Sub umbra alarum tuarum protege me:

#### Sensus latinae Vulgatae.

Oratio Davidis.

Audi, Domine, iustam rem meam,  
attende deprecationem meam!  
Auribus percipe orationem meam de labiis doli expertibus!

A Te exeat iudicium super me;  
oculi Tui vident rectissime!

Probasti cor meum, et visitasti noctu;  
igne me probasti, et — non est inventa in me iniquitas;

hanc non profert os meum.  
Quoad opera humana — ego propter præcepta labiorum Tuorum — custodivi me a viis violentis.

Fac, ut semper sint gressus mei in semitis Tuis,  
ut non vacillent pedes mei.

Ego clamo ad Te; Tu enim, O Deus, exaudis me;  
inclina aurem Tuam ad me, et audi verba mea!

Miranda redde gratiosa beneficia Tua,  
nam Tu salvos facis sperantes in Te.

Ab iis, qui dexteræ Tuæ resistunt, custodi me tamquam pupillam oculi;  
sub umbra alarum tuarum protege me —

**Sonus latinae Vulgatae.**

**Sensus latinae Vulgatae.**

- |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                             |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                       |
|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>9. a facie impiorum, qui me afflixerunt.<br/>Inimici mei animam meam circumderunt.</p> <p>10. Adipem suum concluserunt: os eorum locutum est superbiam.</p> <p>11. Proiicientes me, nunc circumdederunt me: oculos suos statuerunt declinare in terram.</p> <p>12. Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam, et sicut catulus leonis habitans in abditis.</p> <p>13. Exsurge, Domine, præveni eum et supplantam eum: eripe animam meam ab impio; frangeam tuam</p> <p>14. ab inimicis manus tuæ, Domine,<br/>a paucis de terra divide eos<br/><br/>in vita eorum: de absconditis tuis adimpletus est venter eorum. Saturati sunt filii: et dimiserunt reliquias suas parvulis suis.</p> <p>15. Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo: satiabor, cum apparuerit gloria tua.</p> | <p>ab impiis, qui me affligunt!</p> <p><b>I</b>nimici mei me circumdant;<br/>cor suum impinguatum claudunt, os eorum loquitur superbiam.</p> <p>Proiecturi me nunc circumdant me;<br/>oculis suis intendunt declinare me in terram.</p> <p>Capturi sunt me sicut leo paratus ad prædam,<br/>et sicut leo iuvenis sedens in latibulis.</p> <p><b>S</b>urge, Domine, præveni eum, et labefactam eum!<br/>eripe me homini impio, lanceam Tuam —</p> <p>inimicis potestatis Tuæ, o Domine!<br/>Ab illis, qui numero sunt pauci in terra, divelle eos!<br/>Quamdiu vivunt, impletus est venter eorum thesauris Tuis;<br/>abundant filii,<br/>et relinquunt abundantiam suam liberis suis.</p> <p>Ego autem iustus cognoscar in conspectu Tuo;<br/>satiabor, cum apparuerit gloria Tua!</p> |
|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

**Notae ad Psalmum 16.**

**Auctor et argumentum.** — Auctor huius psalmi — David — patiens persecutionem ex parte hostium implacabilium, fastuosorum, insidiosorum, bonis omnibus affluentium et ad voluptatem omnia referentium — testatur innocentiam suam, opemque Dei implorat.

Summæ consolationi est ei firma fides, iustos fore aeternae beatos in altera vita (v. 15.).

**Tempus et occasio.** — Psalmus hic exaratus est absque dubio illo tempore, quo Saul Davidem persequabatur: propius autem quid determinari nequit. —

## Psalmus 17.

**Gratiarum actio pro victoria veritati concessa.****Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem puero Domini David, qui locutus est Domino verba cantici huius. in die, qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius, et de manu Saul, et dixit:

2. Diligam te, Domine, fortitudo mea:

3. Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus.

Deus meus adiutor meus, et sperabo in eum.

Protector meus, et cornu salutis meae, et susceptor meus.

4. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

5. Circumdederunt me dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturbaverunt me.

6. Dolores inferni circumdederunt me: praecupaverunt me laquei mortis.

7. In tribulatione mea invocavi Dominum, et ad Deum meum clamavi. Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam et clamor meus in conspectu eius introivit in aures eius.

8. Commota est et contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, et commota sunt, quoniam iratus est eis.

9. Ascendit fumus in ira eius, et ignis a facie eius exarsit: carbonem succensi sunt ab eo.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram. — A servo Domini, Davide, qui locutus est ad Dominum verba cantici huius, cum eripisset eum Dominus e manu omnium inimicorum eius et e manu Sauli; dixit enim:

**D**iligo Te, Domine, robur meum!

Dominus est arx mea et refugium meum et liberator meus.

Deus meus est adiutor meus, cui confido; —

Protector meus, cornu salvans me et defensor meus.

Laudans invoco Dominum, nam ab inimicis meis liberatus sum.

**C**ingebant me dolores mortis, et torrentes iniqui turbabant me.

Dolores orci cingebant me, laquei mortiferi occupabant me.

In tribulatione mea invocabam Dominum, et ad Deum meum clamabam. Qui audivit e templo sancto suo vocem meam, et clamor meus coram Eo — per venit ad aures Eius.

**C**ommota est et contremuit terra; fundamenta montium conturbata sunt et commota; — nam iratus est eis.

Fumus ascendit ex naribus Eius et ignis ardens ex ore Eius exibat; prunae exardebant ex Eo.

**Sonus latinae Vulgatae.**

10. Inclinavit cœlos et descendit:  
et caligo sub pedibus eius.
11. Et ascendit super Cherubim,  
et volavit:  
volavit super pennas ventorum.
12. Et posuit tenebras latibulum  
suum  
in circuitu eius tabernaculum  
eius: tenebrosa aqua in nu-  
bibus aëris.
13. Præ fulgore in conspectu eius  
nubes transierunt,  
grando et carbones ignis.
14. Et intonuit de cœlo Dominus,  
et Altissimus dedit vocem  
suam:  
grando et carbones ignis.
15. Et misit sagittas suas, et dis-  
sipavit eos:  
fulgura multiplicavit, et con-  
turbavit eos.
16. Et apparuerunt fontes aquarum,  
et revelata sunt fundamenta  
orbis terrarum:  
ab increpatione tua, Do-  
mine:  
ab inspiratione spiritus iræ  
tuæ.
17. Misit de summo et accepit me:  
et assumsit me de aquis  
multis.
18. Eripuit me de inimicis meis  
fortissimis,  
et ab his, qui oderunt me: quo-  
niam confortati sunt super me.
19. Prævenerunt me in die afflic-  
tionis meæ:  
et factus est Dominus pro-  
tector meus.
20. Et eduxit me in latitudi-  
nem:  
salvum me fecit, quoniam  
voluit me.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Inclinans cœlos — descendit,  
et atra nubes sub pedibus Eius.
- E**t vectus super Cherubo vo-  
lavit; —  
volavit super alis ventorum.
- Tenebras fecit — latibulum  
suum;  
tabernaculum Eius erat in cir-  
cuitu Eius —  
tenebræ aquosæ in nubibus aëris.
- Ex fulgore coram Eo prorumpe-  
bant per nubes —  
grando et prunæ ignis.
- E**t tonuit in cœlo Dominus,  
et Altissimus dedit vocem  
suam, —  
grandinem et prunas ignis.
- E**t emisit sagittas suas et dissi-  
pavit eos,  
fulgura multiplicavit et contur-  
bavit eos.
- Et apparuerunt fundi aquarum,  
et resecta sunt fundamenta orbis  
terrarum —  
propter increpationem Tuam, o  
Domine.  
propter anhelitum spirantis iræ  
Tuæ.
- E**xtendens (manum) de alto pre-  
hendit me;  
et extraxit me ex aquis magnis.
- Eripuit me ex inimicis meis for-  
tissimis,  
et ex osoribus meis, quoniam va-  
lidiore erant me.
- Irruerunt in me tempore mihi ca-  
lamitoso;  
sed Dominus factus est protector  
meus.
- Et eduxit me in spatium am-  
plum,  
salvum me fecit, quoniam delec-  
tabatur me.

**Sonus latinae Vulgatae.**

21. Et retribuet mihi Dominus  
secundum iustitiam meam,  
et secundum puritatem ma-  
nuum mearum retribuet mihi.
22. quia custodivi vias Domini,  
  
nec impie gessi a Deo meo.
23. Quoniam omnia iudicia eius  
in conspectu meo:  
et iustitias eius non repuli  
a me.
24. Et ero immaculatus cum eo,  
et observabo me ab iniquitate  
mea.
25. Et tribuet mihi Dominus secun-  
dum iustitiam meam,  
et secundum puritatem ma-  
nuum mearum in conspectu  
oculorum eius.
26. Cum sancto sanctus eris,  
et cum viro innocente inno-  
cens eris:
27. et cum electo electus eris,  
et cum perverso perverteris:
28. quoniam tu populum humilem,  
salvum facies,  
et oculos superborum humi-  
liabis.
29. Quoniam tu illuminas lucer:  
nam meam Domine:  
Deus meus illumina tenebras  
meas.
30. Quoniam in Te eripiar a ten-  
tatione,  
et in Deo meo transgrediar  
murum.
31. Deus meus, impolluta via  
eius:  
eloquia Domini igne exami-  
nata:  
protector est omnium speran-  
tium in se.
32. Quoniam quis Deus præter  
Dominum?  
aut quis Deus præter Deum  
nostrum?

**Sensus latinae Vulgatae.**

Retribuit mihi Dominus secundum  
iustitiam meam,  
et secundum puritatem manuum  
mearum rependit mihi.

**N**am custodiebam vias Do-  
mini,  
nec impie defeci a Deo meo.

Omnia enim statuta Eius coram  
me sunt,  
et leges Eius non removebam  
a me.

Sed fui sincerus erga Eum,  
et cavi mihi, ne quid iniqui age-  
rem.

Propterea retribuit mihi Dominus  
secundum iustitiam meam,  
et secundum puritatem manuum  
mearum coram oculis Eius.

**B**enigno exhibes Te benignum,  
et erga sincerum exhibes Te  
sincerum.

Candido exhibes Te candidum,  
et cum perverso agis secundum  
perversitatem eius.

**T**u sane populum oppressum  
adiuvas,  
et oculos superbos humilias.

Tu sane vis, ut luceat lucerna  
mea. Domine;  
Deus mi, collustra tenebras meas!

Per Te sane eripior ab agresso-  
ribus,  
et per Deum meum transilio  
murum.

**Q**uod Deum meum attinet, im-  
polluta est via Eius;  
verba Domini igne sunt exami-  
nata;

Ille est protector omnium, qui  
sperant in Eum.

Etenim quisnam est Deus præter  
Dominum?  
aut quis est Deus præter Deum  
nostrum?

**Sonus latinae Vulgatae.**

33. Deus, qui præcinxit me virtute, et posuit immaculatam viam meam:
34. qui perfecit pedes meos tamquam cervorum,  
et super excelsa statuens me:
35. qui docet manus meas ad prælium.  
Et posuisti ut arcum æreum brachia mea.
36. Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ:  
et dextera tua suscepit me.  
Et disciplina tua correxit me in finem, et disciplina tua ipsa me docebit.
37. Dilatasti gressus meos subtus me:  
et non sunt infirmata vestigia mea.
38. Persequar inimicos meos, et comprehendam illos:  
et non convertar. donec deficiant.
39. Confringam illos, nec poterunt stare:  
cadent subtus pedes meos.
40. Et præcinxisti me virtute ad bellum,  
et supplantasti insurgentes in me subtus me.
41. Et inimicos meos dedisti mihi dorsum,  
et odientes me disperdidisti.
42. Clamaverunt, nec erat, qui salvos faceret, ad Dominum: nec exaudivit eos.
43. Et comminam eos, ut pulverem ante faciem venti:  
ut lutum platearum delebo eos.
44. Eripies me de contradictionibus populi:  
constituēs me in caput gentium.
45. Populus, quem non cognovi, servivit mihi:  
in auditu auris obedivit mihi.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- I**pse est ille Deus, qui cinxit me robore,  
et tutam fecit viam meam,  
Qui reddidit pedes meos ut pedes cervorum,  
et in excelsis locis stare me fecit.  
Qui instituit manus meas ad prælium;  
Tu enim fecisti ut arcum æneum brachia mea.
- T**u dedisti mihi etiam protectionem Tuam salvificam,  
dextera enim Tua protexit me.  
Insuper regit me institutio Tua assidue,  
et disciplina Tua ipsa me docet.  
Tu liberos fecisti gressus meos sub me,  
et non sunt debilitata vestigia mea.
- Persecutus sum inimicos meos et comprehendi illos;  
nec reversus sum, donec defecissent.  
Confregi illos, nec poterant stare:  
ceciderunt sub pedes meos.
- T**u enim cinxisti me robore ad bellum,  
et sub me prostravisti eos, qui adversus me surrexerunt.  
Et inimicos meos fecisti mihi dorsum præbentes  
et osos meos perdidisti.
- Clamaverunt, nec erat, qui liberaret eos;  
— ad Dominum, nec audivit eos.  
Et comminui eos sicut pulverem coram vento,  
ut lutum platearum comminui eos.
- T**u eripuisti me e litibus civilibus,  
constituisti me caput gentium;  
Populus, quem non novi, servit mihi;  
ad auditum auris obedit mihi.



**Sonus latinae Vulgatae.**

46. Filii alieni mentiti sunt mihi,  
filii alieni inveterati sunt, et  
claudicaverunt a semitis suis.
47. Vivit Dominus et benedictus  
Deus meus,  
et exaltetur Deus salutis meæ.
48. Deus, qui das vindictas mihi,  
  
et subdis populos sub me:  
liberator meus de inimicis  
meis iracundis.
49. Et ab insurgentibus in me  
exaltabis me:  
a viro iniquo eripies me.
50. Propterea confitebor tibi in  
nationibus, Domine:  
et nomini Tuo psalmum dicam,
51. magnificans salutes regis eius,  
  
et faciens misericordiam christo suo  
David, et semini eius usque  
in sæculum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Alienigenæ adulabantur mihi,  
alienigenæ confecti sunt  
et claudicaverunt in semitis suis.

Vivat Dominus et benedictus sit  
Deus meus,  
et exaltetur Deus, salvator meus!  
Tu es ille Deus, qui concessisti  
vindictam mihi,  
et populos sub me subiecisti;  
liberator meus ab inimicis meis  
iracundis.

Immo et super adversarios meos  
elevasti me,  
a viro iniquo eripuisti me.

Propterea celebrabo Te inter  
nationes, Domine,  
et canam nomini Tuo.

Ipse enim magnifice curat salutem  
regis sui,  
et benevolentiam præstitit uncto  
suo —  
Davidi et semini eius in perpetuum.

**Notæ ad Psalmum 17.**

Auctorem et tempus exarationis huius psalmi indicat inscriptio; compositus est psalmus hic a Davide longius ætate provento, quum omnes hostes superasset.

Argumentum. — Regius psaltes effert laudibus Iehovam, qui cultorem sui sincerum ex summis liberavit periculis. Prædicatio lati auxilii et laudes Iehovæ repetuntur.

**Psalmus 18.****Gloriam Dei prædicat mundus visibilis et spiritualis.****Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem, Psalmus David.
2. Cœli enarrant gloriam Dei,  
et opera manuum eius annuntiat firmamentum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram. — Psalmus Davidis.

Cœli enarrant gloriam Dei,  
et opera manuum Eius prædicat firmamentum.

**Sonus latinae Vulgatae.**

3. Dies diei cruetat verbum,  
et nox nocti indicat scientiam.
4. Non sunt loquelæ, neque sermones,  
quorum non audiantur voces eorum.
5. In omnem terram exivit sonus eorum,  
et in fines orbis terræ verba eorum.
6. In sole posuit tabernaculum suum,  
et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo,  
exultavit ut gigas ad currendam viam.
7. A summo cœlo egressio eius;  
et occursum eius usque ad summum eius;  
nec est, qui se abscondat a calore eius.
8. Lex Domini immaculata convertens animas,  
testimonium Domini fidele,  
sapientiam præstans parvulis.
9. Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda;  
præceptum Domini lucidum illuminans oculos.
10. Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi;  
iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa;
11. Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum,  
et dulciora super mel et favum.
12. Etenim servus tuus custodit ea,  
in custodiendis illis retributio multa.
13. Delicta quis intelligit?  
ab occultis meis munda me;
14. et ab alienis parce servo tuo.  
Si mei non fuerint dominati,  
tunc immaculatus ero,  
et emundabor a delicto maximo.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Dies nuntiat diei dictum,  
et nox indicat nocti scientiam.
- Non sunt dicta illa, neque verba illa eiusmodi,  
quorum sonus non audiatur.
- I**n universam terram exit sonus eorum,  
et in fines terræ verba eorum.
- Ipse posuit tabernaculum suum in sole,  
qui — tamquam sponsus procedens de thalamo suo — lætatur instar herois, currere viam.
- Ab extremis cœlis est ortus eius,  
et cursus eius ad fines eorum oppositos,  
et nihil est, quod se abscondat a calore eius.
- L**ex Domini est perfecta, — re-creat animas;  
effatum Domini est fidum; — sapientiam præstat imperitis.
- Instituta Domini sunt recta; — lætificant corda;  
præceptum Domini est clarum; illuminat oculos.
- Cultus Domino exhibendus est sanctus, permanebit in æternum;  
iudicia Domini sunt vera, sunt simul iusta.
- Desiderabiliora sunt auro et multo lapide pretioso;  
et dulciora melle et favo.
- E**tiam servus Tuus custodit ea;  
in custodiendis illis est retributio magna.
- Errationum indeliberatarum quisnam conscius esse poterit?  
ab iis, quæ inscius deliqui, munda me!
- A peccatis autem deliberatis serva servum Tuum!  
Si mei non fuerint dominata, tunc immaculatus ero,  
et mundatus a delicto maximo.

**Sonus latinae Vulgatae.**

15. Et erunt, ut complacent eloquia oris mei: et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper Domine adiutor meus et redemptor meus.

**Sensus latinae Vulgatae.**

**B**eneplaceant eloquia oris mei et desideria cordis mei semper coram Te,  
o Domine! mi adiutor et mi redemptor!

**Notae ad Psalmum 18.**

Auctor et argumentum. — Regius psalter, — David, canit in prima huius psalmi parte (v. 2.—7.) admirandam Dei gloriam, qualis in cœlorum opificio i. e. in universo mundo spectabili sese manifestat (v. 8.—15.).

In altera autem (v. 8.—18.) parte laudibus celebrat praestantiam legis divinae.

Tempus. — Quando auctor sacer psalmum hunc exaraverit, determinari nequit. —

**Psalmus 19.****Oratio pro rege tempore belli.****Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem, Psalmus David.
2. Exaudiat te Dominus in die tribulationis:  
protegat te nomen Dei Jacob.
3. Mittat tibi auxilium de sancto et de Sion tueatur te.
4. Memor sit omnis sacrificii tui:  
et holocaustum tuum pingue fiat.
5. Tribuat tibi secundum cor tuum, et omne consilium tuum confirmet.
6. Lætabimur in salutari tuo:  
et in nomine Dei nostri magnificabimur
7. Impleat Dominus omnes petitiones tuas:  
Nunc cognovi, quoniam salvum fecit Dominus christum suum.  
Exaudiet illum de cœlo sancto suo:  
in potentatibus salus dexteræ eius.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — Psalmus Davidis.

**E**xaudiat te Dominus die angustiarum;  
protegat te nomen Dei Jacobi!  
Mittat tibi auxilium de sacrario,  
et ex Sione tueatur te!  
Memor sit omnium sacrificiorum tuorum,  
et holocaustum tuum sit Ei pingue ( beneplacitum)!  
Tribuat tibi secundum cor tuum,  
et omne desiderium tuum impleat!

Lætabimur de auxilio tuo,  
nam potentia Dei nostri magnificabimur.

Dominus impleat omnia desideria tua! —

**I**am scio, Dominum adiuvare  
unctum suum;

Ipse exaudiet eum de cœlo suo sancto;  
in omnipotentia dexteræ Eius est salus.

**Sonus latinae Vulgatae.**

**Sensus latinae Vulgatae.**

8. Hi in curribus, et hi in equis:  
nos autem in nomine Domini  
Dei nostri invocabimus.
9. Ipsi obligati sunt, et cecide-  
runt: nos autem surreximus  
et erecti sumus.
10. Domine, salvum fac regem,  
et exaudi nos in die, qua  
invocaverimus te.

**H**i — curribus, isti — equis,  
nos autem gloriamur — no-  
mine Domini, Dei nostri.  
**I**lli ligantur et cadunt,  
nos autem surgimus et erecti  
stamus.  
Domine, adiuva regem!  
et exaudi nos, quum invocamus  
Te!

**Notae ad Psalmum 19.**

**Argumentum.** Psalmus hic complectitur votum populi pro rege  
ad bellum proficiscente (v. 2—6.), sequitur —  
responsum regis (v. 7.); dein adducuntur  
rursus verba populi (v. 8.—10.).

**Auctor** est David, qui translata iam in montem Sionem arca (v. 3.)  
hunc psalmum exaravit ad usum publicum, ut Hebraei tempore belli illum de-  
cantantes se excitarent ad fiduciam in Iehovam, et demum victoriam adepti gratias  
Deo agerent.

**Psalmus 20.**

**Gratiarum actio pro auxilio regi praestito.**

**Sonus latinae Vulgatae.**

**Sensus latinae Vulgatae.**

1. In finem, Psalmus David.
2. Domine, in virtute tua læta-  
bitur rex,  
et super salutare tuum exul-  
tabit vehementer
3. Desiderium cordis eius tri-  
buisti ei, et voluntate labi-  
orum eius non fraudasti eum.
4. Quoniam prævenisti eum in  
benedictionibus dulcedinis:  
posuisti in capite eius cora-  
nam de lapide pretioso.
5. Vitam petiit a te: et tribuisti  
ei longitudinem dierum in sæ-  
culum et in sæculum sæculi.

Ad liturgiam sacram; — Psalmus  
Davidis.

**D**omine, de potentia Tua læ-  
tatur rex,  
et de auxilio Tuo exultat vehe-  
menter!

Desiderium cordis eius tribuisti ei,  
et petitionem labiorum eius non  
repudiasti.

**T**u enim prævenisti eum bene-  
ficiis dulcibus,  
imposuisti capiti eius coronam  
de lapide pretioso.

Vitam petiit a Te, et dedisti ei  
vitam longam —  
in sæculum et in sæculum sæculi.

**Sonus latinae Vulgatae.**

6. Magna est gloria eius in salutari tuo:  
gloriam et magnum decorem impones super eum.
7. Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.
8. Quoniam rex sperat in Domino, et in misericordia Altissimi non commovebitur.
9. Inveniatur manus Tua omnibus inimicis tuis:  
dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.
10. Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui:  
Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis.
11. Fructum eorum de terra perdes, et semen eorum a filiis hominum,
12. quoniam declinaverunt in te mala,  
cogitaverunt consilia,  
quæ non potuerunt stabilire,
13. Quoniam pones eos dorsum: in relinquis tuis præparabis vultum eorum.
14. Exaltare, Domine, in virtute tua;  
cantabimus et psallemus virtutes tuas.

**Sensus latinae Vulgatae.**

**M**agna est gloria eius ob auxilium Tuum;  
gloriam et magnum decorem ponis super eum.

Nam Tu facis eum fontem benedictionis in perpetuum;  
Tu facis, ut gaudio lætetur coram facie Tua.

Rex sane sperat in Domino, et ob gratiam Altissimi non nutabit.

**M**anus tua persentietur ab omnibus inimicis tuis,  
dextera tua assequetur omnes, qui te oderunt.

Facies eos instar clibani ignei cum apparuerit facies tua;  
Dominus in ira sua turbabit eos et ignis eos devorabit:

Posteriores eorum de terra perdes, et semen eorum de hominibus.

**Q**uamvis eo tendunt, ut mala in te inclinent,  
et dolos excogitant; —  
non poterunt eos effectui dare.

Tu enim facies, ut terga dent, cum male tractaveris nervis tuis facies eorum.

**E**leva Te, o Domine, potentiâ Tua!  
cantabimus et fidibus celebrabimus heroica facta Tua.

**Notae ad Psalmum 20.**

**Auctor et argumentum.** Psalmus hic a Davide exaratus, est epinicius seu gratiarum actio populi pro auxilio regi in bello præstito, nec non pro ceteris magnificis beneficiis, quibus Iehova regem cumulavit (v. 2.—8.).

**Dein profert populus spem novarum victoriarum, imploratque tutelam Iehovæ** (v. 9.—14.).

**Occasio et tempus.** De occasione et tempore exarationis nil certi statui potest.

## Psalmus 21.

### Consummatum est.

#### Sonus latinae Vulgatae.

1. In finem  
pro susceptione matutina,  
psalmus David.
2. Deus, Deus meus, respice in  
me: quare me dereliquisti?  
Longe a salute mea  
verba delictorum meorum.
3. Deus meus, clamabo per diem  
et non exaudies:  
et nocte, et non ad insipien-  
tiam mihi.
4. Tu autem in sancto habitas,  
laus Israël.
5. In te speraverunt patres nostri:  
speraverunt, et liberasti eos.
6. Ad te clamaverunt, et salvi  
facti sunt:  
in te speraverunt, et non sunt  
confusi.
7. Ego autem sum vermis et  
non homo:  
opprobrium hominum, et ab-  
iectio plebis.
8. Omnes videntes me, derise-  
runt me: locuti sunt labiis,  
et moverunt caput.
9. Speravit in Domino, eripiat  
eum:  
salvum faciat eum, quoniam  
vult eum.
10. Quoniam tu es, qui extraxisti  
me de ventre, spes mea ab  
uberibus matris meæ.
11. In te proiectus sum ex  
utero:  
de ventre matris meæ Deus  
meus es tu,

#### Sensus latinae Vulgatae.

Ad liturgiam sacram; —  
pro susceptione sacrificii matutini.  
Psalmus Davidis.

**D**eus! Deus mi! respice in me,  
cur me deseris!  
remotus es ab auxilio mihi fe-  
rendo — ob delicta mihi expi-  
anda!

Deus mi, clamo interdiu; sed non  
audis;  
et noctu; ne, quæso, imputetur  
mihi hoc ad insipientiam!

**E**t tamen Tu in sanctuario re-  
sides —  
laus Israël!

In Te sperabant patres nostri,  
in Te sperabant, et liberasti eos.

Ad Te clamabant et salvi facti  
sunt;  
in Te sperabant, et non sunt  
pudefacti.

**E**go vero vermiculus sum et non  
homo,  
opprobrium hominum et abiectus  
a plebe.

Quicumque me adspiciunt, derident  
me,  
diducunt labia, et nutant capite:  
„Speravit in Domino, — eripiat  
eum,  
salvum faciat eum, si delectatur  
eo.“

**S**ane Tu eduxisti me ex utero,  
Tu es spes mea ab uberibus  
matris meæ.

In te proiectus sum inde a nati-  
vitate, —  
ab utero matris meæ Deus meus  
es Tu.

**Sonus latinae Vulgatae.**

12. ne discesseris a me: quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est, qui adiuvet.
13. Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me.
14. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens et rugiens.
15. Sicut aqua effusus sum: et dispersa sunt omnia ossa mea.  
Factum est cor meum tamquam cera  
liquefscens in medio ventris mei.
16. Aruit tamquam testa virtus mea,  
et lingua mea adhæsit faucibus meis; et in pulverem mortis deduxisti me.
17. Quoniam circumdederunt me canes multi: consilium malignantium obsedit me:  
Foderunt manus meas et pedes meos:
18. dinumeraverunt omnia ossa mea.  
Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me:
19. diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.
20. Tu autem Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me: ad defensionem meam conspice.
21. Erue a framea, Deus, animam meam: et de manu canis unicam meam.
22. Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatatem meam.
23. Narrabo nomen tuum fratribus meis:  
in medio ecclesiæ laudabo te.
24. Qui timetis Dominum, laudate eum:  
universum semen Jacob glorificate eum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Ne discedas a me, quoniam tribulatio est proxima,  
quoniam non est, qui adiuvet!  
Circumdant me vituli multi,  
tauri pingues me obsident.  
Distendunt contra me os suum,  
ut leo rapturus et rugiens.  
**E**ffusus sum instar aquæ,  
et omnia ossa mea se diiungunt;  
cor meum factum est tamquam cera,  
liquefit inter viscera mea.  
Vis mea vitalis exaruit tamquam testa,  
et lingua mea adhæret palato meo;  
ad humum ergo mortis disponis me.
- Q**uoniam circumdant me canes multi,  
turba malignantium me obsidet;  
perfoderunt manus meas et pedes meos.  
Dinumerare possent omnia ossa mea.  
Ipsi vero considerant, — et cum voluptate intuentur me.  
Distribuunt vestimenta mea inter se, et de veste mea iaciunt sortem.
- S**ed Tu, Domine, ne elonges auxilium Tuum a me,  
conspice ad defensionem meam!  
Eripe a gladio animam meam,  
a manu canum unicam meam!
- Salva me ex ore leonis,  
et a cornibus bubalorum — me humiliatum!
- A**nnuntiabo nomen Tuum fratribus meis,  
in media concione Te laudabo.  
„Quicumque colitis Dominum, colaudate Eum,  
omnis progenies Jacobi glorificate Eum!

**Sonus latinae Vulgatae.**

25. Timeat eum omne semen Iſ-  
raël,  
quoniam non sprexit, neque  
despexit deprecationem pau-  
peris; nec avertit faciem suam  
a me, et cum clamarem ad  
eum, exaudivit me.
26. Apud te laus mea in ecclesia  
magna:  
vota mea reddam in conspectu  
timentium eum.
27. Edent pauperes, et satura-  
buntur,  
et laudabunt Dominum, qui  
requirunt eum:  
vivent corda eorum in sæ-  
culum sæculi.
28. Remiscentur et convertentur  
ad Dominum universi fines  
terræ,  
et adorabunt in conspectu eius  
universæ familiæ gentium.
29. Quoniam Domini est regnum  
et ipse dominabitur gentium.
30. Manducaverunt et adoraverunt  
omnes pingues terræ:  
in conspectu eius cadent om-  
nes, qui descendunt in terram.
31. Et anima mea illi vivet,  
  
et semen meum serviet ipsi.
32. Annuntiabitur Domino gene-  
ratio ventura:  
et annuntiabunt cœli iustitiam  
eius populo, qui nascetur,  
quem fecit Dominus.

**Sensus latinae Vulgatae.**

revereantur Eum omnes posteri  
Israëlis!“  
„Quoniam non sprexit neque de-  
spexit deprecationem afflicti,  
neque avertit faciem suam a me;  
sed, cum clamarem ad Eum, ex-  
audivit me.“  
De Te agat laus mea in conci-  
one plenaria;  
vota mea persolvam in conspectu  
timentium Eum  
Convivabuntur pauperes ad satie-  
tatem,  
et laudabunt Dominum ii, qui  
quærunť Eum;  
Corda eorum vivent in æternum.

**R**ecordabuntur et convertent se  
ad Dominum omnes termini  
terræ,  
et prosternent se coram Eo omnes  
familiæ gentium;  
nam Domini est regnum,  
et Ipse dominabitur gentibus.  
Edent et adorabunt omnes opu-  
lenti terræ,  
coram Eo procident omnes, qui  
descendunt in pulverem.  
Et anima mea in honorem Eius  
vivet,  
et semen meum serviet Ei.  
De Domino narrabitur generationi  
venturæ,  
et cœli nuntiabunt iustitiam Eius  
populo, qui nascetur;  
Dominus enim eum redemit.

**Notae ad Psalmum 21.**

Auctor et argumentum. — Psalmus hic, — exclusive Messi-  
anus (vide „Præfatio“ §. 20.) —  
est vaticinium de Christi Domini passione (v. 2.—22.) et  
de fructu huius passionis (v. 23 —32.).

Regius psaltes — David, supernaturali lumine illustratus, ex persona  
Messiae in hoc psalmo loquens, depingit in I. parte vividis coloribus atroces  
cruciatuſ, quos Christus Dominus ex parte hostium suorum perpessurus, nec  
non extremam animi anxietatem, quam experturus erat. —



In II. parte exponit lætos passionis Dominicae fructus, qui communicabuntur hominibus in Ecclesia a divino Salvatore fundanda. Eam ingredientur omnes gentes (v. 28.), in ea reficientur sacra Eucharistia cuiusvis conditionis membra sine discrimine, tam magnates et divites, quam subditi et pauperes (v. 30.).

Memoria divini Salvatoris in Ecclesia Eius in aeternum durabit, et quælibet generatio lætum de redemptione nuntium sequenti iuniori generationi annuntiabit (v. 32.).

Psalmum hunc esse exclusive Messianum extra omne dubium collocatur — effato Salvatoris ipsius et Apostolorum, — consensu omnium interpretum christianorum, — ipsiusque Ecclesiae decisionibus. —

Ipsi quoque Iudaei antiquiores non negarunt, Messiam hoc psalmo spectari; recentiores tamen psalmum hunc de tristi nationis suae statu interpretari amant, ut frangant vim argumentorum, quæ Christiani ex eodem derivarunt.

Plura etiam in hoc psalmo inveniuntur, quæ sunt prorsus aliena ab historia Davidis, vel cuiusvis alterius personæ; cum his autem, quæ Christus Dominus cruci affixus passus et locutus est, mire conspirant; veluti cum persona in hoc psalmo loquens sistitur manibus et pedibus confossa (v. 17.), inimici vestibus potiti, easque inter se partiti dicuntur (v. 19.); insuper verba, quibus inimici inducti utuntur (v. 9.), cum iis verbis, quibus Christum Dominum in cruce pendentem Iudaei subsannarunt, plane conveniunt (Matth. 27, 43.): quin imo ipse Salvator, in cruce moriens prima psalmi nostri verba protulisse in evangeliiis legitur (Matth. 27, 46.; Marc 15, 34.).

Tempus. — Qua occasione et quo tempore David psalmum hunc exaraverit, definiri non potest. —

## Psalmus 22.

### P a s t o r b o n u s .

#### Sonus latinae Vulgatae.

Psalmus David.

1. Dominus regit me et nihil mihi deerit.
2. in loco pascuæ ibi me collocavit.  
Super aquam refectionis educavit me:
3. Animam meam convertit.  
Deduxit me super semitas iustitiæ propter nomen suum.

#### Sensus latinae Vulgatae.

Psalmus Davidis.

- D**ominus regit me, et nihil mihi deest.
- in loco pascuo ibi me collocat,  
ad aquam reficientem nutrit me.
- Animam meam recreat;  
ducit me in semitis rectis  
propter gloriam suam.

**Sonus latinae Vulgatae.****Sensus latinae Vulgatae.**

4. Nam etsi ambulavero in medio umbræ mortis,  
non timebo mala, quoniam tu mecum es.  
Virga tua, et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.
5. Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.  
Impinguasti in oleo caput meum: et calix meus inebrians, quam præclarus est!
6. Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ, et ut inhabitem in domo Domini,  
in longitudinem dierum.

**E**tiam, quum ambulo in umbra mortem minante,  
non timeo mala, quoniam Tu mecum es.  
Sceptrum Tuum, et baculus Tuus, — illa me consolantur.

Tu paras coram me mensam in conspectu eorum, qui tribulant me;  
large ungis oleo caput meum, et poculus meus redundans — quam præclarus est!

**E**t gratia Tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ, ut habitare possim in domo Domini  
in tempus vitæ.

**Notae ad Psalmum 22.**

**Auctor et argumentum.** — Auctor huius psalmi David contestatur fiduciam suam in Deum et gratias agit pro tutela divina.

**Tempus.** — Collato v. 5<sup>to</sup> exaravit David psalmum hunc, quum fugitivus ab Absalone trans Iordanem recessisset; verosimile eo tempore, quum illi in locis desertis inter medios hostes summa inopia rerum necessariorum conflictanti „Sobi, Machir et Berzellaj obtulissent stratoria et tapetia et vasa fictilia, frumentum, hordeum et farinam, et polentam et fabam et lentem et fruxum cicer et mel et butyrum, oves et pingues vitulos; — suspicati enim sunt, „populum eius fame et siti fatigari in deserto“. (II. Sam 17, 27.—29.)

**Psalmus 23.****Parati exspectate adventum Domini gloriosum!****Sonus latinae Vulgatae.****Sensus latinae Vulgatae.**

1. Prima sabbati, Psalmus David.

Prima sabbati, Psalmus Davidis.

(Chorus ad radicem montis Sion.)

Domini est terra et plenitudo ejus,  
orbis terrarum, et universi, qui habitant in eo.

**D**omini est terra et quod implet eam,  
orbis terrarum et universi, qui habitant in eo.

**Sonus latinae Vulgatae.**

2. Quia ipse super maria fundavit eum,  
et super flumina præparavit eum.
  3. Quis ascendet in montem Domini?  
aut quis stabit in loco sancto ejus?
  4. Innocens manibus et mundo corde,  
qui non accepit in vano animam suam,  
nec juravit in dolo proximo suo.
  5. Hic accipiet benedictionem a Domino,  
et misericordiam a Deo salutari suo.
  6. Hæc est generatio quærentium eum,  
quærentium faciem Dei Jacob.
  7. Attollite portas, principes, vestras,  
et elevamini portæ æternales:  
et introibit rex gloriæ.
  8. Quis est iste rex gloriæ?
- Dominus fortis et potens,  
Dominus potens in prælio.
9. Attolite portas, principes, vestras,  
et elevamini portæ æternales  
et introibit rex gloriæ.
  10. Quis est iste rex gloriæ?

Dominus virtutum ipse est  
rex gloriæ.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Nam Ipse super maria fundavit eam,  
et super flumina firmavit eam.

(Vox prima.)

**C**ui licet ascendere in montem Domini,  
et cui licet stare in loco sancto Ejus?

(Vox secunda.)

**I**lli, qui est insontibus manibus  
et puro corde,  
qui non effert animum suum ad malum,  
nec dolose jurat proximo suo.

(Chorus.)

**I**s accipiet benedictionem a Domino,  
et justam mercedem a Deo salvatore suo.

Hoc est genus eorum, qui colunt Eum,  
qui quærent faciem Dei Jacobi!

(Chorus ad arcem Sion.)

**A**ttolite portas, principes, vestras,  
et attolite vos portæ perantiquæ,  
ut introeat rex gloriæ!

(Vox in portis arcis.)

**Q**uis est iste rex gloriæ?

(Chorus.)

**D**ominus fortis et potens,  
Dominus potens in prælio.

**A**ttollite portas, principes, vestras,  
et attollite vos portæ perantiquæ,  
ut introeat rex gloriæ!

(Vox a portis.)

**Q**uis est iste rex gloriæ?

(Chorus.)

**D**ominus exercituum,  
Ille est — rex gloriæ.

**Notae ad Psalmum 23.**

Auctor, argumentum et tempus. — Regius psaltes — David — exaravit huncce psalmum verosimile ante translationem arcæ fœderis in montem Sion, ut occasione solennis translationis — triumphalis ingressus Domini — per choros decantaretur. — Pulchre bina vice evocantur portæ sacri tentorii, ut, quum sint humiliores, quam ut augustissimum numen capere possint, sese attollant (v. 7. et 9.)

---

**Psalmus 24.**

**Domino! miserere mei!**

**Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem, Psalmus David.

Ad te, Domine, levavi animam meam:

2. Deus meus, in te confido, non erubescam:

3. neque irrideant me inimici mei:

etenim universi, qui sustinent te, non confundentur.

4. Confundantur omnes iniqua agentes supervacue,

Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas doce me.

5. Dirige me in veritate tua et doce me,

quia tu es Deus salvator meus, et te sustinui tota die

6. Reminiscere miserationum tuarum,

Domine, et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt.

7. Delicta iuventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris.

Secundum misericordiam Tuam memento mei tu:

propter bonitatem Tuam, Domine.

8. Dulcis et rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — Psalmus Davidis.

**A**d Te, Domine, levo mentem meam:

Deus mi, Tibi confido, ne permittas, ut erubescam;

Ne permittas, ut irrideant me inimici mei;

etenim nemo eorum, qui in Te sperant, confundetur.

Confundentur omnes illi, qui temere iniqua agunt.

**F**ac, Domine, ut noscam vias Tuas et semitas Tuas doce me!

Fac, ut incedam in veritate Tua et doce me;

nam Tu es Deus salvator meus, in Te spero quotidie!

**R**ecordare miserationum Tuarum,

o Domine, et gratiarum Tuarum, quæ sunt inde ab æterno!

Peccatorum iuventutis meæ et delictorum meorum ne sis memor;

secundum gratiam Tuam memor sis mei,

propter benignitatem Tuam, o Domine!

**B**enignus et fidelis est Dominus: propterea instituit peccatores in vivendi ratione.

**Sonus latinae Vulgatae.**

9. Diriget mansuetos in iudicio:  
docebit mites vias suas.
10. Universæ viæ Domini, misericordia et veritas,  
requirentibus testamenta eius  
et testimonia eius.
11. Propter nomen tuum, Domine,  
propitiaberis peccato meo: multum est enim.
12. Quis est homo, qui timet Dominum?  
legem statuit ei in via, quam elegit.
13. Anima eius in bonis demorabitur,  
et semen eius hereditabit terram.
14. Firmamentum est Dominus timentibus eum:  
et testamentum eius, ut manifestetur illis.
15. Oculi mei semper ad Dominum:  
quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.
16. Respice in me, et miserere mei,  
quia unicus et pauper sum ego.
17. Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt:  
de necessitatibus meis erue me.
18. Vide humilitatem meam et laborem meum:  
et dimitte universa delicta mea.
19. Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt,  
et odio iniquo oderunt me.
20. Custodi animam meam et erue me:  
non erubescam, quoniam speravi in te.
11. Innocentes et recti adhæserunt mihi,  
quia sustinui te.
22. Libera, Deus, Israël, ex omnibus tribulationibus suis.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Facit, ut humiles incedant recte;  
demissos docet vias suas.

**O**mnes viæ Domini sunt gratiosæ et fideles  
iis, qui servant fœdus, id est præcepta Eius.

Propter nomen Tuum, o Domine,  
condona culpam meam;  
magna est enim!

**Q**uicumque timet Dominum;  
eum Ipse instituit in via,  
quam eligat.

Anima eius in felicitate habitat,  
et semen eius possidebit terram

Firma arx est Dominus iis, qui  
Eum timent;  
nam fœdus Eius est ad edocendos eos.

**O**culi mei continuo directi sunt  
ad Dominum;  
Ille enim evellet e laqueo pedes meos.

Respice ad me et miserere mei;  
nam derelictus sum et afflictus,

Angustiæ cordis mei multiplicatæ sunt,  
erue me ex pressuris meis!

**I**ntuere afflictionem meam et miseriam meam,  
et condona mihi omnia peccata mea!

Vide inimicos meos, quod numerosi sunt,  
et quod odio iniquo persequuntur me!

Custodi animam meam et erue me,  
noli permittere, ut pudore suffundar,  
nam in Te spero!

**I**nnocentes et recti adhærent mihi,  
quia in Te spem colloco!

Libera, o Deus, Israël,  
ex omnibus angustiis eius!

### Notae ad Psalmum 24.

**Auctor et argumentum.** — Psalmi huius alphabetici auctor — David — exponit firmam fiduciam suam in Deum, et laudibus extollit mandata divina, quæ custodire exoptat.

Inde rogat, ut Deus eum doceat rationem recte agendi, et ut ei remittat delicta, quæ malorum omnium causam esse probe scit.

Simul implorat pro se et pro toto populo auxilium divinum contra hostes suos.

**Tempus et occasio.** — De tempore et occasione exarationis huius psalmi nil certi dici potest.

### Psalmus 25.

#### Cor purum desiderat frequentare templum Domini.

##### Sonus latinae Vulgatae.

##### 1. In finem, Psalmus David.

Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum:  
et in Domino sperans non infirmabor.

##### 2. Proba me, Domine, et tenta me: ure renes meos et cor meum.

##### 3. Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, et complacui in veritate tua,

##### 4. non sedi cum concilio vanitatis: et cum iniqua gerentibus non introibo.

##### 5. Odivi ecclesiam malignantium: et cum impiis non sedabo.

##### 6. Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine,

##### 7. ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia Tua.

##### Sensus latinae Vulgatae.

Ad liturgiam sacram; — Psalmus Davidis.

**A**ge causam meam, Domine, nam innocenter ambulo,

et in Dominum spero, minime fluctuans!

Examina me, Domine, et explora me:  
igne proba renes meos et cor meum!

Nam gratia Tua coram oculis meis est,  
et complaceo in veritate Tua.

**C**um hominibus malis non consideo,  
et cum iniqua gerentibus non ambulo.

Odio habeo cœtum maleficorum,  
et cum impiis non sedeo.

Cum innocentibus lavare possum manus meas,  
et circumire altare Tuum, o Domine!

Ut audiam laudes  
et enarrem universa mirabilia Tua.

**Sonus latinae Vulgatae.**

8. Domine, dilexi decorem domus tuæ,  
et locum habitationis gloriæ tuæ.
9. Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam,  
et cum viris sanguinum vitam meam:
10. in quorum manibus iniquitates sunt:  
dextera eorum repleta est muneribus.
11. Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me et miserere mei.
12. Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te, Domine.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Domine, diligo domum Tuam decoram,  
et locum, in quo gloria Tua habitat.
- N**e permittas, o Deus, ut pereat simul cum impiis anima mea,  
et cum hominibus sanguinolentis vita mea!
- Nam in manibus eorum sunt iniquitates;  
dextera eorum plena est muneribus.
- Ego vero innocenter ambulo —  
Libera me, et miserere mei!
- Pes meus stat in via recta,  
in concionibus celebrabo Te, Domine!

**Notae ad Psalmum 25.**

**Auctor et argumentum.** Auctor psalmi — David — provocans ad Dei iudicium testatur suum probitatis studium et implorat tutelam divinam.

**Tempus.** — Psalmus hic exaratus est verosimile tempore persecutionum Sauli, quin propius quid de occasione determinari possit.

**Nota.** — Versus 6.—12. huius psalmi orat sacerdos, Sacrificium Missæ celebrans, ad lotionem manuum. Qui manus lavat, innocentem se declarat. — Psalter alludit ad lotionem manuum in Lege præscriptam (Deut. 21, 1.—9.) senioribus civitatis, in cuius vicinia inventum est cadaver hominis occisi, et homicida detegi non poterat. Hoc in casu dare debebat civitas ista vaccam, quæ numquam iugum portavit; hanc seniores ad fluvium adductam — in substitutionem hominis, — scilicet hominicide, mactabant ita, ut sanguis in fluvium descenderet et aquis auferretur. Hoc facto præsentibus sacerdotibus seniores manus in fluvio lavantes dicebant: „Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt“; scilicet effundi (id est: Nemo nostrum istud homicidium patravit, et nemo nostrum vidit illum homicidam). „Propitius esto Domine populo Tuo!“

Psalmus 26.

**Qui Deo confidit, nulla re perturbatur.**

**Sonus latinae Vulgatae.**

1. Psalmus David, priusquam liniretur.

Dominus illuminatio mea,  
et salus mea, quem timebo?  
Dominus protector vitæ meæ,  
a quo trepidabo?

2. Dum appropiant super me nocentes,  
ut edant carnes meas. Qui  
tribulant me inimici mei, ipsi  
infirmati sunt et ceciderunt.

3. Si consistent adversum me castra,  
non timebit cor meum.  
Si exsurgat adversum me prælium,  
in hoc ego sperabo.

4. Unam petii a Domino: hanc  
requiram, ut inhabitem in do-  
mo Domini omnibus diebus  
vitæ meæ:  
ut videam voluptatem Domini,  
et visitem templum eius.

5. Quoniam abscondit me in ta-  
bernaculo suo:  
in die malorum protexit me in  
abscondito tabernaculi sui.

6. In petra exaltavit me,  
et nunc exaltavit caput meum  
super inimicos meos.  
Circuivi et immolavi in ta-  
bernaculo eius hostiam vociferationis:  
cantabo, et psallam Domino.

7. Exaudi, Domine, vocem meam,  
qua clamavi ad te:  
miserere mei, et exaudi me.

8. Tibi dixit cor meum,  
exquisivit te facies mea:  
faciem tuam, Domine, requiram.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Psalmus Davidis, priusquam ungebatur.

**D**ominus est lux mea et salus  
mea, a quo timebo?  
Dominus est protector vitæ meæ,  
a quo trepidabo?

Cum appropinquant contra me  
malefici,  
ut comedant carnem meam;  
inimici mei, qui tribulant me,  
infirmi fiunt et cadunt.

Etiam si contra me castra consi-  
stant, —  
cor meum nequaquam timet.  
Etiam si surgat contra me bel-  
lum, —  
hoc minime obstante spem habeo.

**U**num peto a Domino, hoc quæro,  
ut liceat mihi habitare in  
domo Domini omnes dies vitæ  
meæ,  
ut fruam benignitate Domini,  
et delecter in templo Eius.

Abscondit enim me in tabernaculo  
suo;  
tempore calamitoso protegit me  
in latibulo tabernaculi sui.

In petram efferet me;  
et sic elevabit caput meum super  
inimicos meos;  
Circuibō (altare) immolans in ta-  
bernaculo Eius hostias laudis,  
canam et psallam Domino.  
(conf. 25, 6.).

**A**udi, Domine, vocem meam,  
cum ad Te clamo,  
miserere mei et exaudi me!

Te alloquitur cor meum,  
Te quærit oculus meus;  
faciem Tuam Domine, ego quæro.



**Sonus latinae Vulgatae.****Sensus latinae Vulgatae.**

- |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                          |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                           |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>9. Ne avertas faciem tuam a me:<br/>ne declines in ira a servo<br/>tuo.<br/>Adiutor meus esto: ne dere-<br/>linquas me,<br/>neque despicias me, Deus sa-<br/>lutaris meus.</p> <p>10. Quoniam pater meus et mater<br/>mea dereliquerunt me: Do-<br/>minus autem assumpsit me.</p> <p>11. Legem pone mihi Domine, in<br/>via tua et dirige me in se-<br/>mitam rectam propter inimi-<br/>cos meos.</p> <p>12. Ne tradideris me in animas<br/>tribulantium me,<br/>quoniam insurrexerunt in me<br/>testes iniqui et mentita est<br/>iniquitas sibi.</p> <p>13. Credo videre bona Domini<br/>in terra viventium.</p> <p>14. Expecta Dominum,<br/>viriliter age: et confortetur<br/>cor tuum,<br/>et sustine Dominum.</p> | <p>Ne avertas faciem Tuam a me,<br/>ne declines in ira a servo<br/>Tuo!<br/>Adiutor meus esto, ne derelinquas<br/>me,<br/>neque despicias me, Deus, mi<br/>salvator!</p> <p>Nam pater meus et mater mea<br/>dereliquerunt me,<br/>sed Dominus me recipiet.</p> <p>Doce me, Domine, viam Tuam,<br/>et duc me in semita recta —<br/>propter inimicos meos!</p> <p>Ne tradas me libidini adversari-<br/>orum meorum!<br/>nam surrexerunt in me testes<br/>falsi,<br/>et iniquus sibi ipsi mentitur.</p> <p>Spero me experturum esse be-<br/>nignitatem Domini<br/>in terra inter vivos.</p> <p>Spera in Dominum!<br/>Viriliter age et confortetur cor<br/>tuum,<br/>et spera in Dominum!</p> |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

**Notae ad Psalmum 26.**

**Auctor et argumentum.** — Auctor psalmi huius — David — profi-  
tetur firmam fiduciam suam in tutelam divinam, nec non —  
ardens desiderium, ut sibi deinceps liceat versari in tabernaculo sacro  
inde adiungit preces, ut Iehova ipsum ab infensissimis adversariis  
defendat.

**Tempus.** — Psalmum hunc David exarasse videtur in fuga sua a Saulo  
(I. Sam. 21.) antequam patrem et matrem ad se recepisset (I. Sam. 22, 1.—3.).

## Psalmus 27.

### **Adiuva me, Domine!**

#### **Sonus latinae Vulgatae.**

1. Psalmus, ipsi David.  
Ad te Domine, clamabo:  
Deus meus, ne sileas a me:  
  
ne quando taceas a me,  
et assimilabor descendentibus  
in lacum.
2. Exaudi, Domine, vocem de-  
precationis meæ, dum oro ad te:  
dum extollo manus meas ad  
templum sanctum Tuum.
3. Ne simul trahas me cum pec-  
catoribus: et cum operantibus  
iniquitatem ne perdas me,  
qui loquuntur pacem cum pro-  
ximo suo,  
mala autem in cordibus eorum.
4. Da illis secundum opera eo-  
rum,  
et secundum nequitiam adin-  
ventionum ipsorum.  
Secundum opera manuum eo-  
rum, tribue illis:  
redde retributionem eorum  
ipsis.
5. Quoniam non intellexerunt  
opera Domini: et in opera  
manuum eius destrues illos,  
et non ædificabis eos.
6. Benedictus Dominus,  
quoniam exaudivit vocem de-  
precationis meæ.
7. Dominus adiutor meus, et pro-  
tector meus:  
in ipso speravit cor meum et  
adiutus sum.  
Et refluoruit caro mea:  
et ex voluntate mea confite-  
bor ei.

#### **Sensus latinae Vulgatae.**

Psalmus Davidis.

**A**d Te, Domine, clamo,  
Deus mi, ne silens avertas  
Te a me!

ne, quando tacens recesseris a me,  
ego similis reddar illis, qui des-  
cendunt in sepulchrum!

Exaudi vocem meam deprecantem,  
quum oro ad Te,  
quum elevo manus meas ad tem-  
plum Tuum sanctum!

Ne abripias me cum peccatoribus;  
neve permittas, ut peream cum  
maleficis,  
qui loquuntur verba amica cum  
proximo suo,  
et tamen mala intentio est in  
cordibus eorum!

Repende eis secundum opera eo-  
rum  
et secundum nequitiam facino-  
rum eorum;  
repende eis secundum opera ma-  
nuum eorum;  
repende eis actionem eorum!

Ii enim non curant facta Domini,  
neque opera manuum Eius. —  
Tu destrues eos et non ædificabis  
eos.

**B**enedictus sit Dominus,  
qui exaudivit vocem meam  
deprecantem!

Dominus est adiutor meus et pro-  
tector meus;  
in Eum confidit cor meum, et —  
adiutus sum,  
et reflorescit caro mea;  
propterea celebraz Eum libentis-  
sime.

**Sonus latinae Vulgatae.****Sensus latinae Vulgatae.**

- |                                                                                                                                                                                                                                 |                                                                                                                                                                                                                             |
|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>8. Dominus fortitudo plebis suæ:<br/>et protector salvationum christi<br/>sui est.</p> <p>9. Salvum fac populum Tuum,<br/>Domine,<br/>et benedic hereditati tuæ:<br/>et rege eos, et extolle illos<br/>usque in æternum.</p> | <p>Dominus est robur plebis suæ,<br/>et protector certissime salvans<br/>unctum suum.</p> <p>Salvum fac populum Tuum, Do-<br/>mine,<br/>et benedic hereditati Tuæ,<br/>et rege eos et extolle eos usque<br/>in æternum!</p> |
|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

**Notae ad Psalmum 27.**

Auctor et argumentum. — Psaltes regius — David — implorat opem divinam, ne instante calamitate una cum improbis descendat in sepulchrum.

Firmiter sperans, preces suas exaudiendas esse, concludit cum gratiarum actione, et oratione pro populo.

Tempus. — Quia auctor in summo capitis discrimine versatur (v. 1.), referendus ét Psalmus hic ad rebellionem Absalonis.

**Psalmus 28.****Dei potentiam et maiestatem ostendunt tonitrua.****Sonus latinae Vulgatae.****Sensus latinae Vulgatae.**

- |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                               |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                           |
|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>1. Psalmus David, In consumatione tabernaculi.<br/>Afferte Domino, filii Dei,<br/>afferte Domino filios arietum:</p> <p>2. afferte Domino gloriam et honorem,<br/>afferte Domino gloriam nomini eius:<br/>adorate Dominum in atrio sancto eius.</p> <p>3. Vox Domini super aquas,<br/><br/>Deus maiestatis intonuit:<br/>Dominus super aquas multas.</p> <p>4. Vox Domini in virtute:<br/>vox Domini in magnificentia.</p> | <p>Psalmus Davidis; — ad finem festi tabernaculorum.</p> <p>Afferte Domino, cultores Dei,<br/>afferte Domino — agnos!</p> <p>Date Domino gloriam et honorem,<br/>date Domino honorem nomine Eius dignum;<br/>adorate Dominum in atrio Eius sancto!</p> <p>Vox Domini personat super aquas,<br/>tonat Deus gloriosus, —<br/>Dominus super aquas magnas.</p> <p>Vox Domini est prævalida,<br/>vox Domini est magnifica.</p> |
|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

| <b>Sonus latinae Vulgatae.</b>                                                                         | <b>Sensus latinae Vulgatae.</b>                                                                                                 |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| 5. Vox Domini confringentis cedros:<br>et confringet Dominus cedros Libani:                            | Vox Domini frangit cedros,<br>immo cedros Libani confringit Dominus,                                                            |
| 6. et comminuet eas tamquam vitulum Libani:<br>et dilectus quemadmodum filius unicornium.              | et comminuit eas — sicut in Libano vitulum,<br>etsi aestimetur quemadmodum iuvencus bubali.                                     |
| 7. Vox Domini intercidentis flammam ignis.                                                             | Vox Domini findit flammam igneam.                                                                                               |
| 8. Vox Domini concutientis desertum;<br>et commovebit Dominus desertum Cades.                          | Vox Domini tremere facit desertum,<br>Dominus tremere facit desertum Cades.                                                     |
| 9. Vox Domini præparantis cervos,<br>et revelabit condensa:<br>et in templo eius omnes dicent gloriam. | Vox Domini facit cervas parere, (ante tempus):<br>denudat etiam condensa nemora;<br>sed in templo Eius cuncti dicunt: „Gloria“. |
| 10. Dominus diluvium inhabitare fecit:<br>et sedebit Dominus rex in æternum.                           | Dominus fecit, ut diluvium appareret,<br>et Dominus sedet rex in æternum.                                                       |
| 11. Dominus virtutem populo suo dabit:<br>Dominus benedicet populo suo in pace.                        | Dominus robur dabit populo suo;<br>Dominus fortunabit populum suum salute.                                                      |

### Notae ad Psalmum 28.

Auctor et argumentum. — Regius psalter — David — celebrat modo sublimi Iehovæ potentiam et maiestatem, quæ se imprimis in tempestate per tonitrua, „vox Domini“, fulgera et ingentem aquarum molem sistit terribilem atque venerandam.

Tempus. — De tempore exarationis huius cantici nil certi dici potest.

## Psalmus 29.

**Gratiarum actio pro liberatione ex periculo letali.****Sonus latinae Vulgatae.**

1. Psalmus cantici in dedicatione domus David.
2. Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me:  
nec delectasti inimicos meos super me.
3. Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me.
4. Domine eduxisti ab inferno animam meam:  
salvastis me a descendentibus in lacum.
5. Psallite Domino sancti eius: et confitemini memoriæ sanctitatis eius.
6. Quontam ira in indignatione eius,  
et vita in voluntate eius.  
Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia.
7. Ego autem dixi in abundantia mea:  
Non movebor in æternum.
8. Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.  
Avertisti faciem tuam a me et factus sum conturbatus.
9. Ad te, Domine, clamabo, et ad Deum meum deprecabor.
10. Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?
11. Audivit Dominus, et misertus est mei;  
Dominus factus est adiutor meus.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Psalmus. — Canticum in dedicanda domo; — a Davide.

**E**xalto Te Domine, quod protexisti me,  
et quod non concessisti, ut lætentur inimici mei de me!

Domine, Deus mi! ad te clamabam et sanasti me!

Domine! Tu eduxisti ex inferno animam meam:  
conservasti me vivum inter illos, qui descenderunt in sepulchrum.

**C**anite Domino, cultores Eius, et celebrate memoriam Eius sanctam!

Castigat enim, si indignatio Eius excitatur,  
et a gratia Eius pendet vita;  
vespere devertit fletus,  
et mane iubilum.

**E**go vero, cum essem in abundantia, cogitabam:  
„Non nutabo unquam“.

O Domine! gratiâ Tua præstitisti dignitati meæ firmitatem;  
quando vero faciem Tuam a me avertisti, perturbatus fui.

**A**d Te, Domine, clamabam, et Deum meum deprecabar.

„Quid lucri est in sanguine meo, si descendero in sepulchrum?  
nunc celebrabit Te pulvis,  
aut prædicabit fidem Tuam?“

Audivit Dominus et misertus est mei:  
Dominus fuit adiutor meus.

**Sonus latinae Vulgatae.**

12. Convertisti planctum meum in  
gaudium mihi:  
conscidisti saccum meum et  
circumdedisti me lætitia:  
13. ut cantet tibi gloria mea, et  
non compungar: Domine Deus  
meus, in æternum confitebor  
tibi.

**Sensus latinae Vulgatae.**

**T**u convertisti planctum meum  
in gaudium,  
solvisti saccum meum et cinxisti  
me lætitia,  
ut cantet Tibi anima mea, nec  
tristis conticescam.  
Domine, Deus mi, in æternum ce-  
lebrabo Te!

**Notae ad Psalmum 29.**

**A**uctor et argumentum. — David e præsentissimo mortis periculo liberatus, Deo gratias agit.

**T**empus — Quia inscriptio canticum hoc „ad dedicationem domus“ refert; videtur hoc designari dedicatio montis Moria ad locum templi post illam pestem, quæ in II. Sam. 24., refertur.

**Psalmus 30.****Oratio pii summis in angustiis versantis.****Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem Psalmus David, pro  
extasi.  
2. In te, Domine, speravi,  
non confundar in æternum:  
in iustitia tua libera me.  
3. Inclina ad me aurem tuam:  
accelera, ut eruas me.  
Esto mihi in Deum protecto-  
rem,  
et in domum refugii, ut sal-  
vum me facias.  
4. Quoniam fortitudo mea, et re-  
fugium meum es tu:  
et propter nomen tuum de-  
duces me et enutries me.  
5. Educes me de laqueo hoc,  
quem absconderunt mihi:  
quoniam tu es protector meus.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — Psalmus  
Davidis; — pro consternatione.

**I**n Te, Domine, spero; —  
Ne pudore afficiar unquam!  
Pro iustitia Tua libera me!

Inclina ad me aurem Tuam,  
celeriter libera me!  
Esto mihi Deus protector,  
et domus refugii — ad salvandum  
me!

**N**am fortitudo mea et refugium  
meum es Tu,  
et propter gloriam Tuam deduces  
me et enutries me.

Educes me de laqueo hoc, quem  
absconderunt mihi;  
nam Tu es protector meus.

**Sonus latinae Vulgatae.**

6. In manus Tuas commendo spiritum meum:  
redemisti me, Domine Deus veritatis.
7. Odisti observantes vanitates supervacue.  
Ego autem in Domino speravi.
8. exultabo et lætabor in misericordia tua.  
Quoniam respexisti humilitatem meam,  
salvast de necessitatibus animam meam.
9. Nec conclusisti me in manibus inimici,  
statuisti in loco spatioso pedes meos.
10. Miserere mei, Domine, quoniam tribulor:  
conturbatus est in ira oculus meus,  
anima mea et venter meus.
11. quoniam defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus.  
Infirmata est in paupertate virtus mea,  
et ossa mea conturbata sunt.
12. Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium,  
et vicinis meis valde:  
et timor notis meis.  
  
Qui videbant me, foras fugerunt a me:
13. oblivioni datus sum, tamquam mortuus a corde.  
Factus sum tamquam vas perditum:
14. quoniam audivi vituperationem multorum  
commorantium in circuitu.  
In eo, dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt.
15. Ego autem in te speravi, Domine,  
dixi: Deus meus es tu:

**Sensus latinae Vulgatae**

In manus Tuas commendo spiritum meum;  
Tu me liberabis, Domine, Deus fidelis!  
Odio habes eos, qui colunt idola vana;  
ego vero in Domino spem colloco.  
Exultabo et lætabor de gratia Tua,  
quod respexeris miseriam meam,  
et salvaveris ex angustiis animam meam;  
nec tradideris me in manus inimici,  
et quod posueris pedes meos in spatium amplum.  
**M**iserere mei Domine, nam tribulor!  
moerore marcescit oculus meus,  
anima mea et corpus meum;  
moerore enim absumitur vita mea,  
et gemitibus — anni mei;  
miseriâ frangitur — vis mea,  
et ossa mea contabescunt.  
Ob permultos inimicos meos sum in opprobrium —  
etiam vicinis meis valde,  
et familiaribus meis sum in terrorem;  
Qui me foris conspiciunt, — fugiunt me.  
**T**rador oblivioni e corde sicut mortuus;  
sum instar vasis fracti;  
nam audio vituperationem a multis,  
qui in circuitu commorantur; —  
Cum contra me conveniunt una, —  
deliberant de auferenda vita mea.  
Ego autem in Te fiduciam pono,  
o Domine!  
dico: „Deus meus es Tu“!

**Sonus latinae Vulgatae.**

16. in manibus tuis sortes meæ.  
Eripe me de manu inimicorum meorum, et a persecutoribus meis.
17. Illustra faciem tuam super servum tuum,  
salvum me fac in misericordia tua.
18. Domine, non confundar, quoniam invocavi te.  
Erubescant impii et deducantur in infernum.
19. muta fiant labia dolosa,  
quæ loquuntur adversus iustum iniquitatem  
in superbia et in abusione.
20. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine,  
quam abscondisti timentibus te.  
Perficisti eis, qui sperant in te,  
in conspectu filiorum hominum.
21. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum.  
Proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum.
22. Benedictus Dominus,  
quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.
23. Ego autem dixi in excessu mentis meæ:  
Proiectus sum a facie oculorum tuorum.  
Ideo exaudisti vocem orationis meæ  
dum clamarem ad te.
24. Diligite Dominum omnes sancti eius:  
quoniam veritatem requirit Dominus,  
et retribuet abundanter facientibus superbiam.
25. Viriliter agite, et confortetur cor vestrum,  
omnes, qui speratis in Domino!

**Sensus latinae Vulgatae.**

- In manibus Tuis sunt fata mea;  
eripe me de manu inimicorum meorum et a persecutoribus meis!
- Illustra faciem Tuam super servum Tuum!  
salvum fac me per gratiam Tuam!
- Domine, noli permittere, ut confundar, nam invoco Te!  
pudore afficiantur impii et deducantur in infernum!
- Obmutescant labia dolosa,  
quæ loquuntur contra iustum — inique,  
cum fastu et contemptu!
- Q**uam magna est exuberans benignitas Tua,  
quam asservasti timentibus Te,  
quam paras sperantibus in Te — in conspectu hominum!  
Tu abscondis eos velamine vultus Tui a machinis hominum;  
protegis eos in tabernaculo Tuo a linguis rixosis.
- Benedictus sit Dominus,  
quod miram præstitit mihi benevolentiam in urbe munita!
- Ego quidem cogitaveram in consternatione mea:  
„proiectus sum a conspectu oculorum Tuorum.“  
Verum Tu exaudisti vocem orationis meæ,  
cum clamarem ad Te.
- Diligite Dominum omnes cultores Eius!  
Fidelitatem enim quærit Dominus;  
eis autem, qui superbe agunt, reppendit abunde.
- Viriliter agite et confortetur cor vestrum, —  
omnes, qui speratis in Domino!



### Notae ad Psalmum 30.

**Auctor et argumentum.** — David summis in angustiis versans, implorat auxilium divinum, et profitetur fiduciam suam firmam in Iehovæ tutelam (v. 2.—9.).

**Modo describit mala,** quæ experitur et repetit preces suas (v. 10 —19.).

**Ad finem gratias Deo agit** pro periculo averso, et exhortatur pios ad fiduciam in Iehova collocandam.

**Tempus et occasio.** — Quod occasionem et tempus exarationis huius psalmi attinet; — congruit materia substrata illis, quæ in I. Sam. cap. 23<sup>to</sup> narrantur.

**Nota.** — Verbis versus 6<sup>ti</sup> „in manus Tuas commendo spiritum meum“ usus est Dominus noster in cruce, quibus prolatis exspiravit (Luc. 23, 46.).

### Psalmus 31. (II. poenitentialis).

**Confitearis peccata tua Domino! — remittentur tibi.**

#### Sonus latinae Vulgatae.

#### Sensus latinae Vulgatae.

1. Ipsi David, intellectus.  
Beati, quorum remissæ sunt iniquitates,  
et quorum tecta sunt peccata.

Davidis carmen didacticum.  
**B**eati, quibus remissæ sunt iniquitates,  
quibus condonata sunt peccata!

2. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum,  
nec est in spiritu eius dolus.

Beatus homo, cui Dominus peccatum non imputat,  
et in cuius corde dolus non invenitur!

3. Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea,  
dum clamarem tota die.

**Q**uamdiu conticui, marcescebant ossa mea,  
cum gemerem per totam diem.

4. Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua,  
conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Nam diu noctuque graviter incumbebat mihi manus Tua,  
vertebam me in miseria mea instar illius, qui configitur spina.

5. Delictum meum cognitum tibi feci,  
et iniustitiam meam non abscondi:

Peccatum meum Tibi confessus sum,  
et culpam meam non celavi;

Dixi: Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino:  
et tu remisisti impietatem peccati mei.

Dixi: „Confitear iniustitiam meam Domino!“  
et Tu — remisisti culpam peccati mei.

**Sonus latinae Vulgatae.**

6. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.
7. Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea, erue me a circumdantibus me.
8. Intellectum tibi dabo, et instruem te in via hac, qua gradieris:  
firmabo super te oculos meos.
9. Nolite fieri sicut equus et mulus,  
quibus non est intellectus.  
In camo et freno maxillas eorum constringe,  
qui non approximant ad te.
10. Multa flagella peccatoris:  
sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.
11. Lætamini in Domino et exultate iusti,  
et gloriamini omnes recti corde.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Propterea oret ad Te omnis cultor tempore opportuno!  
talem certe inundationis tempore aquæ magnæ non attingent.

Tu es refugium mihi in tribulatione, quæ circumdat me;  
Tu es causa exultationis meæ;  
erue me ab iis, qui cingunt me!

Edoceam te, et instituem te in via, quam ireas;

dirigam in te oculos meos.

Ne sitis instar equi, vel instar muli,  
quibus non est intellectus;  
eorum maxillas camo et freno constringere necesse est,  
secus non appropinquant ad te.

Multa flagella sunt peccatori;  
illum autem, qui sperat in Domino, gratiâ circumdat.

Lætamini de Domino et exultate iusti;  
et gloriamini omnes recti cordis!

**Notae ad Psalmum 31.**

Auctor et argumentum. — David — celebrat felicitatem eorum, quibus Deus condonavit peccata (v. 1.—2.);

dein delineat miseram conditionem suam, priusquam ingenua delictorum confessione remissionem culpæ assecutus est (v. 3.—5.).

Inserta exhortatione ad Deum pie colendum, qui est firmissimum in angustiis munimentum, (v. 6. et 7.), monet ad ingenuam et spontaneam delictorum confessionem; comparans peccatorem, qui variis calamitatibus et flagellis demum a Deo ad confessionem adigitur, — animalibus irrationalibus, — equo et mulo, quos freno et capistro constringere necesse est, secus non obediunt (v. 8.—12.).

Finem imponit gratulatio iustorum.

Tempus et occasio. — Psalmus hic referendus est absque dubio ad illud tempus, quum Davidi peccatum confesso, legatus Iehovæ, propheta Nathan annuntiavit condonationem culpæ, verbis: „Dominus — transtulit peccatum tuum“ (vide II. Sam. 12, 13.).

## Psalmus 32.

**Laudate Dominum, Ipse est omnipotens  
et benignissimus!****Sonus latinae Vulgatae.**

1. Psalmus David.  
Exultate iusti in Domino;  
rectos decet collaudatio.
2. Confitemi Domino in cithara:  
in psalterio decem chordarum  
psallite illi.
3. Cantate ei canticum novum:  
bene psallite ei in vocifera-  
tione.
4. Quia rectum est verbum Do-  
mini,  
et omnia opera eius in fide.
5. Diligit misericordiam et iudi-  
cium:  
misericordia Domini plena est  
terra.
6. Verbo Domini coeli firmati  
sunt,  
et spiritu oris eius omnis  
virtus eorum.
7. Congregans sicut in utre aquas  
maris;  
ponens in thesauris abyssos.
8. Timeat Dominum omnis terra,  
ab eo autem commoveantur  
omnes inhabitantes orbem.
9. Quoniam ipse dixit, et facta  
sunt:  
ipse mandavit, et creata sunt.
10. Dominus dissipat consilia gen-  
tium,  
reprobat autem cogitationes  
populorum, et reprobat con-  
silia principum.
11. Consilium autem Domini in  
æternum manet,  
cogitationes cordis eius in  
generatione et generationem.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Psalmus Davidis.

**E**xultate iusti de Domino!  
probos decet laudatio.Celebrate Dominum cum cithara,  
cum psalterio decem chordarum  
canite Ei!Canite Ei canticum novum;  
psallite in honorem Eius solem-  
niter!**Q**uia sincerum est verbum Do-  
mini,  
et omnis agendi ratio Eius est  
fida.

Diligit iustitiam et ius,

gratiâ Domini plena est terra.

**V**erbo Domini firmati sunt cœli,  
et spiritu oris Eius omnis or-  
natus eorum.Congregat sicut in utre — aquas  
maris,  
et reponit tamquam in recepta-  
culis — fluctus.**T**imeat Dominum omnis terra,  
revereantur Eum omnes in-  
habitantes orbem!

Quoniam Ipse dixit et facta sunt,

Ipse mandavit et creata sunt.

**D**ominus irrita facit consilia gen-  
tium;  
reprobat enim cogitata populorum,  
reprobat etiam consilia principum.Consilium autem Domini manet  
in æternum;  
cogitationes cordis Eius stabunt  
per omnes generationes.

**Sonus latinae Vulgatae.**

12. Beata gens, cuius est Dominus  
Deus eius:  
populus, quem elegit in he-  
reditatem sibi.
13. De coelo respexit Dominus:  
vidit omnes filios hominum.
14. De præparato habitaculo suo  
respexit  
super omnes, qui habitant ter-  
ram;
15. qui finxit singillatim corda  
eorum, qui intelligit omnia  
opera eorum.
16. Non salvatur rex per multam  
virtutem,  
et gigas non salvabitur in  
multitudine virtutis suæ.
17. Fallax equus ad salutem,  
in abundantia autem virtutis  
suæ non salvabitur.
18. Ecce, oculi Domini super me-  
tuentes eum,  
et in eis, qui sperant super  
misericordia eius.
19. Ut eruat a morte animas co-  
rum.  
et alat eos in fame.
20. Anima nostra sustinet Do-  
minum,  
quoniam adiutor et protector  
noster est.
21. Quia in eo lætabitur cor no-  
strum, et in nomine sancto  
eius speravimus.
22. Fiat misericordia tua, Do-  
mine, super nos,  
quemadmodum speravimus in  
te.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- B**eata gens, cuius Deus est Do-  
minus;  
populus ille, quem ipse elegit  
sibi in possessionem.
- De cœlo spectat Dominus,  
videt omnes homines.
- De parato habitaculo suo pro-  
spicit —  
in omnes, qui habitant terram.
- Quia ipse pariter finxit eorum  
corda,  
novit omnia opera eorum.
- N**on salvatur rex multitudine  
roboris bellici,  
et heros non salvatur magnitudine  
virium suarum.
- Fallax est equus ad victoriam,  
et abundantiam roboris eius non  
salvatur (eques).
- Ecce oculi Domini directi sunt  
ad eos, qui colunt Eum,  
ad eos, qui sperant in gratia Eius,
- ut eruat a morte animas eorum,  
et ut alat eos tempore famis.
- A**nima nostra expectat Domi-  
num,  
quoniam est auditor et protector  
noster.
- In Eo lætatur cor nostrum,  
et in nomine Eius sancto fiduciam  
collocamus.
- Sit gratia Tua, Domine, super nos,  
quemadmodum speramus in Te!

**Notae ad Psalmum 32.**

Auctor et argumentum. — Auctor huius psalmi sublimiter  
canit Iehovam, — imprimis Eius omnipotentiam et providen-  
tiam, et  
beatam prædicat gentem, quam sibi Iehova in possessionem  
elegit.

Auctor huius hymni in textu originali non nominatur. Vulgata iuxta Alexandrinam — adscribit eum Davidi; in psalmo etiam nil invenitur, quod David scribere non potuisset.

Tempus. — De tempore et occasione huius hymni, in se plani et aperti, — nil certi statui potest.

## Psalmus 33.

### Gratiarum actio pro tutela divina. Salutaria monita.

#### Sonus latinae Vulgatae.

1. Davidi, cum immutavit vultum suum coram Achimelech, et dimisit eum et abiit.
2. Benedicam Dominum in omni tempore:  
semper laus eius in ore meo.
3. In Domino laudabitur anima mea:  
audiant mansueti, et lætentur.
4. Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen eius in idipsum.
5. Exquisivi Dominum, et exaudivit me:  
et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.
6. Accedite ad eum, et illuminamini:  
et facies vestrae non confundentur.
7. Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum:  
et de omnibus tribulationibus eius salvavit eum.
8. Immitet Angelus Domini in circuitu timentium eum,  
et eripiet eos.
9. Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus:  
beatus vir, qui sperat in eo.

#### Sensus latinae Vulgatae.

A Davide; — cum mente captum se simularet coram Achimelecho; unde ab hoc dimissus, abiit.

**C**elebrabo Dominum omni tempore:

laus Eius semper erit in ore meo. De Domino gloriabitur anima mea;

audiant hoc afflicti et lætentur!

Magnificate Dominum mecum, ut una exaltemus nomen Eius!

**Q**uæsi vi Dominum et exaudivit me,  
et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad Eum, et lætamini,  
et facies vestrae non erubescant.

Hic afflicti clamavit et Dominus audivit eum,  
atque ex omnibus tribulationibus eius salvavit eum.

**A**ngelus Domini castra ponere solet circum eos, qui timent Eum,  
et eripit eos.

Gustate et cognoscetis, benignum esse Dominum, —  
beatus homo, qui sperat in Eo!

**Sonus latinae Vulgatae.**

10. Timete Dominum omnes sancti eius,  
quoniam non est inopia timen-  
tibus eum.
11. Divites eguerunt et esurierunt:  
inquirentes autem Dominum  
non minuentur omni bono.
12. Venite, filii, audite me:  
timorem Domini docebo vos.
13. Quis est homo, qui vult vitam,  
diligit dies videre bonos?
14. Prohibe linguam tuam a malo,  
et labia tua non loquantur  
dolum!
15. Diverte a malo, et fac bonum:  
inquire pacem, et persequere  
eam.
16. Oculi Domini super iustos,  
et aures eius in preces eorum.
17. Vultus autem Domini super  
facientes mala,  
ut perdat de terra memoriam  
eorum.
18. Clamaverunt iusti, et Dominus  
exaudivit eos,  
et ex omnibus tribulationibus  
eorum liberavit eos.
19. Juxta est Dominus iis, qui  
tribulato sunt corde,  
et humiles spiritu salvabit.
20. Multae tribulationes iustorum,  
et de omnibus his liberabit  
eos Dominus.
21. Custodit Dominus omnia ossa  
eorum?  
unum ex his non conteretur.
22. Mors peccatorum pessima,  
et qui oderunt iustum, delin-  
quent.
23. Redimet Dominus animas ser-  
vorum suorum,  
et non delinquent omnes, qui  
sperant in eo.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Revereamini Dominum omnes cul-  
tores Eius;  
nam non est inopia eis, qui timent  
Eum!
- Divites egere solent et esurire;  
ii autem, qui quærunt Dominum,  
nullo carent bono.
- Venite, filii, audite me!  
timorem Domini docebo vos.
- Quis hominum non studeret vitæ  
felici?  
quis non libenter videret dies bonos?
- Cohibe linguam tuam a malo,  
et labia tua, ne loquantur dolum!
- Recede a malo et fac bonum,  
quære pacem et persequere illam!
- Oculi Domini directi sunt ad  
iustos,  
et aures Eius ad preces eorum.
- Vultus autem Domini acerbus de-  
fixus est in eos, qui faciunt mala,  
ut exstirpet de terra memoriam  
eorum.
- Iusti clamant et Dominus eos ex-  
audit,  
atque ex omnibus tribulationibus  
eorum liberat eos.
- Propinquus est Dominus iis, quo-  
rum cor frangitur,  
et servat eos, quorum animus est  
contritus.
- Multae tribulationes incidunt iustis,  
sed ex omnibus illis liberat eos  
Dominus.
- Dominus custodit omnia ossa eo-  
rum,  
nec unum ex eis frangitur.
- Mors peccatorum est pessima;  
ii enim, qui iustum oderunt, de-  
linquent.
- Animas autem servorum suorum  
liberabit Dominus;  
nam nemo eorum, qui sperant in  
Eo, delinquit.

## Notae ad Psalmum 33.

Auctor et argumentum. — Psaltes regius — David — celebra psalmo alphabetico Deum protectorem proborum et vindicem improborum (vers. 2.—11.),

excitatque omnes ad probitatem sectandam; beatus enim est — pius Dei cultor (vers. 12.—23.).

Occasio. Occasionem indicat inscriptio; de re ipsa refert I. Reg 21, 11. — 22, 1. —

Tempus. — Quoad tempus — exaravit David hymnum hunc, postquam ex fillo periculo liberatus fuit.

## Psalmus 34.

## O Domine, tuere ius meum contra ingratos!

## Sonus latinae Vulgatae.

## Sensus latinae Vulgatae.

- |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                          |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                    |
|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>1. Ipsi David.<br/>Iudica Domine, nocentes me:<br/><br/>expugna impugnantes me.</p> <p>2. Apprehende arma et scutum,<br/>et exsurge in adiutorium mihi.</p> <p>3. Effunde frameam, et conclude<br/>adversus eos, qui persequun-<br/>tur me:<br/>dic animæ meæ: Salus tua<br/>ego sum.</p> <p>4. Confundantur et revercantur,<br/>quærentes animam meam.<br/>Avertantur retrorsum, et con-<br/>fundantur, cogitantes mihi mala.</p> <p>5. Fiant tamquam pulvis ante<br/>faciem venti:<br/>et Angelus Domini coarctans<br/>eos.</p> <p>6. Fiat via illorum tenebræ et<br/>lubricum:<br/>et Angelus Domini persequens<br/>eos.</p> <p>7. Quoniam gratis absconderunt<br/>mihi interitum laquei sui:<br/>supervacue exprobraverunt ani-<br/>mam meam.</p> | <p>Davidis. —<br/><b>C</b>astiga, Domine, eos, qui mihi<br/>nocent!<br/>pugna cum iis, qui me impugnant!</p> <p>Apprehende arma et scutum,<br/>et surge in adiutorium mihi!</p> <p>Exsere frameam, et interclude<br/>viam persecutoribus meis!</p> <p>Dic animæ meæ: „Auxilium tuum<br/>sum Ego.“</p> <p><b>A</b>fficiantur pudore et contumelia,<br/>qui appetunt vitam meam,<br/>cedant retro et pudefiant, qui me-<br/>ditantur perniciem meam!</p> <p>Sint ut palea coram vento,<br/>et angelus Domini coarctet eos!</p> <p>Sit via eorum tenebricosa et lub-<br/>rica —<br/>persequente eos Angelo Domini!</p> <p><b>N</b>am immerito clam paraverunt<br/>mihi interitum laqueo suo,<br/>sine causa probris me afficiunt.</p> |
|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

**Sonus latinae Vulgatae.**

8. Veniat illi laqueus, quem ignorat:  
et captio, quam abscondit, apprehendat eum:  
et in laqueum cadat in ipsum.
9. Anima autem mea exultabit in Domino,  
et delectabitur super salutari suo.
10. Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?  
Eripiens inopem de manu fortiorum eius:  
egenum et pauperem a diripientibus eum.
11. Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me.
12. Retribuebant mihi mala pro bonis:  
sterilitatem animæ meæ.
13. Ego autem, cum mihi molesti essent, induebar cilicio.  
Humiliabam in ieiunio animam meam:  
et oratio mea in sinu meo convertetur.
14. Quasi proximum et quasi fratrem nostrum, sic complacebam:  
quasi lugens et contristatus sic humiliabar.
15. Et adversum me lætati sunt, et convenerunt:  
congregata sunt super me flagella, et ignoravi.
16. Dissipati sunt, nec compuncti: tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione:  
frenduerunt super me dentibus suis.
17. Domine, quando respicies? restitue animam meam a malignitate eorum,  
a leonibus unicam meam.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Veniat super ipsum laqueus, quem ignorat,  
et rete, quod occultavit,prehendat eum;  
in eundem laqueum incidat ipse!
- Tum exultabit anima mea de Domino,  
et lætabitur de auxilio Eius.
- Omnia ossa mea dicent: Domine, quis est similis Tui,  
qui eripis oppressum de manu fortiorum eo,  
afflictum et inopem a diripientibus eum!
- Surgunt testes iniqui,  
et interrogant me de rebus, quarum non sum conscius.
- Mala rependunt mihi pro bonis,  
animæ meæ sterilitatem.
- Ego vero, cum mihi molestiam pararunt (ægroti), vestiebar sacco,  
ieiunio me afflegebam ita,  
ut oratio mea in sinum meum reverteretur.
- Benevolebam ei, sicut amico et sicut fratri nostro;  
afflegebam me ad modum lugentis et contristati.
- Et ii lætantur de casu meo et congregantur;  
congregantur contra me flagella, quæ ne novi quidem;
- Dissipant se, — nec compunguntur. Quam maxime me subsannant —  
frendunt contra me dentibus suis.
- Domine!, quando despicies?  
Libera animam meam a malignitate eorum,  
a leonibus — unicam meam!



## Sonus latinae Vulgatae.

18. Confitebor tibi in ecclesia magna,  
in populo gravi laudabo te.
19. Non supergaudeant mihi, qui  
adversantur mihi inique:  
qui oderunt me gratis et annuunt oculis.
20. Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur,  
et in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.
21. Et dilataverunt super me os suum;  
dixerunt: Euge, euge, viderunt oculi nostri.
22. Vidisti, Domine, ne sileas:  
  
Domine, ne discedas a me.
23. Exsurge et intende iudicio meo,  
Deus meus, et Dominus meus in causam meam.
24. Iudica me secundum iustitiam tuam, Domine Deus meus:  
et non supergaudeant mihi.
25. Non dicant in cordibus suis:  
Euge, Euge, animæ nostræ;  
  
nec dicant: Devoravimus eum.
26. Erubescant et reveantur simul,  
qui gratulantur malis meis.  
Induantur confusione et reverentia,  
qui magna loquuntur super me.
27. Exultent et lætentur, qui volunt iustitiam meam  
et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi eius.
28. Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam,  
tota die laudem tuam.

## Sensus latinae Vulgatae.

Celebrabo Te in cœtu magno,  
laudabo Te coram populo numeroso.

Ne permittas, ut lætentur de me,  
qui mihi iniuste adversantur,  
qui me sine causa odio habent,  
et oculis nictant.

Etenim mihi pacifice quidem loquuntur,  
sed loquuntur infensi terræ et dolos meditantur.

Et late aperiunt contra me os suum —  
dicentes: „Euge! Euge! oculi nostri vident — (exitium tuum).

Tu, Domine, vides hoc, — ne sileas!

Domine, ne velis discedere a me!

Surge et attende ad meam rem iustam,  
mi Deus et Domine, — ad agendam causam meam!

Agas causam meam secundum iustitiam Tuam, Domine, mi Deus!  
et noli permittere, ut lætentur de me!

Ne dicant in cordibus suis: „Euge! euge! fit secundum desiderium nostrum“,  
nec dicant: „Devoravimus eum“

Pudore afficiantur et erubescant ad unum omnes,  
qui lætantur de malis meis!  
Operiantur pudore et ignominia,

qui fastuose loquuntur contra me!

Exultent et lætentur, qui iuri meo favent,  
et dicant semper: „Magnificetur Dominus“, — ii, qui student prosperitati servi Eius!

Et lingua mea canet iustitiam Tuam,  
omni die — laudem Tuam.

### Notae ad Psalmum 34.

**Auctor et argumentum.** — Auctor huius psalmi — David — adhuc in aula Sauli versans, implorat tutelam divinam contra adversarios, qui vitæ eius iniuste insidiantur, et pro bono malum ei rependunt.

**Tempus.** — De tempore exarationis et occasione in specie nil certi dici potest.

**Nota 1.** In finem rectæ interpretationis ponat lector in versibus 4., 5., 6., 8., 26. loco Coniunctivi præsentis — Futurum;

Est enim sacris vatibus V T. proprium, ut res venturas et bonas et malas tamquam vota proferre soleant (vide „Præfatio“ §. 24. et 25.).

## Psalmus 35.

### S o l a t i u m i u s t i.

#### Sonus latinae Vulgatae.

#### Sensus latinae Vulgatae.

- |                                                                                                           |                                                                                                       |
|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------|-------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| 1. In finem; servo Domini ipsi David.                                                                     | Ad liturgiam sacram; — a servo Domini, Davide.                                                        |
| 2. Dixit iniustus, ut delinquat in semetipso:<br>non est timor Dei ante oculos eius:                      | <b>S</b> tatuit iniustus in semetipso —<br>peccare;<br>nullus Dei timor est coram oculis Eius.        |
| 3. quoniam dolose egit in conspectu eius,<br>ut inveniatur iniquitas eius ad odium.                       | Dolose enim agit in conspectu Eius,<br>ut sit iniquitas Eius — odium (Dei).                           |
| 4. Verba oris eius iniquitas et dolus,<br>noluit intelligere, ut bene ageret.                             | <b>V</b> erba oris Eius sunt iniqua et dolosa,<br>non vult sapere, ut recte agat.                     |
| 5. Iniquitatem meditatus est in cubiculo suo;<br>astitit omni viæ non bonæ,<br>malitiam autem non odivit. | Iniqua meditatur in cubiculo suo,<br>sistit se in omnem viam non bonam,<br>malum enim non habet odio. |
| 6. Domine, in cœlo misericordia tua<br>et veritas tua usque ad nubes.                                     | <b>D</b> omine! usque ad cœlum per-<br>tingit gratia Tua,<br>et fidelitas Tua usque ad nubes!         |

**Sonus latinae Vulgatae.**

7. Iustitia tua sicut montes Dei:  
iudicia tua abyssus multa.  
Homines et iumenta salvabis,  
Domine:
8. quemadmodum multiplicasti  
misericordiam tuam, Deus.  
Fili autem hominum in teg-  
mine alarum tuarum sperabunt.
9. Inebriantur ab ubertate domus  
tuæ:  
et torrente voluptatis tuæ po-  
tabis eos,
10. quoniam apud te est fons vitæ:  
et in lumine tuo videbimus  
lumen.
11. Prætede misericordiam tuam  
scientibus te,  
et iustitiam tuam his, qui recto  
sunt corde.
12. Non veniat mihi pes super-  
biæ:  
et manus peccatoris non mo-  
veat me.
13. Ibi ceciderunt, qui operantur  
iniquitatem:  
expulsi sunt, nec potuerunt  
stare.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Iustitia Tua (conspicua) est ut  
montes altissimi,  
iudicia Tua (imperscrutabilia) sunt  
sicut oceanus magnus;  
homines et iumenta conservas,  
o Domine!

Quantum multiplicasti gratiam  
Tuam, o Deus!  
homines nempe in umbra alarum  
Tuarum securi morantur.

Uberrate domus Tuæ inebriantur,  
et torrente deliciarum Tuarum  
potas eos.

Nam penes Te est fons vitæ,  
et lumine Tuo spectamus lucem.

Extende gratiam Tuam in eos,  
qui colunt Te,  
et iustitiam Tuam in eos, quorum  
cor est rectum!

Noli permittere, ut obveniat mihi  
pes superbus;  
et manus improbi me nutare fa-  
ciat!

Suo tempore cadent, qui operan-  
tur iniquitatem;  
propellentur, nec poterunt con-  
sistere!

**Notae ad Psalmum 35.**

Auctor et argumentum. — Regius psalter — David — opponit  
malitiae impiorum — bonitatem, fidem, iustitiam et beneficentiam  
Dei (v. 2.—10.);

insertis dein precibus pro tutela piorum — cernit cladem im-  
piorum (v. 11.—13.).

Tempus. — De tempore exarationis huius psalmi nil certi crui potest,

Psalmus 36.

**Improbi peribunt, — iustos Deus non derelinquet.**

**Sonus latinae Vulgatae.**

- 1 Psalmus ipsi David.  
Noli æmulari in malignan-  
tibus;  
neque zelaveris facientes iniquitatem.
2. Quoniam, tamquam foenum ve-  
lociter arescent,  
et quemadmodum olera her-  
barum cito decident.
3. Spera in Domino, et fac bo-  
nitatem:  
et inhabita terram, et pascaris  
in divitiis eius.
4. Delectare in Domino:  
et dabit tibi petitiones cordis  
tui.
5. Revela Domino viam tuam,  
et spera in eo: et ipse faciet.
6. Et educet quasi lumen iusti-  
tiam tuam  
et iudicium tuum tamquam  
meridiem:
- 7 subditus esto Domino, et ora  
eum.  
Noli æmulari in eo, qui pro-  
speratur in via sua:  
in homine faciente iniustitias.
8. Desine ab ira, et derelinque  
furorem:  
noli æmulari, ut maligneris.
9. Quoniam, qui malignantur, ex-  
terminabuntur,  
sustinentes autem Dominum:  
ipsi hereditabunt terram.
10. Et adhuc pusillum, et non  
erit peccator,  
et quæris locum eius, et non  
invenies.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Psalmus Davidis.

**N**e indigneris de iis, qui ma-  
ligne agunt,  
neque inideas facientibus iniqui-  
tatem!

Nam velociter arescent ut gramen,  
et sicut olera viridia cito decident.

Spera in Domino et fac bonum,  
inhabita terram et pascaris divi-  
tiis eius.

Oblecta te Domino,  
et dabit tibi desideria cordis tui!

Comitte Domino sortem tuam,  
et spera in Illo! et Ipse faciet.

Faciet nempe, ut manifesta fiat  
instar solis iustitia tua,  
et ius tuum — instar luminis  
meridiani.

Subditus esto Domino et ora ad  
Eum!

noli indignari de eo, qui pro-  
speratur in via sua,  
de homine, qui facit iniustitias!

Desiste ab ira et relinque excan-  
descentiam!

noli indignari eo gradu, ut ma-  
ligne agas.

Nam, qui maligne agunt, extir-  
pabuntur,  
ii autem, qui Domino confidunt,  
terram hereditarie possidebunt.

Et adhuc paulisper, — et non  
erit peccator,  
et si quæsieris locum eius, non  
invenies cum amplius.

**Sonus latinae Vulgatae.**

11. Mansueti autem hereditabunt terram,  
et delectabuntur in multitudine pacis.
12. Observabit peccator iustum,  
et stridebit super eum dentibus suis.
13. Dominus autem irridebit eum:  
quoniam prospicit, quod veniet dies eius.
14. Gladium evaginaverunt peccatores,  
intenderunt arcum suum,  
ut deiciant pauperem et inopem:  
ut trucident rectos corde.
15. Gladius eorum intret in corda ipsorum,  
et arcus eorum confringatur.
16. Melius est modicum iusto,  
super divitias peccatorum multas.
17. Quoniam brachia peccatorum conterentur:  
confirmat autem iustos Dominus.
18. Novit Dominus dies immaculatum,  
et hereditas eorum in æternum erit.
19. Non confundentur in tempore malo,  
et in diebus famis saturabuntur:
20. quia peccatores peribunt.  
Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint et exaltati, deficientes,  
quemadmodum fumus deficient
21. Mutuabitur peccator, et non solvet:  
iustus autem miseretur et tribuet.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Mansueti autem hereditarie possidebunt terram,  
et delectabuntur magna felicitate.
- Impius insidiatur iusto,  
et stridet contra eum dentibus suis.
- Dominus autem irridet eum,  
videt enim, advenire diem eius.
- Impii evaginant gladium,  
et tendunt, arcum suum,  
ut prosternant afflictum et inopem,  
ut trucident eos, quorum cor est rectum.
- At eorum gladius transverberabit corda ipsorum,  
et arcus eorum confringetur.
- Melius est modicum, quod iustus habet,  
quam divitiæ impiorum multæ.
- Nam brachia impiorum confringuntur,  
iustos autem Dominus confirmat.
- Dominus curam gerit vitæ proborum,  
inde hereditas eorum in æternum manebit.
- Pudore non afficientur tempore calamitoso,  
et diebus famis saturabuntur.
- Nam improbi peribunt,  
et inimici Domini vix honorificati et exaltati evanescent, —  
sicut fumus — evanescent.
- Improbis mutuatur, nec valetolvere,  
iustus autem miseretur et largitur.

**Sonus latinae Vulgatae.**

22. Quia benedicentes ei hereditabunt terram:  
maledicentes autem ei disperibunt.
23. Apud Dominum gressus hominis diriguntur,  
et viam eius volet.
24. Cum ceciderit, non collidetur,  
quia Dominus supponit manum suam.
25. Junior fui, etenim senui:  
et non vidi iustum derelictum,  
nec semen eius quærens panem.
26. Tota die miseretur et commodat:  
et semen illius in benedictione erit.
27. Declina a malo, et fac bonum,  
et inhabita in sæculum sæculi.
28. Quia Dominus amat iudicium,  
et non derelinquet sanctos suos;  
in æternum conservabuntur.  
Iniusti punientur  
et semen impiorum peribit.
29. Iusti autem hereditabunt terram,  
et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.
30. Os iusti meditabitur sapientiam,  
et lingua eius loquetur iudicium.
31. Lex Dei eius in corde ipsius,  
et non supplantabuntur gressus eius.
32. Considerat peccator iustum,  
et quærit mortificare eum.
33. Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius:  
nec damnabit eum, cum iudicabitur illi.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Nam ii, qui benedicunt Ei, terram possidebunt;  
illi autem, qui Ei maledicunt, peribunt.
- Gressus hominis (probi) a Domino diriguntur;  
nam Ipse viâ eius delectatur.
- Cum ceciderit, non collidetur;  
nam Dominus supponit manum suam.
- Puer fui, etiam senui,  
attamen non vidi iustum derelictum,  
et posteros eius quærentes panem.
- Quotidie miscratur et dat mutuum,  
et posteritas eius est benedictioni.
- Recede a malo et fac bonum,  
et manebis in perpetuum!
- Nam Dominus diligit, quod iustum est,  
et non derelinquit cultores suos;  
hi in æternum conservabuntur.  
Iniusti punientur,  
et semen impiorum peribit.
- Iusti autem hereditarie possidebunt terram,  
et perpetuo habitabunt in ea.
- Os iusti profert sapientiam,  
et lingua eius loquitur, quod iustum est.
- Lex Dei sui est in corde eius,  
inde gressus eius non vacillant.
- Improbis insidiatur iusto,  
et studet occidere eum.
- Dominus autem non relinquet eum in manibus illius,  
nec permittet, ut condemnetur,  
cum iudicatur.

**Sonus latinae Vulgatae.**

34. Exspecta Dominum, et custodi viam eius,  
et exaltabit te, ut hereditate capias terram:  
cum perierint peccatores, videbis.
35. Vidi impium superexaltatum, et elevatum sicut cedros Libani:
36. et transivi, et ecce non erat:  
et quæsi vi cum, et non est inventus locus eius.
37. Custodi innocentiam, et vide æquitatem,  
quoniam sunt reliquiae homini pacifico.
38. Iniusti autem disperibunt simul:  
reliquiae impiorum interibunt.
39. Salus autem iustorum a Domino,  
et protector eorum in tempore tribulationis.
40. Et adiuvabit eos Dominus, et liberabit eos,  
et eruet eos a peccatoribus, et salvabit eos,  
quia speraverunt in eo.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Spera in Domino et custodi viam Eius,  
et Ipse exaltabit te, ut hereditarie possideas terram;  
Excidium improborum videbis!
- Vidi impium nimis exaltatum, et elevatum sicut cedros Libani,
- Et transivi, et ecce! non exstat amplius;  
et quærebam eum; ast locus eius inveniri nequit.
- Observa innocentem et considera iustum;  
quoniam posteritas est homini pacifico!
- Iniusti autem peribunt una,  
posteritas impiorum interibit.
- Iustis autem venit auxilium a Domino;  
et Ipse est protector eorum tempore tribulationis.
- Et Dominus adiuvat eos et liberat eos,  
et eruit eos ab improbis et salvos facit eos, —  
quia sperant in Eo.

**Notae ad Psalmum 36.**

**Auctor et argumentum.** — Auctor huius psalmi — (in hebraico textu — alphabetici) — David — monet pios, ne quis eorum prosperitate impiorum inducatur ad imitandam ipsorum rationem vivendi, vel ad arguendam Dei iustitiam in gubernatione mundi, quia felicitas impiorum non est durabilis („quia peccatores peribunt“ — v. 20.); — probitas autem durabilem — aeternam felicitatem præstat — („hereditas eorum [proborum] in æternum erit“; v. 18.).

**Tempus.** — Psalmum hunc exaravit David, cum iam provectoris esset ætatis, ut ex versu 25<sup>to</sup> patet.

De occasione exarationis nil certi constat.

Psalmus 37. (III. pœnitentialis).

**Domine remitte mihi poenas promeritas!**

**Sonus latinae Vulgatae.**

1. Psalmus David, in rememorationem de sabbato.
2. Domine, ne in furore tuo arguas me:  
neque in ira tua corripas me.
3. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi,  
et confirmasti super me manum tuam.
4. Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ,  
non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.
5. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum,  
et sicut onus grave gravatæ sunt super me.
6. Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ,  
a facie insipientiæ meæ.
7. Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem;  
tota die contristatus ingrediebar.
8. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus,  
et non est sanitas in carne mea.
9. Afflictus sum, et humiliatus sum nimis:  
rugiebam a gemitu cordis mei.
10. Domine, ante te omne desiderium meum:  
et gemitus meus a te non est absconditus.
11. Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea,  
et lumen oculorum meorum;  
et ipsum non est mecum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Psalmus Davidis; — pro memoria — de sabbato.

**D**omine, in indignatione Tua ne arguas me,  
neque in ira Tua corripas me!

Nam sagittæ Tuæ infixæ sunt mihi,  
et firmiter collocasti super me manum Tuam.

Nil sani est in carne mea — propter iram Tuam;  
non est sanitas in ossibus meis — propter peccata mea.

Nam poenæ iniquitatum mearum superant caput meum,  
et sunt ceu onus grave, graviores sunt me.

Tumores mei putrescunt et tabescunt,  
— propter insipientiam meam.

Miser sum et curvatus nimis,  
tota die contristatus incedo.

Nam lumbi mei impleti sunt objectis illusionis,  
et nil sani est in carne mea.

Afflictus sum et humiliatus nimis,  
rugio præ fremitu cordis mei.

Domine coram Te patet omne desiderium meum,  
et gemitus meus a Te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, deserunt me vires meæ,  
et lux oculorum meorum — etiam hæc non est mecum.



## Sonus latinae Vulgatae.

12. Amici mei, et proximi mei ad-  
versum me appropinquaverunt,  
et steterunt.  
Et qui iuxta me erant, de  
longe steterunt:
13. et vim faciebant, qui quære-  
bant animam meam.  
Et qui inquirebant mala mihi,  
locuti sunt vanitates,  
et dolos tota die meditaban-  
tur.
14. Ego autem tamquam surdus  
non audiebam,  
et sicut mutus non aperiens  
os suum.
15. Et factus sum sicut homo non  
audiens,  
et non habens in ore suo re-  
dargutiones.
16. Quoniam in te, Domine, spe-  
ravi:  
tu exaudies me, Domine Deus  
meus,
17. quia dixi: Nequando super-  
gaudeant mihi inimici mei:  
et dum commoventur pedes  
mei, super me magna locuti  
sunt;
18. quoniam ego in flagella pa-  
ratus sum,  
et dolor meus in conspectu  
meo semper.
19. Quoniam iniquitatem meam  
annuntiabo,  
et cogitabo pro peccato meo.
20. Inimici autem mei vivunt, et  
confirmati sunt super me:  
et multiplicati sunt, qui ode-  
runt me inique.
21. Qui retribuunt mala pro bonis,  
detrahebant mihi, quoniam se-  
quebar bonitatem.

## Sensus latinae Vulgatae.

Amici mei et sodales mei veniunt  
in conspectu meo, — ast consi-  
stunt,  
et qui prope me erant — e lon-  
gino consistunt.

Illi autem, qui appetunt vitam  
meam, vim faciunt;  
Et qui mala mihi quærunt, lo-  
quuntur pernicioso;  
et per totam diem dolos medi-  
tantur.

Ego vero, velut surdus — nihil  
audio,  
ac ceu mutus sum, qui non aperit  
os suum.

Sum sicut homo, qui nihil audit,  
et in cuius ore non sunt contra-  
dictiones;

quia in Te, Domine, spero;

Tu exaudies me, Domine, mi Deus!

Dico enim: Ne lætentur de me  
inimici mei,  
et qui fastuose de me loquuntur,  
quando nutant pedes mei.

Nam ego paratus sum in fla-  
gella,  
et dolor meus coram me est sem-  
per.

Confiteor enim iniquitatem meam,  
et sollicitus sum ob peccatum  
meum.

Ast inimici mei valent et præva-  
lent mihi,  
et numerosi sunt, qui me odio  
habent sine causa.

Qui rependunt mala pro bonis,  
detrahunt mihi pro eo, quod se-  
quor bonum.

**Sonus latinae Vulgatae.**

**Sensus latinae Vulgatae.**

- |                                                                                                                                                        |                                                                                                                                                |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>22. Ne derelinquas me, Domine,<br/>Deus meus: ne discesseris a<br/>me.</p> <p>23. Intende in adiutorium meum,<br/><br/>Domine Deus salutis meæ.</p> | <p>Ne derelinquas me, Domine!<br/>Deus mi, ne discedas a me!</p> <p>Festina ad auxilium mihi feren-<br/>dum,<br/>Domine, Deus salvator mi!</p> |
|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

**Notae ad Psalmum 37**

Auctor et argumentum. — Regius psaltes — David — grafice delineans gravissimum morbum suum, queritui, se esse ab amicis et cognatis suis — derelictum et ab hostibus — afflictum.

Agnosceus causam malorum esse peccata commissa, veniam exorat et opem Dei implorat.

Argumentum fere est idem, ut Psalmi 6ti et 30mi.

Tempus — De tempore et occasione exarationis nil certi constat.

**Psalmus 38.**

**Exaudi me, Domine!**

**Sonus latinae Vulgatae.**

**Sensus latinae Vulgatae.**

- |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                      |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                        |
|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>1. In finem, ipsi Idithun, canticum David.</p> <p>2. Dixi: Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.<br/>Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me.</p> <p>3. Obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis:<br/><br/>et dolor meus renovatus est.</p> <p>4. Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exarscet ignis.</p> | <p>Ad liturgiam sacram. — Iedituno; Canticum Davidis.</p> <p>Statui mecum: „Custodiam vias meas,<br/>ne peccem lingua mea;<br/>ponam ori meo custodiam, quamdiu stat improbus coram me“.</p> <p>Obmutui et humiliavi me, nec ultra loquebar de prosperitate (improbi), sed passio mea de novo prorupit.</p> <p>Cor meum incaluit intra me, in meditante animo meo exarsit ignis, —</p> |
|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

## Sonus latinae Vulgatae.

5. Locutus sum in lingua mea:  
Notum fac mihi, Domine, finem meum,  
et numerum dierum meorum,  
quis est:  
ut sciam, quid desit mihi.
6. Ecce mensurabiles posuisti dies meos:  
et substantia mea tamquam nihilum ante te.  
Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens?
7. Verumtamen in imagine pertransit homo,  
sed et frustra conturbatur:  
Thesaurizat: et ignorat, cui congregabit ea.
8. Et nunc, quæ est expectatio mea? nonne Dominus?  
Et substantia mea apud te est.
9. Ab omnibus iniquitatibus meis erue me:  
opprobrium insipienti dedisti me.
10. Obmutui, et non aperui os meum,  
quoniam tu fecisti:
11. amove a me plagas tuas.
12. A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus:  
propter iniquitatem corripuisti hominem.  
Et tabescere fecisti sicut araneam animam eius:  
verumtamen vane conturbatur omnis homo.
13. Exaudi orationem meam, Domine, et deprecationem meam:  
auribus percipe lacrymas meas.  
Ne silcas, quoniam advena ego sum apud te,  
et peregrinus, sicut omnes patres mei.
14. Remitte mihi, ut refrigerer prius,  
quam abeam, et amplius non ero.

## Sensus latinae Vulgatae.

locutus sum lingua mea:  
Indica mihi, Domine, quisnam sit finis meus,  
et quinam sit numerus dierum meorum!  
ut sciam, quid mihi adhuc desit.  
Ecce perbreves fecisti dies meos.  
et subsistentia mea est instar nihili coram Te;  
profecto universa sunt vana,  
omnis homo, quamlibet vivens.  
Profecto velut umbra transit homo,  
sed et absque effectu turbatur;  
thesaurizat, nec scit, cui ea congregat.  
Et nunc, quæ est spes mea?  
nonne Dominus?  
subsistentia enim mea est apud Te.  
Libera me ab omnibus iniquitatum mearum poenis!  
permisisti enim, ut sim opprobrio impiis!  
Obmutesco, et non aperio os meum:  
Tu enim id permisisti!  
Remove a me plagas Tuas;  
ob manum Tuam, mihi graviter incumbentem ego consumor pœnis!  
Ob iniquitatem castigas hominem,  
et facis, ut vita eius tabescat sicut aranea.  
Profecto absque effectu fatigat se quisque homo!  
Audi orationem meam, Domine,  
et deprecationem meam!  
Auribus percipe lacrymas meas!  
Ne avertas Te silens, nam advena ego sum apud Te,  
et peregrinus, sicut omnes patres mei!  
Indulgeas mihi, ut exhilarem,  
antequam abeam et esse desinam!

**Notae ad Psalmum 38.**

Auctor et argumentum. — Auctor Psalmi huius David — proposuit animo firmiter, providentiam divinam non carpere; et tamen quæpiam duriora locutus est, videns prosperitatem improborum;

Inde renovat propositum suum et firmat se per reflexionem, quod vita hominis brevis sit.

Demum orat, ut Deus ipsi in hac brevi vita lætam sortem impertiri dignetur.

Tempus. — De tempore et occasione exarationis nil certi dici potest.

**Psalmus 39.****Gratiarum actio et supplicatio cultoris Domini.****Sonus latinae Vulgatae.****Sensus latinae Vulgatae.**

1. In finem, Psalmus ipsi David.

Ad liturgiam sacram; — Psalmus Davidis.

2. Expectans expectavi Dominum,  
et intendit mihi.

Firma fiducia expectavi Dominum,  
et intendit mihi.

3. Et exaudivit preces meas, et  
eduxit me de lacu miseriæ et  
de luto fæcis.  
Et statuit super petram pedes  
meos,  
et direxit gressus meos.

Et exaudivit preces meas,  
et eduxit me ex lacu miseriæ,  
et e cœno luteo,  
et statuit pedes meos in petra,  
et rectos fecit gressus meos.

4. Et immisit in os meum canticum  
novum,  
carmen Deo nostro.  
Videbunt multi et timebunt,  
et sperabunt in Domino.

Et dedit in os meum canticum  
novum;  
hymnum in honorem Dei nostri.  
Multi id experientur et revere-  
buntur et sperabunt in Domino!

5. Beatus vir, cuius est nomen  
Domini spes eius,  
et non respexit in vanitates  
et insanias falsas.

Beatus homo, cuius spes est  
nomen Domini,  
et qui non respicit ad media vana  
et ad insanias perfidas!

6. Multa fecisti, tu Domine Deus  
meus, mirabilia tua;  
et cogitationibus tuis non est,  
qui similis sit tibi.  
Annuntiavi et locutus sum:  
multiplicati sunt super nume-  
rum.

Multa sunt mirabilia, quæ Tu, Do-  
mine, Deus mi, fecisti!  
et quoad consilia Tua nemo est,  
qui similis sit Tui.  
Si velim ea indicare et eloqui,  
plura sunt, quam ut ea enumerem.

**Sonus latinae Vulgatae.**

7. Sacrificium et oblationem noluisti:  
aures autem perfecisti mihi.  
Holocaustum et pro peccato non postulasti:
8. tunc dixi: Ecce venio.  
In capite libri scriptum est de me,
9. ut facerem voluntatem tuam:  
Deus meus, volui,  
et legem tuam in medio cordis mei.
10. Annuntiavi iustitiam tuam in ecclesia magna:  
ecce, labia mea non prohibebo:  
Domine, tu scisti:
11. Iustitiam tuam non abscondi in corde meo:  
veritatem tuam et salutare tuum dixi:  
Non abscondi misericordiam tuam et veritatem tuam a concilio multo.
12. Tu autem Domine, ne longe facias miserationes tuas a me:  
misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me.
13. Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus:  
comprehendunt me iniquitates meae,  
et non potui ut viderem.  
Multiplicatae sunt super capillos capitis mei:  
et cor meum derelinquit me.
14. Complacet tibi, Domine, ut eruas me:  
Domine ad adiuvandum me respice.
15. Confundantur et revereantur simul,  
qui quærunt animam meam, ut auferant eam.  
Convertantur retrorsum et revereantur,  
qui volunt mihi mala,

**Sensus latinae Vulgatae.**

Sacrificiis eruentis et incruentis non delectaris,  
— aures autem mihi perfodisti; —  
holocaustum et victimam pro peccato non postulas.

Tum dixi: Ecce venio! —  
In volumine libri præscribitur mihi —  
facere voluntatem Tuam;  
et ego, o Deus mi, delector —  
lege Tua ex intimo corde meo.

Nuntio iustitiam Tuam in cœtu magno,  
ecce non contineo labia mea;

Domine, Tu nosti!  
Iustitiam Tuam non celo in corde meo;  
fidem Tuam et auxilium Tuum prædico;  
non occulto gratiam Tuam et fidem Tuam cœtui magno.

Ne retineas, Domine, misericordiam Tuam a me!  
gratia Tua et fides Tua tueantur me semper!  
Nam circumdant me mala, quorum non est numerus;

attingunt me iniquitatum mearum pœnæ,  
nec possum oculis complecti eas;  
numerosiores sunt, quam capilli capitis mei;  
inde cor meum — descriit me.  
Placeat Tibi, o Domine, liberare me!  
Domine, ad adiuvandum me respice!

Pudore afficiantur et erubescant ad unum omnes,  
qui appetunt vitam meam, ut auferant eam!  
Cedant retro et contumelia afficiantur,  
qui volunt mihi mala!

**Sonus latinae Vulgatae.**

**Sensus latinae Vulgatae.**

- |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                  |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                        |
|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>16. Ferant confestim confusionem suam,<br/>qui dicunt mihi: Euge, euge.</p> <p>17. Exultent et lætentur super te omnes quærentes te,<br/>et dicant semper:<br/>Magnificetur Dominus:<br/>qui diligunt salutare tuum.</p> <p>18. Ego autem mendicus sum, et pauper:<br/>Dominus sollicitus est mei.<br/>Adiutor meus et protector meus tu es:<br/>Deus meus ne tardaveris.</p> | <p>Confestim ferant ignominiam suam,<br/>qui dicunt ad me: Eia! eia!</p> <p>Exultent et lætentur de Te —<br/>omnes, qui quærunt Te,<br/>et dicant semper: „Magnificetur Dominus“ — ii, qui flagrant desiderio auxilii Tui!</p> <p>Mei autem, licet sim afflictus et pauper,<br/>sollicitus est Dominus.<br/>Adiutor meus et protector meus —<br/>es Tu!<br/>Deus mi, ne cuncteris!</p> |
|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

**Notae ad Psalmum 39.**

Auctor et argumentum. — Regius psaltes, — David, ex magnis periculis liberatus, gratias agit Deo (1.—11.);

et rursus in discrimine versans, auxilium divinum implorat (v. 12—18).

Versus 7.—10. allegantur in epistola ad Hebræos (10, 5.—8.) de Jesu. Literaliter spectant verba psalmi Davidem, et mediate ad Christum Dominum diriguntur.

Secundum Deut. 17, 18.—20. tradendum erat regi neoëlecto exemplar „Legis“ in volumine descriptum a sacerdotibus leviticis, ut habeat illud apud se et legat illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum, Deum suum, et custodire præcepta in eo contenta; ne elevetur cor eius in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, et filii eius super Israël. —

Hæc pii regis Davidis dispositio — omnia ad amussim exsequendi, erat typus illius devotionis, qua Salvator divinus munus suum incœpit et consummavit, factus obædiens usque ad mortem crucis, quæ finem imposuit sacrificiis cruentis Veteris Fœderis.

In v 7<sup>mo</sup> est frasis: „aures autem perfecisti mihi“, cuius sensus est: „Volui Tibi in perpetuum servire, et Tu optatis meis respondisti.“

Si nempe servus hebræus vel serva domino suo perpetuo servire voluit, et dominus id coram iudice acceptavit; hoc facto, lobum auris servi (vel servæ) illius ad postem ianuæ suæ perforabat — servum vel servam domui suæ affigebat — in signum perpetuæ servitutis; (Exod. 21, 5 6.; Deut 15, 16. 17.) Hoc ritu aptatum est corpus servi ad servitutem perpetuam: inde facile patet tropica significatio frasis illius (confer. Hebr. 10, 5.)

Tempus. — De tempore exarationis nil certi statui potest.

Nota. In finem rectæ interpretationis ponat lector in v. 15. 16. loco Coniunctivi præsentis — Futurum et respiciat simul dicta de psalmis imprecatoriis in Præfatione. (Nros. 24, 25.)

## Psalmus 40.

**Beati misericordes.****Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem, Psalmus ipsi David.
2. Beatus, qui intelligit super egenum, et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.
3. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra: et non tradat eum in animam inimicorum eius.
4. Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius: universum stratum eius versasti in infirmitate eius.
5. Ego dixi: Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi.
6. Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, et peribit nomen eius?
7. Et si ingrediebatur, ut videret, vana loquebatur: cor eius congregavit iniquitatem sibi. Egrediebatur foras et loquebatur
8. in idipsum. Adversum me susurrabant omnes inimici mei: adversum me cogitabant mala mihi.
9. Verbum iniquum constituerunt adversum me: numquid qui dormit, non adiciet, ut resurgat?
10. Etenim homo pacis meae, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — Psalmus Davidis.

**B**eatus, qui rationem habet egeni et pauperis, dic adverso liberabit eum Dominus.

Dominus custodiet eum et vivum conservabit; et beatum faciet in terra, et non tradet eum furori inimicorum eius.

Dominus opem feret ei in lecto ægritudinis, Tu vertes omne stratum eius, si infirmatur.

**E**go dico: Domine miserere mei! sana animam meam, nam peccavi in Te!

Inimici mei mala loquuntur de me:

„Quando morietur, et quando interibit nomen eius?”

Et si quis ingreditur, visurus me, loquitur dolose, cor eius colligit sibi maligna;

egressus foras — ea divulgat.

**S**tatim susurrant de me omnes inimici mei, mala de me cogitant.

Rem iniquam constituunt adversum me:

„Numquid iterum surget, quoniam decumbit?”

Quin imo amicus meus, cui confisus eram, qui comedebat panem mecum, effert contra me perfide calcem.

**Sonus latinae Vulgatae.**

11. Tu autem, Domine, miserere mei,  
et resuscita me: et retribuam eis.
12. In hoc cognovi, quoniam voluisti me:  
quoniam non gaudebit inimicus meus super me.
13. Me autem propter innocentiam suscepisti:  
et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.
14. Benedictus Dominus Deus Israël  
a sæculo, et usque in sæculum:  
fiat, fiat.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- T**u ergo, Domine, miserere mei,  
et fac, ut assurgam,  
ut rependam istis!
- In hoc cognoscam, Te mihi favere,  
quod exultare nequit de me inimicus meus.
- Me autem tueberis propter innocentiam meam,  
et in æternum me coram Te collocabis.
- Benedictus sit Dominus Deus Israël,  
a sæculo et usque in sæculum.
- Fiat! Fiat!

**Notae ad Psalmum 40.**

**Auctor et argumentum.** — Auctor huius psalmi — typice messiani — David — gravi morbo correptus, beatos prædicat eos, qui curam gerunt egenorum (v. 2.—4.)

Quum vero non tantum inimici Davidis, sed etiam familiaris amicus quidam perfide mortem ægroti regis avide exspectat; implorat psalter auxilium divinum, ut sanitati restitutus, possit vi officii sui secundum Legem punire eos, qui tali seditiosa agendi ratione salutem regni turbant.

Denique firmiter sperat Jehovæ auxilium et gratiam respectu sanitatis recuperandæ et felicitatis æternæ (v. 5.—13.) —

**Tempus.** — Quia sacra Scriptura de morbo gravi, quo psalter se correptum esse dicit, nil refert, nil certi de tempore exarationis statui potest. — Videtur autem morbo mortifero correptus fuisse tempore seditionis Absoloniticæ.

Verba versus 10<sup>mi</sup> allegat Dominus noster in ultima cœna secundum textum originale: „ut adimpleretur scriptura: „Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum.“ (Joann. 13, 18); et ulterius: „unus ex vobis tradet me;“ — et ad quæstionem Joannis, quis ille proditor sit, respondit (v. 25.—26): „Ille est, cui ego intinctum panem porrexero;“ „Et cum intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotæ“ —

Huc referuntur etiam verba b. Petri apostoli (Act. 1, 16): „Viri fratres oportet impleri scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum.“ — Quæ ergo David expertus est ex parte perfidi amici sui, mediate diriguntur ad Christum Dominum, — a Juda proditum.

**Nota** — Versus 14<sup>th</sup> est doxologia, qua I. liber psalmodum clauditur, adeoque non est pars psalmi. —



# Lib er s e c u n d u s .

(Psalmi 41.—71.)

## Psalmus 41.

### Fervens desiderium visitandi templum Domini.

#### Sonus latinae Vulgatae.

1. In finem, intellectus filiis Core.
2. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.
3. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei?
4. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die et nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?
5. Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei: in voce exultationis, et confessionis, sonus epulantis.
6. Quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei,
7. et Deus meus.

Ad me ipsum anima mea conturbata est:  
propterea memor ero tui  
de terra Jordanis, et Hermoniim a monte modico.

#### Sensus latinae Vulgatae.

Ad liturgiam sacram; Carmen Corachitarum.

Quemadmodum desiderat cervus rivos aquarum, ita desiderat anima mea Te, o Deus!

Sitit anima mea Deum, fortem, vivum; quando demum revertar et apparebo ante faciem Dei?

Lacrymæ meæ sunt mihi cibus diu noctuque, quoniam quotidie dicitur mihi: „Ubinam est Deus tuus“?

Hæc reminiscor et effundo animam meam in me, peregrinaturus ad locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei; cum voce exultationis et gratiarum actionis — sonus resonat epulantium!

Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deum, quoniam adhuc celebrabo Eum, salvatorem meum et Deum meum!

In me ipso contristatur anima mea, propterea, quod recordor Tui de terra Jordanis et Hermonis ad montem modicum.

**Sonus latinae Vulgatae.**

8. Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum. Omnia excelsa tua, et fluctus tui super me transierunt.
9. In die mandavit Dominus misericordiam suam:  
et nocte canticum eius.  
Apud me oratio Deo vitæ meæ.
10. Dicam Deo: Susceptor meus es: quare oblitus es mei? et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?
11. Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi, qui tribulant me inimici mei: dum dicunt mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus?
12. Quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Fluctus fluctum advocat cum strepitu cataractarum Tuarum, omnes altæ undæ Tuæ et fluctus Tui super me transeunt.

Interdiu demandabit mihi Dominus gratiam suam, et noctu resonabit apud me in honorem Ejus canticum, — oratio ad Deum vitæ meæ.

Dico Deo: Patronus meus es, quare oblivisceris mei? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Ossa mea confringuntur, dum exprobrant mihi, qui tribulant me, inimici mei — dicentes per singulos dies: „Ubi nam est Deus tuus?

Quare tristis es anima mea et quare conturbas me? Spera in Deum, quoniam adhuc celebrabo Eum, salvatorem meum et Deum meum!

**Notae ad Psalmum 41.**

**Argumentum.** Psalmus hic et proxime sequens — unicum constituunt canticum, ut iam Eusebius vidit. — Patet hoc ex eodem argumento, eadem structura et ex sententia recurrente: „Quare tristis es anima mea et quare conturbas me.“ „Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, et Deus meus;“ v. 6, 12. et psalmi sequentis v. 5.

Vates sacer ardentissimo flagrat desiderio sacrorum (v. 2.—6); delineat ludibrium et afflictionem intollerabilem ex parte adversariorum (v. 7.—12.):

et dein enixe rogat pro liberatione ab hostibus et pro reditu ad templum.

**Auctor et tempus.** — Juxta inscriptionem „carmen Corachitarum“ exaravit Corachita quidam canticum hoc elegantissimum, nomine Davidis, quum hicce profugus a rebelle Absalone usque ad radices Antilibani secessisset et ita procul a sanctuario degeret, ut ex v. 7<sup>mo</sup> colligitur: „recordor Tui de terra Jordanis et Hermoniim a monte modico.“

Artificiosior etiam carminis dispositio inscriptionem probat. —

**Nota:** Filii Core seu Corachitæ sunt posterii illius Corachi (pronepotis Levi, nepotis Cahati), quem terra devoravit. (Num 16, 32.) — Filii eius autem, quia innocentes erant, non perierunt. (Num. 26, 11.)

Corachitæ erant devotissimi asseclæ Davidis (I. Par. 12, 6). —

Heman, unus praefectorum chori, erat Corachita. (I. Par. 6, 18. 23.) —

Filii eius — quatuordecim — erant praeter quatuor filios Asafi et sex filios Ethanis — praefecti illarum 24 classium musicorum.

Etiam tempore Josafati adducuntur Corachitæ ceu cantores et musici. (II. Par. 20, 19.)

Corachitis assignantur cum psalmo 42<sup>do</sup> — 12 psalmi, et quidem secundum numerationem Vulgatæ 41. — 48., 83., 84., 86., 87.; quando autem psalmi: 41. et 42. tamquam unus considerantur, psalmi — 11.

Psalmi Corachitarum sunt elegantissimi.

## Psalmus 42.

### Fervens desiderium accedendi ad altare Dei.

#### Sonus latinae Vulgatae.

##### 1. Psalmus David.

Iudica me, Deus, et discerne  
causam meam de gente non  
sancta:  
ab homine iniquo et doloso  
erue me.

2. Quia tu es, Deus fortitudo  
mea:  
quare me repulisti?  
et quare tristis incedo, dum  
affligit me inimicus?

3. Emitte lucem tuam et veri-  
tatem tuam: ipsa me dedu-  
xerunt,  
et adduxerunt in montem san-  
ctum tuum et in tabernacula  
tua.

4. Et introibo ad altare Dei:  
ad Deum, qui lætificat iu-  
ventutem meam.  
Confitebor tibi in cithara Deus,  
Deus meus?

5. quare tristis es, anima mea?  
et quare conturbas me?  
Spera in Deo, quoniam adhuc  
confitebor illi:  
salutare vultus mei,  
et Deus meus.

#### Sensus latinae Vulgatae.

##### Psalmus Davidis.

Tuere jus meum, o Deus, et  
discerne causam meam contra  
gentem impiam;  
ab homine iniquo et doloso libera  
me!

Nam Tu es, o Deus, fortitudo  
mea;  
cur me repellis?  
et quare tristis incedo, dum af-  
fligit me inimicus?

Mitte lucem Tuam et fidem Tuam;  
illæ deducunt me —

et perducent ad montem Tuum  
sanctum et ad habitacula Tua,

ut venire possim ad altare Dei —  
ad Deum, qui lætificat me inde  
a iuventute mea!  
Celebrabo Te cum cithara, o Deus,  
Deus mi!

Quare tristis es anima mea  
et quare conturbas me?  
Spera in Deum, quoniam adhuc  
celebrabo Eum,  
salvatorem meum  
et Deum meum!

**Notae ad Psalmum 42.**

De argumento, auctore et occasione huius psalmi valent dicta ad psalmum præcedentem.

Nota. Psalmus hic recitatur ad gradus altaris a sacerdote sacram Missam celebrante alternatim cum ministris, et solum in Missis defunctorum et in Missis de tempore a Dominica Passionis usque ad Sabbatum sanctum exclusive, omittitur.

**Psalmus 43.****O Domine, miserere populi Tui!****Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem; filiis Core ad intellectum.
2. Deus, auribus nostris audivimus:  
patres nostri annuntiaverunt nobis.
3. Opus, quod operatus es in diebus eorum,  
et in diebus antiquis.
3. Manus tua disperdidit gentes,  
et plantasti eos:  
affixisti populos, et expulisti eos.
4. Nec enim in gladio suo possederunt terram,  
et brachium eorum non salvavit eos:  
sed dextera Tua et brachium tuum, et illuminatio vultus tui:  
quoniam complacuisti in eis.
5. Tu es ipse rex meus et Deus meus,  
qui mandas salutes Jacob.
6. In te inimicos nostros ventilabimus cornu,  
et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.
7. Non enim in arcu meo sperabo:  
et gladius meus non salvabit me,

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — Carmen didacticum Corachitarum.

○ Deus, auribus nostris audivimus,  
patres nostri narraverunt nobis

de opere, quod operatus es temporibus illorum —  
diebus antiquis.

Manus Tua expulit gentes:  
illos autem Tu plantasti;  
affixisti populos et expulisti eos.

Neque enim gladio suo occuperunt terram,  
nec brachium eorum salvavit eos;

sed dextera Tua et brachium Tuum et serena facies Tua;  
nam favebas illis. —

Tu ipse es rex meus et Deus meus,  
qui demandas supernum auxilium Jacobo!

Per Te dispergemus inimicos nostros,  
et Tuo nomine spernemus eos,  
qui contra nos surgent.

Non enim in arcu meo fiduciam colloco,  
et gladius meus non salvabit me.

**Sonus latinae Vulgatae.**

8. Salvasti enim nos de affligentibus nos,  
et odientes nos confudisti.
9. In Deo laudabimur tota die:  
et in nomine tuo confitebimur in sæculum.
10. Nunc autem repulisti et confudisti nos:  
et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris.
11. Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros,  
et qui oderunt nos, diripiebant sibi.
12. Dedisti nos tamquam oves escarum,  
et in gentibus dispersisti nos.
13. Vendidisti populum tuum sine pretio:  
et non fuit multitudo in commutationibus eorum.
14. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris,  
subsannationem et derisum his, qui sunt in circuitu nostro.
15. Posuisti nos in similitudinem gentibus:  
commotionem capitis in populis.
16. Tota die verecundia mea contra me est,  
et confusio faciei meæ cooperuit me
17. a voce exprobrantis, et obloquentis,  
a facie inimici, et persequentis.
18. Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te:  
et inique non egimus in testamento tuo.
19. Et non recesssit retro cor nostrum:  
et declinasti semitas nostras a via tua:

**Sensus latinae Vulgatae.**

Sed tu servas nos a vexatoribus nostris,  
et pudore afficis osores nostros.  
Deo gloriamur quotidie,  
et nomen Tuum celebrabimus in æternum.

**E**t tamen repudiasti nos et contumelia affecisti,  
neque exivisti, o Deus, cum exercitibus nostris.

Tu fecisti, ut cederemus retro ab inimicis nostris,  
et osores nostri prædati sunt sibi.

Fecisti nos instar gregis ad escas destinati,  
et inter gentes dispersisti nos.

Vendidisti populum Tuum nullo pretio,  
nec magni æstimasti eos venditione eorum.

Tu fecisti nos opprobrium vicinis nostris,  
irrisionem et ludibrium illis, qui circa nos sunt.

Tu fecisti nos proverbium inter gentes,  
agitationem capitis inter populos.

Quotidie ignominia mea coram me est,  
et confusio faciei meæ operit me —

propter vocem exprobrantis et conviciantis,  
propter adspectum inimici et persecutoris.

**O**mnia hæc supervenerunt nobis,  
nec tamen obliti sumus Tui,  
nec inique egimus respectu fœderis Tui.

Cor nostrum non cessit retro,  
nec permisisti, ut semitæ nostræ a via Tua declinarent;

**Sonus latinae Vulgatae.**

20. quoniam humiliasti nos in loco afflictionis,  
et cooperuit nos umbra mortis.
21. Si obliti sumus nomen Dei nostri,  
et si expandimus manus nostras ad deum alienum.
22. nonne Deus requiret ista? Ipse enim novit abscondita cordis.  
quoniam propter te mortificamur tota die:  
æstimati sumus sicut oves occisionis.
23. Exsurge, quare obdormis, Domine?  
exsurge, et ne repellas in finem.
24. Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiæ nostræ et tribulationis nostræ?
25. Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra:  
conglutinatorum est in terra venter noster.
26. Exsurge, Domine, adiuva nos: et redime nos propter nomen tuum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- quod humiliasti nos in loco afflictionis,  
et umbra mortis nos operuit.
- Si obliti essemus nominis Dei nostri,  
et si expandissemus manus nostras ad deum alienum, —
- nonne Deus explorasset hoc? Ipse enim novit recondita cordis.
- Propter Te occidimur quotidie,  
reputati sumus instar gregis mactationi destinati.
- O expergiscere! cur dormis, Domine?  
evigila et noli nos rejicere in perpetuum!
- Cur avertis faciem Tuam?  
cur oblivisceris inopiæ nostræ et tribulationis nostræ?
- Nam depressa est anima nostra ad pulverem,  
terræ adhæret corpus nostrum.
- Surge Domine, adiuva nos,  
et redime nos propter nomen Tuum!

**Notae ad Psalmum 43.**

Auctor, argumentum et tempus. — Auctor huius psalmi — Corachita quidam —, implorat auxilium divinum post clades, quibus afflicti fuerunt Hebræi, etsi idololatræ non essent, sed veri Dei cultores. —

Hæc videntur maxime convenire primis belli Nisibeni temporibus, quibus Israelitæ hostibus suis succubuerunt, et serius demum victores redierunt. (II. Sam. 8, 2. .)

Eo tempore etiam vates sacer carmen hocce exaravit. —

## Psalmus 44.

**Epithalamium in regis honorem.****Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem; pro iis, qui commutabuntur,  
filiis Core, ad intellectum;  
canticum pro dilecto.
2. Eructavit cor meum verbum bonum:  
dico ego opera mea regi.  
  
Lingua mea calamus scribæ  
velociter scribentis.
3. Speciosus forma præ filiis hominum,  
diffusa est gratia in labiis tuis:  
propterea benedixit te Deus in æternum.
4. Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime:
5. specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna,  
propter veritatem et mansuetudinem et iustitiam:  
et deducet te mirabiliter dextera tua.
6. Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent,  
in corda inimicorum regis.
7. Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi:  
virga directionis virga regni tui.
8. Dilexisti iustitiam, et odisti iniquitatem:  
propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — Secundum „pro iis, qui commutabuntur“ — A Corachitis. Carmen, canticum amorum.

**C**or meum ebullit voluptate,  
in regis honorem recito poëma meum;  
lingua mea esto stilus scribæ  
velociter scribentis!

**T**u venustate antecellis filios hominum,  
gratia diffusa est in labiis tuis,  
propterea, quod fortunavit te Deus in æternum.

**C**inge, o heros, femur tuum gladio tuo, —  
signo dignitatis et gloriæ tuæ;  
progredere, feliciter vehitor et regna —  
ad defendendam fidem et ius oppressum,  
et dextera tua doceat te præclara facinora!

Sagittæ tuæ acutæ — populi sub te cadent —  
in corda inimicorum regis penetrabunt.

**T**hronus tuus, o Deus, erit in æternum,  
sceptrum regni tui est — sceptrum rectum.

Diligis iustitiam et odio habes iniquitatem;  
propterea unxit te Deus, Deus tuus,  
oleo lætitiæ præ sociis tuis.

**Sonus latinae Vulgatae.**

9. Mirrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis,  
a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te
10. filiae regum in honore tuo.  
Astitit regina a dexteris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.
11. Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam,  
et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.
12. Et concupiscet rex decorem tuum:  
quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.
13. Et filiae Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis.
14. Omnis gloria eius filiae regis ab intus,  
in fimbriis aureis
15. circumamicta varietatibus.  
Adducentur regi virgines post eam:  
proximae eius afferentur tibi.
16. Afferentur in lætitia et exultatione:  
adducentur in templum regis.
17. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii:  
constitues eos principes super omnem terram.
18. Memores erunt nominis tui in omni generatione et generationem.  
Propterea populi confitebuntur tibi in æternum,  
et in sæculum sæculi.

**Sensus latinae Vulgatae.**

**M**irrha et aloë et cassia spirat a vestimentis tuis,  
a palatiis eburneis, in quibus te exhilarant

filiae regum — in honorem tui.  
Dexteræ tuæ adstat regina in vestitu deaurato, in vestibus versicoloribus.

**A**udi, filia, et vide, et inclina aurem tuam!  
et obliviscere populi tui, et domus patris tui!

Et rex concupiscit pulchritudinem tuam; —  
nam ipse est dominus — Deus tuus; — inde adoretur!

Etiam Tyrii cum muneribus favorem tuum ambibunt, —  
omnes divites populi illius.

Tota magnifica est filia regis intrinsecus,  
ornata fimbriis aureis,

amicta vestibus versicoloribus;  
Post eam adducentur regi virgines,  
sociæ eius adducentur tibi;

adducentur cum lætitia et exultatione, —  
introducuntur in palatium regis.

**P**atrum tuorum loco nascentur tibi filii!  
constituas illos principes in omni terra!

Celebrabunt nomen tuum  
per omnes venturas ætates;

propterea laudabunt te populi in æternum,  
et in sæculum sæculi!

**Notae ad Psalmum 44.**

Argumentum. — In elegantissimo hoc psalmo celebratur sensu literali rex ob dignitatem formæ, eloquentiam, fortitudinem, victoriam, splendorem et magnificentiam; dein felix prædicatur eius coniux atque posteritas. —



Rex ille celebratus est secundum epistolam ad Hebræos 1, 8. 9. — Filius Dei. — Messias.

Regina seu coniux Eius est — Ecclesia ab eo fundata.

Posterioritas — membra Ecclesiæ illius.

Psalmus hic, exclusive Messianus, — allegorice est interpretandus. (Vide „Præfatio“ § 20.)

Auctor et occasio. — Auctor nominatur in inscriptione „Corachiti quidam.“ —

Occasionem sumpsit auctor verosimiliter ex solemnibus nuptiis regis Salomonis cum filia regis Aegypti. (Confer. III. Reg. 3, 1.; 9, 24.)

## Psalmus 45.

### Deus tuetur Sionem.

#### Sonus latinae Vulgatae.

1. In finem; filiis Core pro arcanis, Psalmus.
2. Deus noster refugium, et virtus:  
adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.
3. Propterea non timebimus, dum turbabitur terra,  
et transferentur montes in cor maris.
4. Sonuerunt, et turbatae sunt aquæ eorum:  
conturbati sunt montes in fortitudine eius.
5. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei:  
sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.
6. Deus in medio ejus, non commovebitur:  
adiuvabit eam Deus mane diluculo.
7. Conturbatae sunt gentes, et inclinata sunt regna:  
dedit vocem suam, mota est terra.
8. Dominus virtutum nobiscum:  
susceptor noster Deus Jacob.

#### Sensus latinae Vulgatae.

Ad liturgiam sacram. — A Corachitis. Psalmus secundum: „arcana“.

**D**eus est refugium nobis et præsidium,  
adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timemus, etsi pervertatur terra,  
et quamvis corruant montes in medium maris.

Fremant, et æstuent aquæ eius!

contremiscant montes in fremitu eius!

**F**luminis impetus lætificat civitatem Dei;  
Altissimus sanctificavit tabernaculum suum.

Deus est in medio eius; — ea non nutabit,  
Deus adiuvat eam appropinquante mane.

Fremuerunt gentes et regna nutarunt;  
Ipse edidit vocem suam, — terra diffluebat.

Dominus exercituum est nobiscum,  
protector noster est Deus Jacobi.

**Sonus latinae Vulgatae.**

9. Venite, et videte opera Domini,  
quæ posuit prodigia super  
terram;
10. auferens bella usque ad finem  
terræ.  
Arcum conteret, et confringet  
arma,  
et scuta comburet igni.
11. Vacate, et videte, quoniam ego  
sum Deus:  
exaltabor in gentibus, et exal-  
tabor in terra.
12. Dominus virtutum nobiscum:  
susceptor noster Deus Jacob.

**Sensus latinae Vulgatae.**

**A**gite, spectate facinora Domini,  
qui miracula horrenda patra-  
vit in terra.  
Ipse enim cessare facit bella usque  
ad finem terræ,  
arcum conterit et arma confringit,  
et scuta comburit igne.  
„Desistite et agnoscite, me esse  
Deum, —  
excelsum in gentibus, excelsum in  
terra!“  
Dominus exercituum est nobiscum.  
protector noster est Deus Jacobi.

**Notae ad Psalmum 45.**

Auctor et argumentum et tempus. — Corachita quidam celebrat sublimi hoc cantico Deum ob tutelam populo electo et Urbi sanctæ in periculis concessam. Hostes in terram sacram irrumpunt, Hierosolymam obsidere minantur, ast repente recedere coguntur.

Argumentum maxime convenit moliminibus Sennacheribi, regis Assyriorum; (vide Isaiam cap. 36, et 37;) et mox post istam liberationem Hierosolymæ exaratus est procul dubio hic psalmus. —

**Psalmus 46.**

**Deus est rex totius terrae.**

**Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem; pro filiis Core, Psalmus.
2. Omnes gentes, plaudite manibus,  
iubilare Deo in voce exultationis.
3. Quoniam Dominus excelsus,  
terribilis:  
rex magnus super omnem terram.
4. Subiecit populos nobis,  
et gentes sub pedibus nostris.
5. Elegit nobis hereditatem suam,  
speciem Jacob, quam dilexit.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — Psalmus  
Corachitarum.  
**P**laudite manibus omnes gentes!  
iubilare Deo voce exultabunda!  
Nam Dominus est excelsus, ter-  
ribilis,  
rex magnus super universam ter-  
ram.  
Subiecit populos nobis,  
et gentes pedibus nostris.  
Elegit nobis hereditatem suam,  
ornamentum Jacobo, quem diligit.

**Sonus latinae Vulgatae.**

6. Ascendit Deus in iubilo,  
et Dominus in voce tubæ.
7. Psallite Deo nostro, psallite:  
psallite regi nostro, psallite.
8. Quoniam rex omnis terræ Deus:  
psallite sapienter.
9. Regnabit Deus super gentes,  
Deus sedet super sedem sanctam suam.
10. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham,  
quoniam dii fortes terræ  
vehementer elevati sunt.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ascendit Deus cum iubilo,  
Dominus nempe cum clangore  
tubæ.

**C**anite Deo nostro, canite!  
canite regi nostro — canite:

„Rex totius terræ est — Deus“  
Psallite devote:

„Regnat Deus super gentes!  
Deus sedet in throno suo sancto“!

Principes populorum adjungunt se  
Deo Abrahami;  
sane potentes terræ Deo subiecti —  
elevati sunt nimis.

**Notae ad Psalmum 46.**

Auctor et argumentum. — Vates sacer, — Corachita quidam, excitat omnes gentes, ut adorent Jehovam, totius mundi regem, qui diligit populum suum electum, cui etiam omnes reliquas gentes tempore suo adiunget. —

Occasio et tempus. — Psalmus hic exaratus fuit ad solemnem translationem arcæ fœderis vel in montem Sion, vel ex hoc in templum Salomonicum. Aliud quid de tempore exarationis — statui nequit. —

**Psalmus 47.****Sion est inexpugnabilis.****Sonus latinae Vulgatae.**

1. Psalmus cantici filiis Core,  
secunda sabbati.
2. Magnus Dominus, et laudabilis nimis  
in civitate Dei nostri, in monte  
sancto eius.
3. Fundatur exultatione universæ terræ  
mons Sion: latera aquilonis,  
civitas regis magni.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Psalmus, Canticum. — A Corachitis; secunda sabbati.

**M**agnus est Dominus et plurimum  
laudandus,  
in civitate Dei nostri, in monte  
sancto Eius.

Fundatus est ad gaudium totius  
terræ —  
mons Sion, extremæ partes septemtrionis,  
civitas Regis magni.

**Sonus latinae Vulgatae.**

4. Deus in domibus eius  
cognoscetur, cum suscipiet eam.
5. Quoniam ecce reges terræ  
congregati sunt:  
convenerunt in unum.
6. Ipsi videntes sic admirati sunt,  
conturbati sunt, commoti sunt.
7. tremor apprehendit eos.  
Ibi dolores ut parturientis,
8. in spiritu vehemti  
conteres naves Tharsis.
9. Sicut audivimus, sic vidimus  
in civitate Domini virtutum,  
in civitate Dei nostri:  
Deus fundavit eam in æternum.
10. Suscepimus, Deus, misericor-  
diam tuam  
in medio templi tui.
11. Secundum nomen tuum, Deus,  
sic et laus tua in fines terræ:  
iustitia plena est dextera tua.
12. Lætetur mons Sion,  
et exultent filiæ Judæ  
propter iudicia tua Domine.
13. Circumdate Sion, et complec-  
timini eam:  
narrate in turribus eius.
14. Ponite corda vestra in virtute  
eius,  
et distribuite, domos eius,  
ut enarretis in progenie altera.
15. Quoniam hic est Deus, Deus  
noster in æternum,  
et in sæculum sæculi:  
ipse reget nos in sæcula.

**Sensus latinae Vulgatae.**

**D**eus in palatiis eius —  
cognoscendum se præbet, dum  
tuetur eam.

Nam ecce, reges terræ congre-  
gati sunt,  
et convenerunt una!

Simulatque viderunt, obstupuerunt.  
turbati sunt, commoverunt se.

Tremor apprehendit illos ibi,  
— angustiae, ut parturientis.

Vento vehemti  
contrivisti naves Thartessicas.

Quemadmodum audivimus, ita ex-  
perti sumus,  
in civitate Domini exercituum,  
in civitate Dei nostri;  
Deus confirmat eam in æternum.

**M**editati sumus, o Deus, de gra-  
tia Tua —  
in templo Tuo.

Sicut nomen Tuum, o Deus,  
ita et laus Tua usque ad fines  
terræ;  
iustitia plena est dextera Tua!

Lætetur mons Sion,  
exultent filiæ Judæ,  
propter privilegia data a Te, Do-  
mine!

**C**ircuite Sionem et circate eam,  
numerate turres eius!

Advertite animum vestrum ad fir-  
mitatem eius.  
et perlustramini palatia eius,  
ut enarrare possitis ætati pos-  
teræ!

Nam talis Deus est — Deus  
noster in sempiternum;  
et in sæculum sæculi;  
Ipse reget nos in sæcula.

**Notae ad Psalmum 47.**

Auctor, argumentum et occasio. Vates sacer, — Corachita quidam, — celebrat Jehovam, qui magnificæ urbi Jerosolymæ præsidet, eamque ab hostibus fœdere iunctis divinitus liberavit. —

Urbs sancta gaudet tutela Jehovæ et propterea expugnari nequit. —

Argumentum psalmi respondet optime iis, quæ in II. Par cap. 20. de Ammonitis, Moabitis et Syris contra Josafatum regem insurgentibus narrantur.

**Psalmus 48.****Gloria et potentia improborum ne turbet tranquillum animum iusti.****Sonus latinae Vulgatae.****Sensus latinae Vulgatae.**

1. In finem; filiis Core Psalmus.

Ad liturgiam sacram; — Psalmus Corachitarum.

2. Audite hæc omnes gentes;  
auribus percipite omnes, qui  
habitationis orbem;

Audite hoc omnes gentes,  
auribus percipite omnes in-  
colæ mundi!

3. quique terrigenæ, et filii ho-  
minum:  
simul in unum dives et pauper.

Tam ignobiles, quam nobiles,  
omnes — divites et pauperes!

4. Os meum loquetur sapientiam,  
et meditatio cordis mei pru-  
dentiam.

Os meum loquitur — sapientiam.  
et meditando cor meum — pruden-  
tiam.

5. Inclinabo in parabolam aurem  
meam:  
aperiam in psalterio proposi-  
tionem meam.

Inclinabo ad similitudinem aurem  
meam,  
ad sonum citharæ solvam æni-  
gma meum.

6. Cur timebo in die mala?  
iniquitas calcanei mei circum-  
dabit me.

Cur timeam diebus adversis,  
cum circumdat me iniuria,  
parata calcaneo meo ab iis,

7. Qui confidunt in virtute sua,  
et in multitudine divitiarum  
suarum gloriantur:

qui confidunt facultatibus suis,  
et gloriantur multitudine divitia-  
rum suarum?

8. Frater non redimit,  
redimet homo:  
non dabit Deo placationem  
suam,

Frater non potest redimere fra-  
trem, —  
homo redimere hominem; —  
non valet Deo dare placationem  
pro eo,

**Sonus latinae Vulgatae.**

9. et pretium redemptionis animæ suæ:  
et laborabit in æternum.
10. et vivet adhuc in finem.
11. Non videbit interitum,  
cum viderit sapientes morientes:  
simul insipiens, et stultus peribunt.  
Et relinquent alienis divitiās suas:
12. et sepulcra eorum domus illorum in æternum.  
Tabernacula eorum in progenie et progenie:  
vocaverunt nomina sua in terris suis.
13. Et homo, cum in honore esset,  
non intellexit:  
comparatus est iumentis insipientibus,  
et similis factus est illis.
14. Hæc via illorum scandalum ipsis,  
et postea in ore suo complacent.
15. Sicut oves in inferno positi sunt:  
mors depascet eos. Et dominabuntur eorum iusti in matutino:  
et auxilium eorum veterascet in inferno  
a gloria eorum.
16. Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi,  
cum acceperit me.
17. Ne timueris, cum dives factus fuerit homo,  
et cum multiplicata fuerit gloria domus eius.
18. Quoniam cum interierit non sumet omnia,  
neque descendet cum eo gloria eius.

**Sensus latinae Vulgatae.**

nec pretium redemptionis vitæ suæ;  
licet defatigaret se in perpetuum,  
ut vivat porro — in sempiternum,  
ne videat mortem,  
quamquam videt sapientes morientes; —  
pariter insipiens et stultus pereunt,  
et relinquunt divitias suas aliis,  
et sepulcra eorum sunt domus eorum in æternum; —  
tabernacula eorum in omnes ætates;  
Ea celebrent nomina eorum in terris eorum!

Homo enim in gloria constitutus,  
— si non est sapiens,  
similis redditur iumentis insipientibus,  
fit, inquam, illis similis.

Hæc agendi ratio eorum est  
ruina ipsorum,  
et dein illorum, qui sermonibus eorum delectantur.

Instar ovium in orcum transpountur,  
mors depascit eos; et iusti insistent eis brevi;  
et auxilium illorum evanescit in inferno; —  
procul a gloria eorum.

Verumtamen animam meam redimet Deus ex manu Orci;  
nam Ipse suscipiet me.

Nihil timeas, cum ditatus fuerit quispiam,  
et cum creverit gloria domus eius!

Neque enim, cum moritur, tollet secum quidquam;  
neque descendet cum eo gloria eius.

**Sonus latinae Vulgatae.**

19. Quia anima eius in vita ipsius benedicetur:  
confitebitur tibi, cum benefeceris ei.
20. Introibit usque in progenies patrum suorum,  
et usque in æternum non videbit lumen.
21. Homo, cum in honore esset,  
non intellexit:  
comparatus est iumentis insipientibus,  
et similis factus est illis.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Licet in vita sua felicem se prædicet,  
et licet celebret te, quod benefacias ei;  
veniet ad cœtum patrum suorum,  
et usque in æternum non videbit lucem.  
Homo in gloria constitutus,  
— si non est sapiens, —  
similis redditur iumentis insipientibus,  
fit, inquam, iis similis.

**Notae ad Psalmum 48.**

Auctor et argumentum. — Vates sacer — Corachita quidam, — hoc psalmo didactico iubet bono animo esse pios, si vident, quomodo alii divitias corradunt et potentes evadunt; brevi enim tempore moriuntur, neque morituri quidquam divitiarum et potentiae secum auferent.

Tempus et occasio. — De tempore et occasione huius carminis nil statui potest. —

**Psalmus 49.****Verus Deum colendi modus.****Sonus latinae Vulgatae.**

1. Psalmus Asaph.  
Deus, deorum Dominus, locutus est:  
et vocavit terram, a solis ortu usque ad occasum:
2. Ex Sion species decoris eius.
3. Deus manifeste veniet:  
Deus noster, et non silebit.  
Ignis in conspectu eius exardescet:  
et in circuitu eius tempestas valida.
4. Advocabit cœlum desursum  
et terram, discernere populum suum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Psalmus Asaphi.  
**D**eus Deorum, — Dominus loquitur  
et vocat terram ab ortu solis usque ad occasum.  
Ex Sione perfectus decor Eius exsplendet;  
Deus manifeste venit —  
Deus noster, neque est, quod sileat;  
ignis coram eo ardescit,  
et circa eum sævit tempestas valida.  
Vocat cœlum superne  
et terram — iudicaturus populum suum.

**Sonus latinae Vulgatae.**

5. Congregate illi sanctos eius,  
qui ordinant testamentum eius  
super sacrificia.
6. Et annuntiabunt cœli iustitiam  
eius:  
quoniam Deus iudex est.
7. Audi populus meus, et loquar,  
Israel et testificabor tibi:  
Deus, Deus tuus ego sum.
8. Non in sacrificiis tuis ar-  
guam te:  
holocausta autem tua in con-  
spectu meo sunt semper.
9. Non accipiam de domo tua  
vitulos,  
neque de gregibus tuis hircos.
10. Quoniam meæ sunt omnes  
feræ silvarum,  
iumenta in montibus, et boves.
11. Cognovi omnia volatilia cœli:  
et pulchritudo agri mecum est.
12. Si esuriero, non dicam tibi:  
meus est enim orbis terræ, et  
plenitudo eius.
13. Numquid manducabo carnes  
taurorum?  
aut sanguinem hircorum po-  
tabo?
14. Immola Deo sacrificium laudis,  
  
et redde Altissimo vota tua.
15. Et invoca me in die tribula-  
tionis:  
eruum te, et honorificabis me.
16. Peccatori autem dixit Deus:  
Quare tu enarras iustitias  
meas,  
et assumis testamentum meum  
per os tuum?
17. Te vero odisti disciplinam,  
et proiecisti sermones meos  
retrorsum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

„Congregate Ei pios cultores Eius,  
qui renovant fœdus cum Eo —  
sacrificantes.“

Et nuntiant cœli iustitiam Eius,  
  
nam Deus iudicaturus est Ipse:

„**A**udi, popule mi, ut loquar!  
„Israel, ut graviter te horter!  
Deus — Deus tuus — sum Ego!

„Non propter victimas tuas red-  
arguo te,  
nam holocausta tua coram me  
sunt semper.“

„Non opus habeo accipere e domo  
tua vitulos,  
e gregibus tuis hircos.“

„Meæ enim sunt omnes feræ sil-  
vestres,  
iumenta in montibus et boves.“

„Novi omnia volatilia cœli,  
et pulchritudo agri mea est.“

„Si esurirem, non dicerem tibi;  
meus est enim orbis terræ et  
quidquid eum implet.“

„Num manducabo carnes tauro-  
rum,  
aut bibam sanguinem hircorum?“

„Offer Deo pro sacrificio —  
gratias —  
et persolve Altissimo vota tua!“

„Et invoca Me in die tribulationis;  
  
eripiam te; tu vero Me honorabis!“

**P**eccatori autem dicit Deus:  
„At quid recitas præcepta mea,  
  
et sumis fœdus meum in os tuum,“

„quum odio habeas disciplinam,  
et proicias verba Mea post te?“



**Sonus latinae Vulgatae.**

18. Si videbas furem, currebas cum eo,  
et cum adulteris portionem tuam ponebas.
19. Os tuum abundavit malitia,  
et lingua tua concinnabat dolos.
20. Sedens adversus fratrem loquebaris,  
et adversus filium matris tuæ ponebas scandalum.
21. Hæc fecisti et tacui.  
Existimasti inique, quod ero tui similis:  
arguam te, et statuam contra faciem tuam.
22. Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum:  
nequando rapiat, et non sit, qui eripiat.
23. Sacrificium laudis honorificabit me:  
et illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- „Si vides furem, curris cum eo,  
et cum adulteris paria participas.“
- „Os tuum abundat malitia,  
et lingua tua concinnat dolos.“
- „Sedes et loqueris adversus fratrem tuum,  
et in filium matris tuæ profers infamiam.“
- „Talia fecisti, et silui;  
inique cogitasti, Me esse similem tui;  
redarguo te et pono id ante faciem tuam.“
- „Memoria teneatis hæc vos, qui obliviscimini Dei!  
nequando rapiat vos, neve sit, qui vos eripiat.“
- Sacrificans gratias honorat me,  
et in hoc consistit iter, in quo eum experiri faciam auxilium Dei.“

**Notae ad Psalmum 49.**

**Argumentum** — Jehova solenniter e cælo descendens (1.—6.) reperit, partem populi electi deditam esse magis cultui mere externo, quam vero pietatis studio. — Inde eos serie monet, dicens, se victimis non indigere, sed poscere pietatem, fiduciam et animum gratum (v. 7.—15.) —

Aliam partem populi reperit hypocrisi infectam; hos graviter reprehendit, dicens, se aversari homines, qui legem ore quidem iactant, opere autem negligunt (v. 16.—21.).

Juxta Jehovæ verbum manet eos, qui obliviscuntur Dei, — exitium, nisi resipuerint; — illis autem, qui grato animo repleti sunt, auxilium Dei non denegabitur (v. 22.—23.).

**Auctor** — est Levita Asaph, coævus Davidi et Salomoni. —

Erat præfectus cantorum Davidicorum et musicæ moderator (I. Par. 15, 17.; 16, 4. 5.), quem serior ætas tamquam poëtam et prophetam celebravit (II. Par. 29, 30.).

**Nota.** Sub nomine „Asaphi“ 12 psalmi inveniuntur (49., 72.—82.) Quia autem „Asaph“ est etiam nomen collectivum, denotans, „collectorem, scribam“, inde plures indicare potest; — nil certi dici poterit de persona Asaphi eorum psalmorum, qui ævo Salomonico sunt recentiores.

## Psalmus 50. (IV. pœnitentialis).

**Miserere mei o Deus!****Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem. Psalmus David,
2. cum venit ad eum Nathan Propheta,  
quando intravit ad Bethsabée.
3. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam:  
et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.
4. Amplius lava me ab iniquitate mea,  
et a peccato meo munda me.
5. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco,  
et peccatum meum contra me est semper.
6. Tibi soli peccavi et malum coram te feci,  
ut iustificeris in sermonibus tuis et vincas cum iudicaris.
7. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum,  
et in peccatis concepit me mater mea.
8. Ecce enim veritatem dilexisti: incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.
9. Asperges me hyssopo et mundabor,  
lavabis me et super nivem dealbabor.
10. Auditui meo dabis gaudium et lætitiā,  
ex exultabunt ossa humiliata.
11. Averte faciem tuam a peccatis meis,  
et omnes iniquitates meas dele.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram. — Psalmus Davidis, cum venisset ad eum Nathan propheta, postquam ingressus fuerat (David) ad Betsabam.

**M**iserere mei Deus secundum magnam gratiam Tuam, et secundum magnitudinem misericordiæ Tuæ dele iniquitatem meam!

Perfecte lava me ab iniquitate mea,  
et a peccato meo munda me!

**N**am iniquitatem meam ego agnosco,  
et peccatum meum coram me est semper!

Tibi soli peccavi, et quod malum est in oculis Tuis, — feci;  
iustus inveniaris in sententiis Tuis,  
et vincas, cum iudicaris!

**E**cce cum culpa iniquitatis conceptus sum,  
et peccato infectum concepit me mater mea!

Ecce Tu delectaris sinceritate;  
intimam et internam religiositatem erga Te docuisti me!

**A**sperge me hyssopo, ut mundus evadam,  
lava me, ut præ nive albescam!

Facias me audire consolationem lætam,  
et exultabunt ossa contrita!

Averte faciem Tuam a peccatis meis!  
et omnes iniquitates meas dele!

**Sonus latinae Vulgatae.**

12. Cor mundum crea in me Deus,  
et spiritum rectum innova in  
visceribus meis.
13. Ne projicias me a facie Tua,  
et spiritum sanctum tuum ne  
auferas a me.
14. Redde mihi lætitiā salutaris  
tui,  
et spiritu principali confirma  
me.
15. Docebo iniquos vias tuas  
et impii ad te convertentur.
16. Libera me de sanguinibus  
Deus, Deus salutis meæ:  
et exultabit lingua mea ius-  
titiam tuam.
17. Domine labia mea aperies,  
et os meum annuntiabit lau-  
dem tuam,
18. quoniam si voluisses sacri-  
ficium, dedissem utique:  
holocaustis non delectaberis.
19. Sacrificium Deo spiritus con-  
tribulatus;  
cor contritum et humiliatum  
Deus non despicias.
20. Benigne fac, Domine, in bona  
voluntate tua Sion:  
ut ædificentur muri Jerusalem.
21. Tunc acceptabis sacrificium  
iustitiæ, oblationes et holo-  
causta:  
tunc imponent super altare  
tuum vitulos.

**Sensus latinae Vulgatae.**

**C**or mundum crea mihi, o Deus!  
et spiritum rectum innova in  
visceribus meis!

Ne rejicias me a facie Tua,  
et spiritum Tuum sanctum noli  
auferre a me!

Restitue mihi lætitiā de auxilio  
Tuo,  
et confirma animum meum promp-  
tum!

**D**ocebo iniquos vias Tuas,  
et impii ad Te convertentur!

Libera me a culpa effusi san-  
guinis, o Deus, Deus salvator mi!  
et celebrabit lingua mea iusti-  
tiam Tuam!

Domine! aperi labia mea,  
et os meum annuntiabit laudem  
Tuam!

Si enim desiderares sacrificium,  
utique offerem illud;  
holocaustis autem — Tu non  
delectaris.

Sacrificium Deo gratum est —  
spiritus contritus;  
cor contritum et fractum, o Deus,  
non spernis. —

**B**enefac Domine ex benevolentia  
Tua Sioni!  
ut ædificentur muri Hierosolymæ!

Tunc acceptabis sacrificia legi-  
tima, oblationes, et holocausta;  
tunc imponent iuencos altari Tuo.

**Notae ad Psalmum 50.**

**Auctor et argumentum et occasio.** — Auctor psalmi huius, — rex David, — sermone Nathanis prophetæ perculsus, deprecatur suum adulterium cum Betsaba, et dolosum homicidium — Uriæ militumque, qui cum ipso occubuerunt (II. Sam. 11, 12.).

Dein exorat Deum, ut pœnitentis propositum recte agendi corroboret; agnoscit simul, pro talibus criminibus locum non habere sacrificia, utique autem acceptam esse Deo contritionem et emendationem.

Nota 1. Versu septimo clare proponitur doctrina de peccato originali.

Nota 2. Duo ultimi versus i. e. v. 20 et 21. videntur huic psalmo Davidico adiecti et quidem tempore exilii Babylonici; nam Urbs sistitur destructa et cessatio cultus sacrificiorum clare innuitur.

Sensus horum versuum est: „Fac, ut ædificentur muri Jerosolymæ, tunc scilicet i. e. restaurata Urbe, — imponent iuencos altari Tuo“, i. e. restaurabuntur sacrificia consueta —

## Psalmus 51.

### Lingua dolosa poenam non effugiet.

#### Sonus latinae Vulgatae.

1. In finem, intellectus David,
2. cum venit Doëg Idumæus et nuntiavit Sauli: Venit David in domum Achimelech.
3. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?
4. Tota die iniustitiam cogitavit lingua tua: sicut novacula acuta fecisti dolum.
5. Dilexisti malitiam super benignitatem; iniquitatem magis, quam loqui æquitatem.
6. Dilexisti omnia verba præcipationis lingua dolosa.
7. Propterea destruet te Deus in finem, evellet te, et emigrabit te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium.
8. Videbunt iusti et timebunt, et super eum ridebunt et dicent:
9. Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum: sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate sua.

#### Sensus latinae Vulgatae.

Ad liturgiam sacram; — Carmen Davidis,

cum venisset Doëg, Idumæus, et Saulo nuntiasset: „Venit David in domum Achimelechi.“

**Q**uid gloriaris malitia — inique tyranne?

Tota die iniustitiam meditatur lingua tua; dolose agis instar novaculæ acutæ.

Malum magis diligis, quam bonum, mendacium magis, quam loqui rectum.

Diligis verba perniciosissima quæque, o lingua dolosa!

**P**ropterea destruet te Deus in perpetuum, evellet te, et migrare faciet ex tuo tabernaculo te, et radicem tuam — de terra viventium.

Iusti videbunt id et reverebuntur, et ridebunt super eum dicentes:

En virum, qui non fecit Deum — adiutorem suum; sed fiduciam collocavit in multitudine divitiarum suarum, et valuit pravitate sua!

**Sonus latinae Vulgatae.**

10. Ego autem, sicut oliva fructifera in domo Dei,  
speravi in misericordia Dei in æternum, et in sæculum sæculi.
11. Confitebor tibi in sæculum, quia fecisti:  
et exspectabo nomen tuum, quoniam bonum est  
in conspectu sanctorum tuorum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ego vero sum sicut olea fructifera in domo Dei,  
fiduciam colloco in gratia Dei semper et in sæculum sæculi.

Celebrabo Te in perpetuum, quod id fecisti,  
et confidam nomini Tuo, quoniam est beneficium,  
— coram piis cultoribus Tuis. —

**Notae ad Psalmum 51.**

**Argumentum et auctor.** — Auctor huius psalmi — David — invehitur in calumniatorem Idumæum, nomine Doëg, et spem suam in Dei gratiam reponit.

**Occasio.** — Psalmum hunc exaravit David in memoriam eorum, quæ in I. Sam. 21, 8 et 22, 6—23. narrantur; cum nempe satellites regis Sauli recusassent extendere manus suas in sacerdotes Domini innocentes; irruit Doëg in eos et trucidavit in die illa octoginta quinque viros vestitos ephod lineo.

**Nota.** In finem rectæ interpretationis vide dicta de psalmis imprecatoriis („Præfatio“ § 24 et 25.)

**Psalmus 52.****Mundus malus.****Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem; pro Mæleth intelligentiæ David.  
Dixit insipiens in corde suo:  
Non est Deus.
2. Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in iniquitatibus:  
non est, qui facit bonum.
3. Deus de cælo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum.
4. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt:  
non est, qui faciat bonum,  
non est usque ad unum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — pro Mahelet. Carmen Davidis.

Dicit insipiens in corde suo:  
„Non est Deus.“

Corrupti sunt et abominandi ob iniquitates;  
non est, qui faciat bonum.

Deus de cælo despicit — in homines,  
ut videat, num quis exstet sapiens, seu quærens Deum.

Omnes declinaverunt — ad unum corrupti sunt;  
non est, qui faciat bonum, non est vel unus.

**Sonus latinae Vulgatae.**

5. Nonne scient omnes, qui operantur iniquitatem,  
qui devorant plebem meam,  
ut cibum panis?
6. Deum non invocaverunt:  
illic trepidaverunt timore,  
ubi non erat timor.  
Quoniam Deus dissipavit ossa  
eorum, qui hominibus placent:  
confusi sunt, quoniam Deus  
sprevit eos.
7. Quis dabit ex Sion salutare  
Israël?  
Cum converterit Deus capti-  
vitatem plebis suæ,  
exultabit Jacob, et lætabitur  
Israël.

**Sensus latinae Vulgatae.**

**N**umquid nemo sapiet malefico-  
rum istorum,  
qui devorant plebem meam instar  
panis,  
Deum non invocant?  
**I**bi contremiscent timore, ubi non  
est timendum (justis);  
nam Deus dissipat ossa eorum,  
qui hominibus placere studebant.  
Confusi sunt, quoniam Deus re-  
jecit eos.  
**U**tinam detur ex Sione salus  
Israëlis!  
Si reduxerit Deus captivos plebis  
suæ,  
exultabit Jacob et lætabitur Israël.

**Notae ad Psalmum 52.**

Psalmus hic eiusdem est argumenti cum psalmo 13<sup>to</sup> et videtur recentior esse illius — variatio. — Loco „Dominus (Jehova) ponitur hic „Deus“ (Elohim) in v. 3, 6, 7. —

Quod cetera attinet, vide psl. 13. —

**Psalmus 53.**

**Oratio persecutionem patientis.**

**Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem; in carminibus, intel-  
lectus David,
2. cum venissent Ziphæi, et di-  
xissent ad Saul: Nonne David  
absconditus est apud nos?
3. Deus in nomine tuo salvum  
me fac,  
et in virtute tua iudica me.
4. Deus, exaudi orationem meam,  
auribus percipe verba oris  
mei.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — fidibus  
canendum. Carmen Davidis,  
quum venissent Ziphenses et di-  
xissent Saulo: „David latitat apud  
nos.“  
**O** Deus, nomine Tuo salvum  
me fac!  
et potentia Tua age causam meam!  
Deus, audi orationem meam,  
auribus percipe verba oris mei!

**Sonus latinae Vulgatae.**

5. Quoniam alieni insurrexerunt  
adversum me,  
et fortes quæsierunt animam  
meam:  
et non proposuerunt Deum  
ante conspectum suum.
6. Ecce enim, Deus adiuvat me,  
et Dominus susceptor est ani-  
mæ meæ.
7. Averte mala inimicis meis,  
et in veritate tua disperde  
illos.
8. Voluntarie sacrificabo tibi,  
et confitebor nomini Tuo, Do-  
mine, quoniam bonum est:
9. quoniam ex omni tribulatione  
eripuisti me,  
et super inimicos meos de-  
spexit oculus meus.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Nam alieni surgunt contra me,  
et violenti appetunt vitam meam,  
et non ponunt Deum ante oculos  
suos!

**E**cce enim, Deus adiuvat me,  
et Dominus est protector vitæ  
meæ!

Verte illa mala ad inimicos meos,  
et per fidem Tuam perde eos!

Lubenti animo sacrificabo Tibi,  
celebrabo nomen Tuum, Domine,  
quoniam benignum est;  
nam ex omni calamitate eripuisti  
me,  
et oculus meus cum voluptate in-  
tuetur — inimicos meos.

**Notae ad Psalmum 53.**

Auctor, argumentum et occasio. Auctor huius psalmi — David — in angustiis constitutus prodicione Ziphensium, implorat opem Dei, eamque certissime expectat; dein spondet se Deo gratias acturum esse.

Davidem prodiderunt Ziphenses bina vice: ut scriptum est in I. Sam. 23, 19. et 26, 1. — Utrum prima vel vero secunda proditio occasionem præbuit huic psalmo, determinari nequit. —

**Psalmus 54.****Oratio proditi — ab amico.****Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem; in carminibus, in-  
tellectus David.
2. Exaudi, Deus, orationem meam,  
et ne despexeris deprecationem  
meam:
3. intende mihi, et exaudi me.  
Contristatus sum in exerci-  
tatione mea: et conturbatus  
sum

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — fidibus  
canendum. — Carmen Davidis.

**A**udi, o Deus, orationem meam,  
et ne despicias deprecationem  
meam!

Attende ad me et exaudi me!  
contristatus sum in sollicitudine  
mea et conturbatus —

**Sonus latinae Vulgatae.**

4. a voce inimici, et a tribulatione peccatoris.  
Quoniam declinaverunt in me iniquitates,  
et in ira molesti erant mihi.
5. Cor meum conturbatum est in me,  
et formido mortis cecidit super me.
6. Timor et tremor venerunt super me,  
et contexerunt me tenebrae:
7. et dixi: Quis dabit mihi penas sicut columbae,  
et volabo, et requiescam?
8. Ecce, elongavi fugiens,  
et mansi in solitudine.
9. Exspectabam eum, qui salvum me fecit  
a pusillanimitate spiritus, et tempestate.
10. Præcipita, Domine: divide linguas eorum.  
quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate.
11. Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas,  
et labor in medio ejus,
12. et injustitia.  
Et non defecit de plateis ejus usura et dolus.
13. Quoniam, si inimicus meus maledixisset mihi,  
sustinuissem utique.  
Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset,  
abscondissem me forsitan ab eo.
14. Tu vero, homo unanims,  
dux meus, et notus meus,
15. qui simul mecum dulces capiebas cibos:  
in domo Dei ambulavimus cum consensu.

**Sensus latinae Vulgatae.**

ob vocem inimici et propter oppressionem improbi;  
nam declinant in me calamitates,  
et animo ira æstuante infestant me.

**C**or meum conturbatum est in me,  
et horror mortis cadit in me.

Timor et tremor me invadit,  
et tenebrae operiunt me.

Hinc dico: Utinam essent mihi alæ instar columbae!  
avolarem, ut requiescerem;

En, longissime fugerem,  
et manerem in deserto —  
expectans Eum, qui salvum me faciat, —  
ante ventum, qui me reddit pusillanimum — ante procellam.

**P**ræcipita, o Domine, divide linguas eorum;  
video enim iniquitatem et rixam in civitate!

Diu noctuque circumeunt eam in muris ejus iniqui;  
in ipsa vero sunt æumnæ!  
et mera iniustitia.  
Et non recedit a plateis ejus usura et dolus.

Si enim inimicus meus maledixisset mihi,  
sustinuissem ea utique;  
et si osor meus contra me fastuose locutus fuisset;  
potuissem me forsitan abscondere ab eo.

Sed tu es vir mihi æqualis;  
dux meus et familiaris meus;  
qui mecum dulces simul capiebas cibos,  
et in domum Dei concordēs ibamus.



**Sonus latinae Vulgatae.**

16. Veniat mors super illos,  
et descendant in infernum vi-  
ventes:  
quoniam nequitiae in habita-  
culis eorum, in medio eorum.
17. Ego autem ad Deum clamavi,  
et Dominus salvabit me.
18. Vespere, et mane, et meridie  
narrabo et annuntiabo:  
et exaudiet vocem meam.
19. Redimet in pace animam meam  
ab his, qui appropinquant mihi,  
quoniam inter multos erant  
mecum.
20. Exaudiet Deus, et humiliabit  
illos,  
qui est ante sæcula.  
Non enim est illis commu-  
tatio,  
et non timuerunt Deum:
21. extendit manum suam in re-  
tribuendo.  
Contaminaverunt testamentum  
ejus:
22. divisi sunt ab ira vultus ejus,  
et oppropinquavit cor illius.  
Molliti sunt sermones ejus  
super oleum;  
et ipsi sunt jacula.
23. Jacta super Dominum curam  
tuam,  
et ipse te enutriet:  
non dabit in æternum fluctua-  
tionem justo.
24. Tu vero, Deus, deduces eos  
in puteum interitus.  
Viri sanguinum, et dolosi non  
dimidiabunt dies suos:
- ego autem sperabo in te, Do-  
mine.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Superveniatur illis exitium!  
et descendant in orcum — vi-  
ventes;  
nam nequitia tantum est in habita-  
culis eorum — in pectore eorum!
- Ego vero ad Deum clamabo,  
et Dominus salvabit me.
- Vespere et mane et meridie que-  
rar et ingemiscam,  
et Ipse exaudiet vocem meam.
- Ipse gratiose liberabit me ab iis,  
qui contra me appropinquant;  
nam magno numero sunt circa me.
- Audiet Deus et humiliabit eos —
- Ille qui est ab æterno;  
quoniam ii mentem suam non  
mutant,  
et Deum non timent.
- Extendit manum suam in amicum, —  
profanant fœdus cum eo pactum.
- Diviserunt se propter iram eius;  
quamquam oppropinquare vide-  
batur cor eius,  
sermones ejus sunt molliores oleo,  
et tamen sunt — jacula.
- Committe Domino curam tuam,  
et ipse sustentabit te;  
in æternum non concedet, ut nutet  
justus.
- Et tu, o Deus, detrudes eos in  
foveam interitus;  
viri sanguinolenti et dolosi dimi-  
diam vitæ suæ partem non at-  
tingent;  
ego vero fiduciam colloco in Te,  
Domine!

### Notae ad Psalmum 54.

**Auctor et argumentum.** Auctor huius psalmi — David — in summo versans discrimine optat, ut in deserta fugere posset (v. 2.—9.);

describit deplorandum statum Urbis plenae violentia, rixis, oppressione et fraude (v. 10.—12.);

conqueritur de perfidia amici — absque dubio — Achitofelis (v. 13.—15.); et praesagit — exitium factiosorum (v. 16.).

Dein contestatur spem suam de auxilio divino, et repetit querelas de perfido amico, nec non tristem adversariorum finem.

**Tempus.** Psalmum hunc exaravit — David — erumpente Absalonis conspiratione, de qua refert II. Sam. in cap. 15.

**Nota.** Quoad v. 16. vide „Præfatio“ § 24. et 25.

## Psalmus 55.

### Consolatio fugientis.

#### Sonus latinae Vulgatae.

1. In finem, pro populo, qui a Sanctis longe factus est;

David in tituli inscriptionem, cum tenuerunt eum Allophyli in Geth.

2. Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo: tota die impugnans tribulavit me.

3. Conculcaverunt me inimici tota die, quoniam multi bellantes adversum me.

4. Ab altitudine diei timebo: ego vero in te sperabo.

5. In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi: non timebo, quid faciat mihi caro.

6. Tota die verba mea execrantur: adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

#### Sensus latinae Vulgatae.

Ad liturgiam sacram; — ad modum: „Populus a Sanctuario remotus“.

Carmen monumentale Davidis, cum comprehendissent eum Philistæi Gathæ.

**M**iserere mei, Deus, nam homines conculcant me, tota die tribulant me adversarii!

Tota die conculcant me inimici mei, nam multi pugnant adversus me!

**Q**uocunque die invadit me timor, ego in Te fiduciam colloco!

Deo animatus celebrosorem meam, fiduciam in Deo collocans non timeo; Quid facere poterit mihi — homo mortalis?

**T**ota die execrantur verba mea, adversum me omnia consilia eorum sunt ad malum.

**Sonus latinae Vulgatae.**

7. Inhabitabunt et abscondent:  
ipsi calcaneum meum observabunt.  
Sicut sustinuerunt animam meam,
8. pro nihilo salvos facies illos:  
in ira populos confringes,  
Deus,
9. vitam meam annuntiavi tibi:  
posuisti lacrimas meas in conspectu tuo:  
sicut et in promissione tua:
10. tunc convertentur inimici mei  
retrorsum:  
in quacunque die invocavero te:  
ecce cognovi, quoniam Deus meus es.
11. In Deo laudabo verbum,  
  
in Domino laudabo sermonem:  
  
in Deo speravi, non timebo,  
  
quid faciat mihi homo.
12. In me sunt, Deus, vota tua,  
  
quæ reddam, laudationes tibi.
13. Quoniam eripuisti animam meam de morte,  
et pedes meos de lapsu,  
ut placeam coram Deo in lumine viventium.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Morantur in abscondito, vestigia mea observant,

quandoquidem inhiant vitæ meæ.

**N**ullo pretio salvabis eos!  
In ira confringes populos,  
o Deus!

Vitam meam patefacio Tibi;  
Tu deponis lacrimas meas in conspectu Tuo,  
sicut etiam promisisti.

Tunc converti debent retrorsum inimici mei,  
in quacunque die clamavero ad Te.

Ecce scio, Te esse Deum meum!

Deo animatus celebros providentiam,

Domino animatus celebros regimen (Eius).

In Deo fiduciam collocans non timeo;

quid facere poterit mihi — homo mortalis?

**M**ihi incumbunt, o Deus, vota Tibi facta,  
solvam Tibi sacrificia eucharistica.  
Nam eripuisti animam meam a morte,  
et pedes meos a lapsu,  
ut placeam ambulans coram Deo in luce inter vivos!

**Notae ad Psalmum 55.**

**Auctor et argumentum.** Auctor huius psalmi — David — in angustiis versans, implorat Dei auxilium (v. 2.—3.).

Deo animatus celebrat providentiam divinam (v. 4. 5. 11.),  
omnem fiduciam collocans in Deo, qui bene novit misérias, quas ab insidiatoribus patitur (v. 6.—11.).

Dein spondet, se quondam liberatum — vota sua, Deo facta, esse persoluturum in gratiarum actionem (v. 12 — 13.).

**Tempus.** Juxta inscriptionem refertur exaratio psalmi huius ad tempus, quo David fugit ex aula Sauli et venit Gatham in Philistæa, qua de refert I. Sam. 20, 10—21, 1.

## Psalmus 56.

**Preces vespertinae in deserto.****Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem: Ne disperdas,  
David in tituli inscriptionem,  
cum fugeret a facie Saul in  
speluncam.
2. Miserere mei, Deus, miserere  
mei,  
quoniam in te confidit anima  
mea.  
Et in umbra alarum tuarum  
sperabo,  
donec transeat iniquitas.
3. Clamabo ad Deum altissimum,  
Deum, qui benefecit mihi.
4. Misit de cœlo, et liberavit me:  
dedit in opprobrium concul-  
cantes me.  
Misit Deus misericordiam  
suam, et veritatem suam,
5. et eripuit animam meam de  
medio catulorum leonum:  
dormivi conturbatus.  
Filii hominum, dentes eorum  
arma et sagittæ,  
et lingua eorum gladius acutus.
6. Exaltare super cœlos, Deus,  
et in omnem terram gloria tua.
7. Laqueum paraverunt pedibus  
meis,  
et incurvaverunt animam meam.  
Foderunt ante faciem meam  
foveam,  
et inciderunt in eam.
8. Paratum cor meum, Deus,  
paratum cor meum:  
cantabo, et psalmum dicam.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — ad mo-  
dum: „Ne disperdas“.

Carmen monumentale Davidis,  
cum fugeret coram Saulo in spe-  
luncam.

**M**iserere mei, Deus, miserere  
mei,  
nam in Te confidit anima mea!

Confugio sane in umbram alarum  
Tuarum,  
donec transeat perniciēs.

Clamo ad Deum altissimum,  
ad Deum, qui benefacit mihi.

**M**ittet de cœlo et liberabit me;  
opprobrio afficiet persecuto-  
res meos.  
Deus mittet gratiam suam et  
fidem suam.

Et eripiet animam meam de medio  
catulorum leonum;  
dormio conturbatus —  
inter homines, quorum dentes  
sunt arma et sagittæ,  
et quorum lingua est gladius acu-  
tus.

Exaltare super cœlos, o Deus!  
et super omnem terram sit gloria  
Tua!

**L**aqueum paraverunt pedibus  
meis,  
et incurvaverunt animam meam;  
foderunt ante me foveam, —  
et ipsi in eam incidunt.

Firmatum est cor meum, o Deus,  
firmatus est animus meus!  
canam voce et fidibus!

**Sonus latinae Vulgatae.**

9. Exsurge gloria mea,  
exurge, psalterium et cithara:  
exurgam diluculo.
10. Confitebor tibi in populis,  
Domine,  
et psalmum dicam tibi in gen-  
tibus.
11. Quoniam magnificata est usque  
ad cœlos misericordia tua,  
et usque ad nubes veritas tua.
12. Exaltare super cœlos, Deus,  
et super omnem terram glo-  
ria tua.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Expergiscere anima mea!  
expergiscere lyra et cithara,  
surgam diluculo!

Celebrabo Te inter populos, Do-  
mine!  
canam Te inter nationes!

Nam magna usque ad cœlos est  
gratia Tua,  
et usque ad nubes fides Tua.

Exaltare super cœlos, o Deus,  
et super omnem terram sit gloria  
Tua!

**Notae ad Psalmum 56.**

**Auctor et argumentum.** — Auctor huius psalmi — David — in summo rerum discrimine a Saulo profugus et in spelunca latitans implorat Dei auxilium. —

**Tempus.** — David exaravit hunc psalmum, quum fugisset coram Saulo in speluncam, de qua re refert I. Sam. 22, 1. vel potius 24, 1.—23.

**Nota.** Versus 8.—12. psalmi huius constituunt versus 2.—6. psalmi 107<sup>mi</sup>; vide „Præfatio“ § 16. sub linea.

**Psalmus 57.****Deus inopinate puniet iniustos rectores.****Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem: Ne disperdas,  
David in tituli inscriptionem.
2. Si vere utique iustitiam lo-  
quimini:  
recta iudicate, filii hominum.
3. Etenim in corde iniquitates  
operamini,  
in terra iniustitias manus ve-  
stræ concinnant.
4. Alienati sunt peccatores a vulva,  
erraverunt ab utero: locuti  
sunt falsa.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — ad mo-  
dum: „Ne disperdas.“  
Carmen monumentale Davidis.

**N**um revera, id, quod iustum est,  
loquimini? —  
num recte iudicatis, filii hominum?

Etenim vos prava in corde ope-  
ramini;  
manus vestræ iniustitias in terra  
concinnant.

Abalienati sunt impii inde a vulva;  
errant inde ab utero — loquentes  
mendacia.

**Sonus latinae Vulgatae.**

5. Furor illis secundum similitudinem serpentis:  
sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas,
6. quæ non exaudiet vocem incantantium  
et venefici incantantis sapienter.
7. Deus conteret dentes eorum  
in ore ipsorum:  
molas leonum confringet Dominus.
8. Ad nihilum devenient tanquam  
aqua decurrens:  
intendit arcum suum, donec infirmentur.
9. Sicut cera, quæ fluit,  
auferentur: supercecidit ignis,  
et non viderunt solem.
10. Priusquam intelligerent spinæ  
vestræ rhamnum:  
sicut viventes, sic in ira absorbet eos.
11. Lætabitur iustus, cum viderit  
vindictam:  
manus suas lavabit in sanguine peccatoris.
12. Et dicet homo: Si utique est  
fructus iusto:  
utique est Deus iudicans eos  
in terra.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Venenum est ipsis instar veneni serpentis,  
instar viperæ surdæ, quæ obturat aures suas,

ne audiat vocem incantatorum,  
et magici perite incantantis.

**D**eus conteret dentes eorum in ore ipsorum;  
mordices leonum confringet Dominus.

Evanescent instar aquæ, quæ diffluit.  
Tendet arcum suum, donec infirmati fuerint.

Evanescent sicut cera, quæ fluit, ignis cadet super eos et non amplius videbunt solem.

Priusquam persentiscant spinæ vestræ se esse rhamnum, abripiet eas in ira — virentes.

**L**ætabitur iustus, cum viderit vindictam;  
lavabit manus suas in sanguine improbi.

Et homines dicent: „Utique est iusto præmium;  
utique existit Deus, qui iudicat eos in terra.

**Notae ad Psalmum 57.**

**Auctor et argumentum.** — Vates sacer — David — invenitur in iudices iniustos prædicitque iis inopinatum exitum, qua iusta castigatione iusti in virtutis studio confirmabuntur.

**Tempus.** — De tempore exarationis nil certi constat; iniusti iudices sunt vel consiliarii regis Sauli, vel vero asseclæ Absalonis rebellis.

## Psalmus 58.

**Oratio persecutionem immerito patientis.****Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem: Ne disperdas,

David in tituli inscriptionem,  
quando misit Saul, et custo-  
divit domum eius, ut eum  
interficeret.

2. Eripe me de inimicis meis,  
Deus meus,  
et ab insurgentibus in me  
libera me.

3. Eripe me de operantibus ini-  
quitate,  
et de viris sanguinem salva  
me,

4. quia, ecce, ceperunt animam  
meam:  
irruerunt in me fortes.

5. Neque iniquitas mea, neque  
peccatum meum Domine:  
sine iniquitate cucurri, et di-  
rexī.

6. Exsurge in occursum meum,  
et vide!  
et tu, Domine Deus virtutum,  
Deus Israël,  
intende ad visitandas omnes  
gentes:

non miserearis omnibus, qui  
operantur iniquitatem

7. Convertentur ad vesperam, et  
famem patientur ut canes,  
et circuibunt civitatem.

8. Ecce, loquentur in ore suo,  
et gladius in labiis eorum:  
quoniam quis audivit?

9. Et tu, Domine, deridebis eos:  
ad nihilum deduces omnes  
gentes.

10. Fortitudinem meam ad te cus-  
todiam,  
quia, Deus, susceptor meus es:

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; ad modum:  
„Ne disperdas“

Carmen monumentale Davidis, cum  
mitteret Saulus (viros), ut custo-  
dirent domum eius, ut interfici-  
cerent eum.

**E**ripe me de inimicis meis, Deus  
mi!

et ab insurgentibus in me libera  
me!

Eripe me de operantibus iniqui-  
tatem,  
et salva me a viris sanguino-  
lentis!

Nam, ecce insidiantur animæ meæ,

robusti irruunt in me;

nequaquam ob delictum meum, nec  
ob peccatum meum, Domine!  
absque iniquitate ambulo et recte  
ago.

Surge in occursum meum et vide!

Tu, inquam, Domine, Deus exer-  
cituum, Deus Israël,  
progredere ad puniendas omnes  
gentes,

ne parcas ulli eorum, qui ope-  
rantur iniquitatem!

**R**edeunt vespere et famem pa-  
tientur ut canes,  
et circumeunt civitatem.

Ecce, ebulliunt ore suo,  
et gladius est in labiis eorum,  
(dicunt enim): Quis hoc audit?

Tu vero, Domine, rides eos,  
ad nihilum deduces omnes gentes.

Ad Te, robur meum, attendo,

nam Tu, o Deus, es protector  
meus!

**Sonus latinae Vulgatae.**

11. Deus meus; misericordia eius  
præveniet me.
12. Deus ostendet mihi super ini-  
micos meos,  
ne occidas eos: nequando  
obliviscantur populi mei.  
Disperge illos in virtute tua,  
et depone eos,  
protector meus Domine:
13. delictum oris eorum, sermo-  
nem labiorum ipsorum:  
et comprehendantur in su-  
perbia sua.  
Et de execratione et men-  
dacio annuntiabuntur.
14. in consumatione, in ira con-  
sumationis,  
et non erunt.  
Et scient, quia Deus domina-  
bitur Jacob,  
et finium terræ.
15. Convertentur ad vesperam, et  
famem patientur ut canes,  
et circuibunt civitatem.
16. Ipsi dispergentur ad mandu-  
candum:  
si vero non fuerint saturati,  
et murmurabunt.
17. Ego autem cantabo fortitu-  
dinem tuam  
et exultabo mane misericor-  
diam tuam.  
Quia factus es susceptor meus,  
et refugium meum, in die tri-  
bulationis meæ.
18. Adiutor meus, tibi psallam,  
quia Deus susceptor meus es:  
  
Deus meus, misericordia mea.

**Sensus latinae Vulgatae.**

**Q**uod Deum meum attinet,  
gratia Eius præveniet me,  
Deus faciet, ut cum voluptate  
conspiciam inimicos meos.  
Noli occidere eos, ne obliviscan-  
tur gentis meæ!  
Disperge eos potentiâ Tua et  
deturba eos,  
protector mi, Domine!  
Os eorum delinquit sermone la-  
biorum ipsorum!  
ideoque capiantur ob superbiam  
suam,  
et propter execrationem et men-  
dacia, quæ nuntiant!  
In consumatione, in ira consuma-  
tionis inveniantur,  
ut non sint amplius!  
ut cognoscant, Deum esse domi-  
natorem in Jacobo  
et in finibus terræ.

**R**evertantur dein vespere et fa-  
mem patientur ut canes,  
et circumcant civitatem!  
Dispersi vagentur ad vorandum,  
  
et si non satiantur, ululent!

Ego vero canam potentiam Tuam  
et celebrabo mane gratiam Tuam;

Tu enim fuisti protector meus,  
et refugium meum in die tribu-  
lationis meæ.  
Adiutor mi! Tibi canam!  
nam Tu, o Deus, es protector  
meus;  
Tu, o Deus mi, es gratia mea.

**Notae ad Psalmum 58.**

Auctor et argumentum et occasio. — Auctor huius psalmi — David — implorat Dei opem, cum domi suæ a satellitibus Sauli custodi-  
retur cum in finem, ut postridie interficeretur; Michol autem liberavit eum;  
de qua re refertur in I. Sam. 19, 10.—12

Nota. In finem rectæ interpretationis valent quoad versus 6 12. 14.—16.  
dicta de psalmis imprecatoriis (vide „Præfatio“ § 24. et 25.).



## Psalmus 59.

**A d i u v a n o s, o D e u s !****Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem; pro his, qui immutabuntur;  
in tituli inscriptionem ipsi David in doctrinam,
2. cum succendit Mesopotamiam Syriæ, et Sobal,  
et convertit Joab, et percussit Idumæam in Valle salinarum duodecim millia.
3. Deus repulisti nos, et destruxisti nos: iratus es, et misertus es nobis.
4. Commovisti terram, et conturbasti eam:  
sana contritiones eius, quia commota est.
5. Ostendisti populo tuo dura:  
potasti nos vino compunctionis.
6. Dedisti metuentibus te significationem,  
ut fugiant a facie arcus:  
ut liberentur dilecti tui:
7. salvum fac dextera tua, et exaudi me.
8. Deus locutus est in sancto suo:  
Lætabor, et partibor Sichimam,  
et convallem tabernaculorum metibor.
9. Meus est Galaad, et meus est Manasses,  
et Ephraim fortitudo capitis mei,  
Juda rex meus.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — ad modum: „Qui immutabuntur.“  
Carmen monumentale Davidis;  
ad docendum;

cum bellum gereret cum Mesopotamia Syriæ et Sobal,  
et cum Joab reversus percuteret in valle salis Idumæos — duodecim millia (virorum).

**D**eus, Tu repulisti nos, et destruxisti nos!  
iratus fuisti, et misertus es nostrum!

Concussisti terram, et conturbasti eam!  
Sana fracturas eius, nam vacillat!

Tu experiri fecisti populum Tuum dura,  
potasti nos vino titubationis.

Tu dedisti cultoribus Tuis signum,  
ut fuga se salvent ab arcu,  
ut liberentur dilecti Tui!

Opem fer dextera Tua et exaudi me!

**D**eus promisit per sanctitatem suam,  
quod lætabor, et distribuam Sichemum,  
et metiar Vallem Tabernaculorum;

quod mihi est Galaad, mihi etiam Manasses,  
et Ephraim — munimentum capitis mei,  
Juda — rex meus;

**Sonus latinae Vulgatae.**

10. Moab olla spei meæ.  
In Idumæam extendam cal-  
ceamentum meum:  
mihi alienigenæ subditi sunt.
11. Quis deducet me in civitatem  
munitam?  
quis deducet me usque in  
Idumæam?
12. Nonne tu, Deus, qui repulisti  
nos:  
et non egredieris Deus in  
virtutibus nostris?
13. Da nobis auxilium de tribu-  
latione,  
quia vana salus hominis.
14. In Deo faciemus virtutem,  
et ipse ad nihilum deducet  
tribulantes nos.

**Sensus latinae Vulgatae.**

quod Moab est pelvis mea sperata,  
quod in Idumæam extendam cal-  
ceum meum,  
quod alienigenæ mihi subditi erunt!

**Q**uis (igitur) ducet me ad urbem  
munitam?  
quis deducet me usque ad Idu-  
mæam?

Nonne Tu, o Deus, qui repulisti  
nos?  
numquid non egredieris, o Deus,  
cum exercitibus nostris?

Da nobis auxilium a tribulatione,  
nam vanum est auxilium huma-  
num!

Deo adiuti agemus fortiter,  
Isque ad nihilum deducet eos, qui  
nos tribulant.

**Notae ad Psalmum 59.**

**Auctor et argumentum.** — Auctor huius psalmi — David —  
enixe rogat Deum, ut sancta vulnera, quæ civitati populi electi infixit;

dein fretus divinis promissionibus, terram sanctam una cum  
adiacentibus ditionibus Moabitarum, Idumæorum et Philisteorum sceptro ipsius  
subiectum iri, et confortatus victoria de Edomitibus reportata (II. Sam. 8,  
12.; I. Par. 18, 12) pollicetur sibi, Deo adiuvante, contra hostes adhuc  
debellandos felicem successum. —

**Tempus.** — Psalmus hic debet originem suam bello Nisibeno, de  
quo refertur in II. Sam. cap. 8

**Nota.** Versus 62—14 huius psalmi constituunt vv. 7—14. psalmi 107 mi.  
(Vide „Præfatio“ § 16 sub linea.)

**Psalmus 60.**

**○ Deus, exaudi regem!**

**Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem; in hymnis David.
2. Exaudi Deus, deprecationem  
meam:  
intende orationi meæ.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — pro fidu-  
cinibus; — a Davide.

**A**udi, o Deus, deprecationem  
meam,  
attende, quæso, ad orationem meam!

**Sonus latinae Vulgatae.**

3. A finibus terræ ad te clamavi  
dum anxiaretur cor meum:  
in petra exaltasti me. Deduxisti me,
4. quia factus es spes mea:  
turris fortitudinis a facie inimici.
5. Inhabitabo in tabernaculo tuo  
in sæcula:  
protegar in velamento alarum  
tuarum,
6. quoniam tu, Deus meus,  
exaudisti orationem meam:  
dedisti hereditatem timentibus  
nomen tuum.
7. Dies super dies regis adicies:  
annos eius usque in diem  
generationis et generationis.
8. Permanet in æternum in conspectu Dei:  
misericordiam et veritatem eius  
quis requirit?
9. Sic psalmum dicam nomini  
tuo in sæculum sæculi,  
ut reddam vota mea de die  
in diem.

**Sensus latinae Vulgatae.**

A finibus terræ ad Te clamo,  
dum anxiatur cor meum;  
exalta me in petram; — ducas me!  
Nam Tu es spes mea,  
turris firma coram inimico.

**H**abitare volo in tabernaculo  
Tuo in sæcula;  
fac, ut protegar velamento alarum  
Tuarum!  
Nam Tu, Deus mi, audis orationem  
meam,  
Tu reddes possessionem hereditariam  
cultoribus nominis Tui.

**D**ies adicias diebus regis,  
anni eius sint — ætas generationum!  
Permaneant in æternum coram Deo,  
gratiam et fidem eius nemo desideret!  
Sic canam nomen Tuum perpetuo,  
ut solvam vota mea de die in diem!

**Notae ad Psalmum 60.**

**Auctor et argumentum.** — Regius psaltes — David — implorat auxilium Dei atque spem concipit, se rediturum esse ad Sanctuarium et diu feliciter regnaturum.

**Tempus.** — Versus tertius sistit Davidem tempore exarationis — huius psalmi in extremis finibus terræ sacræ commorantem; erat ergo profugus a rebelle filio suo Absolone.

**Psalmus 61.****Soli Deo confide!****Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem; pro Idithun, Psalmus David.
2. Nonne Deo subjecta erit anima mea?  
ab ipso enim salutare meum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — Idituno.  
— Psalmus Davidis.

**N**onne subjecta sit Deo anima  
mea?  
ab Eo enim venit auxilium mihi!

**Sonus latinae Vulgatae.**

3. Nam et ipse Deus meus, et salutaris meus:  
susceptor meus, non movebor amplius.
4. Quousque irruitis in hominem?  
interficitis universi vos,  
tamquam parieti inclinato et maceriae depulsæ?
5. Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere,  
cucurri in siti:  
ore suo benedicebant, et corde suo maledicebant.
6. Verumtamen Deo subiecta esto anima mea:  
quoniam ab ipso patientia mea.
7. Quia ipse Deus meus, et salvator meus,  
adjutor meus, non emigrabo.
8. In Deo salutare meum, et gloria mea:  
Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est.
9. Sperate in eo omnis congregatio populi,  
effundite coram illo corda vestra:  
Deus adjutor noster in æternum.
10. Verumtamen vani filii hominum,  
mendaces filii hominum in stateris,  
ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.
11. Nolite sperare in iniquitate,  
et rapinas nolite concupiscere:  
divitiæ si affluent, nolite cor apponere.
12. Semel locutus est Deus,  
duo hæc audiivi,  
quia potestas Dei est:
13. et tibi, Domine, misericordia,  
quia tu reddes unicuique juxta opera sua.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Nam is solus est Deus meus et salvator meus,  
protector meus; — non nutabo amplius.

Quousque irruitis in virum,  
interfecturi eum vos omnes —  
instar parietis inclinati, instar muri percussi?

Utique decreverunt depellere dignitatem meam,  
dum sitiens cursito;  
ore suo benedicunt, corde autem suo maledicunt.

**V**erumtamen Deo subjecta esto anima mea!  
ab Eo enim venit, quod spero.

Is solus est Deus meus et salvator meus,  
adjutor meus; — non emigrabo.

Apud Deum est salus mea et honor meus,  
Deus est auxilium meum; spes mea in Deo collocatur.

In Eo collocate fiduciam omnis congregatio populi,  
coram Eo effundite corda vestra!

Deus est adiutor noster in æternum.

**N**on nisi vanitati dediti sunt filii hominum;  
fraudenti sunt homines, in stateris,  
ita ut decipiant;  
de vanitate sunt omnes universim.

Ne collocetis fiduciam in iniquitate,  
et rapinas nolite concupiscere!  
divitiis, cum creverint, nolite cor apponere!

Una vice locutus est Deus;  
duo sunt, quæ audiivi:  
Potentia est Deo,

et Tibi, o Domine, est gratia; —  
Nam Tu rependis cuique secundum opera eius.

## Notae ad Psalmum 61.

Auctor et argumentum. — Auctor huius psalmi, — David, — immanem persecutionem patiens (v. 4.—5.) contestatur firmissimam spem suam de auxilio divino.

Ad talem fiduciam etiam ceteros homines exhortatur, quia vana est fiducia, quæ reponitur in homines et in divitias accumulatas. — Deus enim solus est potens, benignus et iustus. —

Tempus. — Argumentum psalmi huius non minus convenit tempori persecutionum Sauli, quam rebellionis Absalom; certius quid de tempore statui nequit.

## Psalmus 62.

Oratio matutina persecutionem patientis  
in deserto inaquoso.

## Sonus latinae Vulgatae.

1. Psalmus David,  
cum esset in deserto Idumææ.
2. Deus, Deus meus, ad te de  
luce vigilo.  
Sitivit in te anima mea, quam  
multipliciter tibi caro mea.
3. In terra deserta, et invia, et  
inaquosa:  
sic in sancto apparui tibi,  
  
ut viderem virtutem tuam, et  
gloriam tuam.
4. Quoniam melior est miseri-  
cordia tua super vitas:  
labia mea laudabunt te.
5. Sic benedicam te in vita mea:  
  
et in nomine tuo levabo ma-  
nus meas.
6. Sicut adipe et pinguetudine  
repletur anima mea,  
et labiis exultationis laudabit  
os meum.
7. Si memor fui tui super stra-  
tum meum,  
in matutinis meditabor in te:

## Sensus latinae Vulgatae.

- Psalmus Davidis,  
cum esset in deserto Idumææ.
- D**eus, Deus mi, ad Te cum  
matutina luce vigilo!  
Te sitit anima mea, quam multi-  
pliciter sitit Te caro mea,
- in regione deserta, et invia, et  
inaquosa!  
Sic apparebam coram Te in sa-  
crario,  
conspecturus potentiam et maie-  
statem Tuam;
- nam melior est gratia Tua quam  
vita;  
labia mea laudent Te!
- S**ic Te celebraturus sum per  
vitam meam,  
et in nomine Tuo levabo manus  
meas!
- Quasi adipe et pinguetudine re-  
pletur anima mea,  
et labiis jubilantibus laudes canit  
os meum,
- dum Tui recordor in strato meo; —  
primo mane meditor de Te!

**Sonus latinae Vulgatae.**

8. quia fuisti adjutor meus.  
Et in velamento alarum tuarum exultabo.
9. Adhæsit anima mea post te:  
me suscepit dextera tua.
10. Ipsi vero in vanum quæsi-  
erunt animam meam:  
introibunt in inferiora terræ:
11. tradentur in manus gladii:  
partes vulpium erunt.
12. Rex vero lætabitur in Deo:  
laudabuntur omnes, qui jurant  
in eo,  
quia obstructum est os lo-  
quentium iniqua.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Nam Tu es adjutor meus,  
et in umbra alarum Tuarum ju-  
bilarare possum.

Tibi adhæret anima mea,  
dextera Tua me sustentat.

Isti vero, qui ad perniciem quæ-  
runt animam meam,  
venient in infima terræ;

tradentur in potestatem gladii,  
erunt præda canum aureorum.

Rex autem lætabitur de Deo;  
omnes qui jurant per Eum glori-  
tabuntur,  
quando clausum fuerit os lo-  
quentibus iniqua.

**Notae ad Psalmum 62.**

Auctor et argumentum. — Regius psaltes — David — in deserto profugus delineat desiderium suum redeundi ad Sanctuarium, ut sacrae liturgiae adesse posset, speratque firmiter, id caesis hostibus futurum esse. Argumentum et elocutio huius psalmi similis est psalmo 41<sup>mo</sup>.

Tempus. — In v. 12<sup>mo</sup> nominat se David regem; exaratus est ergo psalmus hic eo tempore, quum profugus a rebelle filio Absolone in deserto Judæ trans Jordanem moraretur, de quo vide II. Sam. cap. 17.

**Psalmus 63.****○ Deus tuere me contra maleficos!****Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem, psalmus David.
2. Exaudi, Deus, orationem meam,  
cum deprecor:  
a timore inimici eripe ani-  
mam meam.
3. Protexisti me a conventu ma-  
lignantium:  
a multitudine operantium ini-  
quitatem.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — Psalmus Davidis.

Exaudi, Deus, orationem meam,  
cum deprecor,  
ab inimico terribili eripias vitam  
meam!

Protege me a congressu malefi-  
corum,  
a turba operantium iniquitatem,

**Sonus latinae Vulgatae.**

4. Quia exacuerunt ut gladium linguas suas:  
intenderunt arcum rem amar-  
ram,
5. ut sagittent in occultis im-  
maculatum.
6. Subito sagittabunt eum, et  
non timebunt:  
firmaverunt sibi sermonem ne-  
quam.  
Narraverunt, ut absconderent  
laqueos:  
dixerunt: Quis videbit eos?
7. Scrutati sunt iniquitates:  
defecerunt scrutantes scruti-  
nio.  
Accedet homo ad cor altum:
8. et exaltabitur Deus.  
Sagittæ parvulorum factæ sunt  
plagæ eorum:
9. et infirmatæ sunt contra eos  
linguæ eorum.  
Conturbati sunt omnes, qui  
videbant eos:
10. et timuit omnis homo.  
Et annuntiaverunt opera Dei,  
et facta ejus intellexerunt.
11. Lætabitur justus in Domino,  
et sperabit in eo,  
et laudabuntur omnes recti  
corde.

**Sensus latinae Vulgatae.**

qui acuunt ut gladium — linguas  
suas,  
tendunt ut arcum — sermonem  
acerbum,

ut sagittent in latibulis innocuum!

Subito sagittant eum, nec metu-  
unt quemquam.

**O**bfirmant sibi rem malam,

consultant inter se de occultandis  
laqueis,  
dicentes: „Quis videbit eos“?

Exquirunt iniquitates;  
ad finem perduxerunt consilium  
excogitatum;  
quisque accedit ad cor profunde  
occlusum.

**T**um exaltat se Deus.

Sagittæ in manibus parvu-  
lorum cedunt in perniciem eorum.

Et linguæ eorum infirmatæ sunt  
in interitum eorum.

Conturbati sunt omnes, qui eos  
vident.

Et timebunt omnes homines,  
et prædicabunt opera Dei,  
cum cognoverint facta Ejus.

Justus lætabitur de Domino, et  
fiduciam collocabit in Eo,  
et gloriabuntur omnes recti corde.

**Notae ad Psalmum 63.**

**Auctor et argumentum.** — Auctor huius psalmi — David — in  
vitæ periculo constitutus orat, ut Deus eum defendat contra scelestia mo-  
limina hominum insidiosorum.

**Fiducia auxilii divini confortatus præagit exitium hostium**  
suamque liberationem, quo facto omnes boni magis magisque fiduciam  
suam in Deo collocabunt.

**Tempus.** — Utrum exaratio psalmi huius in tempora persecutionum  
Sauli, vel rebellionis Absoloniticæ referenda sit, non constat.

## Psalmus 64.

**Gratiarum actio pro benedictione divina.****Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem, Psalmus David. Canticum Hieremiæ et Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperent exire.
2. Te decet hymnus, Deus in Sion,  
et tibi reddetur votum in Ierusalem.
3. Exaudi orationem meam:  
ad te omnis caro veniet.
4. Verba iniquorum prævaluerunt super nos:  
et impietatibus nostris tu propitiaberis.
5. Beatus, quem elegisti, et assumpsisti:  
inhabitabit in atriis tuis.  
Replebimur in bonis domus tuæ:  
sanctum est templum tuum,
6. mirabile in æquitate.  
Exaudi nos, Deus salutaris noster,  
spes omnium finium terræ et in mari longe.
7. Præparans montes in virtute tua,  
accinctus potentia:
8. qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum eius.  
Turbabuntur gentes,
9. et timebunt, qui habitant terminos a signis tuis:  
exitus matutini et vespere delectabis.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — Psalmus Davidis; Canticum Hieremiæ et Ezechielis pro populo abducto, cum inciperent reverti.

**T**e decet hymnus, o Deus, in Sione!  
Tibi etiam persolvantur vota Jerosolimæ.

Exaudi orationem meam,  
ad Te accedere — omni carni licet!

Iniquitates nos superant,

Tu autem propitius es impietatibus nostris.

Beatus est ille, quem eligis et admittis,  
ut habitet in atriis Tuis!  
Nobis licet satiari bonis domus Tuæ;  
sanctum est templum Tuum,

mirabile iustitia. —

**E**xaudi nos Deus, salvator noster!  
Tu es spes omnium remotorum finium — et terræ et maris!

Potentia Tua stabilis montes,  
robore cinctus.

Tu compescis profundum mare,  
fremitem fluctuum eius.  
Turbantur gentes,

et timebunt incolae finium signa Tua;  
Tu iubilare facis eos — orientales et occidentales.



**Sonus latinae Vulgatae.**

10. Visitasti terram et inebriasti eam:  
multiplicasti locupletare eam.  
Flumen Dei repletum est aquis:  
parasti cibum illorum,  
  
quoniam ita est præparatio eius.
11. Rivos eius inebria,  
multiplica genimina eius:  
in stillicidiis eius lætabitur  
germinans.
12. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ:  
et campi tui replebuntur ubertate.
13. Pinguescent speciosa deserti,  
et exultatione colles accingentur.
14. Induti sunt arietes ovium,  
et valles abundabunt frumento:  
clamabunt, etenim hymnum dicent.

**Sensus latinae Vulgatae.**

**V**isitas terram et redundare facis eam,  
largiter ditas eam;  
Flumen Dei plenum est aquarum,  
Tu paras frumentum eis (hominibus);  
nam sic fit præparatio eius (terræ).  
  
Irrigas sulcos eius;  
multiplicas genimina eius,  
pluviis lætum fit germen eius.

**T**u benedicis coronæ anni benignitate Tua,  
et campi Tui replentur ubertate.

Pascua deserti pinguescunt,  
et iubilo cingunt se colles.

Vestiuntur arietes et oves,  
et valles abundant frumento;  
decet iubilare et hymnum canere.

**Notae ad Psalmum 64.**

Auctor et argumentum. — Auctor elegantis huius hymni est — David.

Homo dependentiæ suæ a Deo conscius, animo fiducia pleno, necessaria sibi impetraturus, adit sanctuarium Dei (2.—5.), qui est Dominus totius naturæ (6.—9.) et benignus dator lætæ messis (10.—14.).

Tempus. — De tempore et occasione exarationis huius hymni nil certi dici potest.

**Psalmus 65.****Gratiarum actio.****Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem; canticum Psalmi resurrectionis.  
Jubilare Deo, omnis terra,
2. psalmum dicite nomini eius,  
date gloriam laudi eius.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — Canticum, psalmus pro liberatione.  
**J**ubilare Deo universæ terræ,  
canite psalmum nomini Eius,  
date gloriam laudi Eius!

**Sonus latinae Vulgatae.**

3. Dicite Deo: Quam terribilia sunt opera tua, Domine!  
in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.
4. Omnis terra adoret te, et psallat tibi:  
psalmum dicat nomini tuo.
5. Venite, et videte opera Dei:  
terribilis in consiliis super filios hominum.
6. Qui convertit mare in aridam:  
in flumine pertransibunt pede:  
ibi lætabimur in ipso.
7. Qui dominatur in virtute sua in æternum,  
oculi eius super gentes respiciunt:  
qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.
8. Benedicite gentes Deum nostrum,  
et auditam facite vocem laudis eius,
9. qui posuit animam meam ad vitam,  
et non dedit in commotionem pedes meos.
10. Quoniam probasti nos, Deus:  
igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.
11. Induxisti nos in laqueum:  
posuisti tribulationes in dorso nostro:
12. imposuisti homines super capita nostra.  
Transivimus per ignem et aquam,  
et eduxisti nos in refrigerium.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Dicite Deo: „Quam terribilia sunt opera Tua, Domine!“  
„Propter magnitudinem potentiæ Tuæ adulantur Tibi inimici Tui!“
- Universa terra adorat Te et psallit Tibi,  
psalmum canit nomini Tuo!
- Venite et contemplamini opera Dei,  
qui admirabilis est in consiliis quoad homines!
- Mare convertit in aridum,  
fluvium transierunt pedibus;  
tum lætati sumus Eo!
- Qui potentia sua dominatur in æternum, —  
Cujus oculi gentes observant;  
Exasperantes nequent sese efferre.
- Laudate gentes Deum nostrum,  
et edite vocem laudis Eius! —
- Qui revocavit animam meam ad vitam,  
nec permisit nutare pedes meos.
- Nam explorasti nos, o Deus,  
probasti nos igne, sicut probatur argentum.
- Permisisti nos cadere in laqueum,  
tribulationes venire in dorsum nostrum.
- Tu inequitare fecisti homines capitibus nostris,  
ivimus per ignem et per aquam; —  
sed eduxisti nos in refrigerium.

**Sonus latinae Vulgatae.**

13. Introibo in domum tuam: in holocaustis reddam tibi vota mea,
14. quæ distinxerunt labia mea.  
Et locutum est os meum in tribulatione mea.
15. Holocausta medullata offeram tibi  
cum incenso arietum:  
offeram tibi boves cum hircis.
16. Venite, audite, et narrabo, omnes, qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ!
17. Ad ipsum ore meo clamavi, et exaltavi sub lingua mea.
18. Iniquitatem si aspexi in corde meo,  
non exaudiet Dominus.
19. Propterea exaudivit Deus, et attendit voci deprecationis meæ.
20. Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam,  
et misericordiam suam a me.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Veniam cum holocaustis in domum Tuam,  
et persolvam Tibi vota mea,
- quæ distincte enuntiarunt labia mea,  
et os meum locutum est in tribulatione mea.
- Offeram Tibi holocausta pingua  
cum suffitu arietum;  
offeram Tibi iuvenços et hircos.
- Venite, audite omnes, qui timetis Deum; narrabo enim, quanta fecit animæ meæ!
- Ore meo ad Eum clamavi, —  
et exaltavi Eum lingua mea.  
Si iniquitatem intendissem in corde meo,  
non exaudiret me Dominus.
- Verum audivit Deus,  
et attendit ad vocem deprecationis meæ.
- Benedictus sit Deus,  
qui non removit orationem meam,  
et gratiam suam a me!

**Notae ad Psalmum 65.**

**Auctor et argumentum** — Vates sacer, cuius nomen determinari nequit, provocat omnes populos ad celebrandum Deum (2.—4.) qui omnipotentiam suam manifestavit iu ducendis ex Aegypto Israëlitis (5.—7.), quos ex magna calamitate et a iugo præpotentis hostis liberavit (8.—12.).

**Inde manifestemus gratum animum** (13.—15.) erga Deum, qui preces nostras, cum versaremur in angustiis, exaudivit (16.—20.).

**Tempus.** — De tempore nil certi statui potest, quia calamitas illa gravis (v. 10.) propius determinari nequit.

## Psalmus 66.

**Gratiarum actio pro benedictione divina.**

| <b>Sonus latinae Vulgatae.</b>                                                                           | <b>Sensus latinae Vulgatae.</b>                                                                                   |
|----------------------------------------------------------------------------------------------------------|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| 1. In finem; in hymnis, Psalmus cantici David.                                                           | Ad liturgiam sacram; — fidibus canendum. Carmen — canticum Davidis.                                               |
| 2. Deus misereatur nostri, et benedicat nobis:<br>illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri, | <b>D</b> eus misereatur nostri et benedicat nobis;<br>lucere faciat super nobis vultum suum et misereatur nostri! |
| 3. ut cognoscamus in terra viam tuam:<br>in omnibus gentibus salutare tuum.                              | ut cognoscamus in terra viam tuam;<br>inter omnes gentes auxilium Tuum!                                           |
| 4. Confiteantur tibi populi, Deus: confiteantur tibi populi omnes.                                       | Celebrabunt Te populi, o Deus, celebrabunt Te populi omnes.                                                       |
| 5. Lætentur et exultent gentes: quoniam iudicas populos in æquitate, et gentes in terra dirigis.         | Lætabuntur et exultabunt gentes, quod æque iudicas populos,<br><br>et regis nationes in terra.                    |
| 6. Confiteantur tibi, populi, Deus: confiteantur tibi populi omnes:                                      | Celebrabunt Te, populi, o Deus, celebrabunt Te populi omnes.                                                      |
| 7. terra dedit fructum suum. Benedicat nos Deus, Deus noster.                                            | Terra dedit proventum suum, nobis benedixit Deus, Deus noster.                                                    |
| 8. Benedicat nos Deus: et metuant eum omnes fines terræ.                                                 | Benedicat nobis Deus, et timeant eum omnes fines terræ!                                                           |

**Notæ ad Psalmum 66.**

Auctor et argumentum — Vates sacer, cuius nomen ignoratur, exorat nomine populi beneficia divina, ut omnes gentes agnoscerent et celebrarent Eius benignitatem et iustitiam.

Occasio. — Carmen hoc exaratum fuisse videtur secundum v. 7<sup>mum</sup> occasione largæ messis.

## Psalmus 67.

**Hymnus in honorem victoris.****Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem; Psalmus cantici,  
ipsi David.
2. Exsurgat Deus, et dissipentur  
inimici eius,  
et fugiant, qui oderunt eum,  
a facie ejus.
3. Sicut deficit fumus, deficient:  
sicut fluit cera a facie ignis,  
sic pereant peccatores a facie  
Dei.
4. Et iusti epulentur, et exultent  
in conspectu Dei,  
et delectentur in lætitia.
5. Cantate Deo, psalmum dicite  
nomini eius,  
iter facite ei, qui ascendit  
super occasum:  
Dominus nomen illi.  
Exultate in conspectu eius,  
turbabuntur a facie eius,
6. patris orphanorum, et iudicis  
viduarum,  
Deus in loco sancto suo.
7. Deus, qui inhabitare facit  
unius moris in domo:  
qui educit vinctos in forti-  
tudine,  
similiter eos, qui exasperant,  
qui habitant in sepulchris.
8. Deus, cum egrederis in con-  
spectu populi tui,  
cum pertransires in deserto:
9. terra mota est,  
etenim cœli distillaverunt a fa-  
cie Dei Sinai,  
a facie Dei Israël.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — Psalmus  
Davidis. Canticum.

**E**xsurgat Deus, et dispergant se  
inimici Eius,  
et fugiant a facie Eius ii, qui odio  
habent Eum!

Sicut deficit fumus, deficient,  
sicut liquescit cera coram igne,  
sic pereant peccatores coram Deo!

Justi autem epulentur, et exultent  
in conspectu Dei,  
et delectentur in lætitia!

**C**anite Deo, fidibus canite nomen  
Eius,  
parate viam Ei, qui ascendit ver-  
sus occasum,  
„Dominus“ est nomen Eius!  
Jubilare coram Eo!  
Admiratione afficiantur coram fa-  
cie Eius,

qui est pater orphanorum et vin-  
dex viduarum!  
Deus est in domicilio suo sancto;

Deus, qui habitare facit extorres —  
domi,  
qui educit vinctos potentia,

similiter exasperantes, qui habi-  
tant in sepulchris.  
(Vide: Isai 65, 4.)

**O** Deus, cum exires coram po-  
pulo Tuo,  
cum incederes per desertum;  
terra contremuit, —  
et cœli stillaverunt coram Deo  
Sinaitico,  
coram Deo Israël.

**Sonus latinae Vulgatae.**

10. Pluviam voluntariam segregabis, Deus, hereditati tuæ: et infirmata est, tu vero perfecisti eam.
11. Animalia tua habitabunt in ea: parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.
12. Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.
13. Rex virtutum dilecti dilecti: et speciei domus dividere spolia.
14. Si dormiatis inter medios cle-ros, pennæ columbæ deargentatæ, et posteriora dorsi eius in pallore auri.
15. Dum discernit cœlestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon:
16. mons Dei, mons pinguis. Mons coagulatus, mons pinguis:
17. utquid suspicamini montes coagulatos? Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.
18. Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sinai in sancto.
19. Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus: etenim non credentes, inhabitare Dominum Deum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Pluviam largam segregasti, o Deus, possessioni tuæ; erat enim fessa; Tu vero recreasti eam.

Creaturæ Tuæ habitant in ea; præparasti eam in benignitate Tua, o Deus, — pauperi!

Dominus fecit, ut cantus resonaret festus — nuntiantibus victoriam virtute magna.

Rex exercituum est rex populi dilecti, et matris familias est partiri prædam.

Cum recumbitis inter caulas,

similes estis columbæ, cuius alæ sunt deargentatæ, et pennæ dorsi eius micante auro obductæ.

Cum Cœlestis in ea (possessione) dispergeret reges; nive dealbabantur in Selmone (singula loca).

Montes Dei sunt montes pingues ( Bašanitici), montes cacuminosi sunt montes pingues ( Bašanitici).

Cur invidiose observatis, o montes cacuminosi, montem, quem elegit Deus sibi in habitationem? immo vero Dominus habitabit in eo in æternum.

Currus Dei est decem millibus multiplex, lætantium sunt millia; Dominus inter eos est — Sinai — in sanctuario est.

Ascendisti altitudinem — ducens captivos, accepisti dona ab hominibus; immo et ab iis, qui non credunt, habitare hic — Dominum Deum.

**Sonus latinae Vulgatae.**

20. Benedictus Dominus die quotidie:  
prosperum iter faciet nobis  
Deus salutarium nostrorum.
21. Deus noster, Deus salvos faciendi:  
et Domini, Domini exitus mortis.
22. Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum:  
verticem capilli perambulantium in delictis suis.
23. Dixit Dominus: Ex Basan convertam,  
convertam in profundum maris,
24. ut intingatur pes tuus in sanguine:  
lingua canum tuorum ex inimicis, ab ipso.
25. Viderunt ingressus tuos, Deus,  
ingressus Dei mei, regis mei,  
qui est in sancto.
26. Prævenerunt principes coniuncti psallentibus,  
in medio iuvenularum tympanistriarum.
27. In ecclesiis benedicite Deo Domino, de fontibus Israël.
28. Ibi Benjamin adolescentulus,  
in mentis excessu.  
Principes Juda, duces eorum:  
principes Zabulon, principes Nephthali.
29. Manda Deus virtuti tuæ,  
confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
30. A templo tuo in Jerusalem  
tibi offerent reges munera.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- B**enedictus sit Dominus per singulos dies!  
Deus, salvator noster, prosperum facit nobis iter.
- Deus noster est Deus salvandi;  
immo Jehova Dominus habet vias,  
quibus mortem effugere possibile.
- Deus certe confringet capita inimicorum suorum,  
capillatum verticem eorum, qui perseverant in delictis suis.
- Dixit Dominus: „Ex Baſanitide reducam eos,  
reducam eos ex profundo maris,“  
„ut intingatur pes tuus in sanguine,  
lingua canum tuorum in sanguine inimicorum.“
- S**pectant triumphum Tuum, o Deus,  
solemnem incessum Dei mei, regis mei — in sacrarium.
- Præcedunt principes sequentibus fiduciniis —  
in medio virginum tympana pulsantium.
- „In concionibus celebrate Deum, Dominum, vos, qui ex stirpe Israëlitis estis!“
- Ibi adest Benjamin natus minimus,  
gaudio percussus;  
principes Juda, — duces eorum (Israëlitarum),  
principes Zabulon; — principes Nephthali.
- D**emanda, o Deus, potentiam Tuam,  
confirma Deus, quod operatus es in nobis!
- Propter templum Tuum in Hierosolymis,  
offerent Tibi reges munera.

**Sonus latinae Vulgatae.**

31. Increpa feras arundinis:  
congregatio taurorum in vac-  
cis populorum,  
ut excludant eos, qui probati  
sunt argento.  
Dissipa gentes, quæ bella vo-  
lunt:
32. venient legati ex Aegypto:  
Aethiopia præveniet manus  
eius Deo.
33. Regna terræ, cantate Deo:  
psallite Domino,  
psallite Deo,
34. qui ascendit super cælum  
cæli, ad orientem.  
Ecce dabit voci suæ vocem  
virtutis:
35. date gloriam Deo super Israël:  
magnificencia eius, et virtus  
eius in nubibus.
36. Mirabilis Deus in sanctis suis,  
  
Deus Israël ipse dabit virtu-  
tem, et fortitudinem plebi suæ:  
benedictus Deus.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Increpa feras arundinis,  
turbam taurorum cum vitulis po-  
pulorum,  
ut libere discedere sinant eos, qui  
probos se esse ostendunt argento!  
Dissipa gentes, quæ bella amant!

Venient legati ex Aegypto;  
Aethiopia celeriter expandet ma-  
nus suas in honorem Dei.

Regna terræ — canite Deo,  
fidibus canite Dominum! —  
Psallite Deo!

Illi, qui ascendit super cælum cæli  
ad orientem!  
Ecce, edit vocem suam, — ingen-  
tem vocem!

Date honorem Deo! regi Israël!  
Maiestas Eius et omnipotentia  
Eius est in nubibus.

Mirabilis est Deus in sanctis ædi-  
bus suis.  
Deus Israël dat potentiam et vi-  
res populo suo.  
Benedictus sit Deus!

**Notae ad Psalmum 67.**

Auctor et argumentum. — Auctor cantici huius perelegantis  
et simul intellectu paulo difficilioris est regius psaltes — David.

Celebrat potentiam Dei, qui hostes dissipat, et beneficia  
largitur populo suo electo.

Probat hoc ex historia Israelitarum, quos Deus ex Aegypto  
eduxit et terram Cananitarum eis possidendam dedit (2.—15.):

qui dignum habuit Sionem, ut in eo sedem suam collocaret (16.—19.).

Dein implorat auxilium Dei contra hostes adhuc debellandos (20.—24.) et  
describit triumphum seu solennem incensum in sacrarium Hiero-  
solymitanum (25.—28.).

Finem imponit oratio, ut Deus ex Sione potentiam suam efficaciter  
exserat, ut Eum omnes revereantur, et

exhortatio omnium gentium, ut celebrent Deum omnipotentem  
cuius maiestas regit Israël (29.—36.) —

Occasio. — Psalmus hic exaratus est verosimiliter, ut in trans-  
latione arcæ fœderis ex domo Obededomi in arcem Sion (vide



v. 19. et 25.) decantaretur; psalmus enim incipit (v. 2.) cum iisdem sententiis, quibus Moses in itinere per Arabiam Petræam usus est, cum arca fœderis levaretur; vide Num. 10, 35. — „Surge, Domine et dissipentur inimici tui et fugiant, qui oderunt te, a facie tua“.

B. Apostolus allegat in epistola ad Ephesios (4, 8.) verba versus 19<sup>mi</sup>. ad ascensionem Salvatoris in cœlum — solennem Eius triumphum.

Nota. In finem rectæ interpretationis ponat lector in v. 3. futurum loco Coniunctivi præsentis et respiciat simul dicta de psalmis imprecatoriis (vide „Præfatio“ § 24. et 25.).

## Psalmus 68.

### Vociferatio pii cultoris Domini.

#### Sonus latinae Vulgatae.

1. In finem, pro iis, qui commutabuntur, David.
2. Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.
3. Infixus sum in limo profundi:  
et non est substantia.  
Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me.
4. Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ:  
defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.
5. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.  
Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei injuste: quæ non rapui, tunc exsolvebam.
6. Deus, tu scis insipientiam meam,  
et delicta mea a te non sunt abscondita.
7. Non erubescant in me, qui expectant te,  
Domine, Domine virtutum.  
Non confundantur super me, qui quærent te, Deus Israël.

#### Sensus latinae Vulgatae.

Ad liturgiam sacram; ad modum: „Qui commutabuntur“; a Davide.

Salvum me fac, o Deus!  
Nam intrant aquæ usque ad vitam meam!

Immersus sum in lutum profundum,  
et non est, quo subsistam;  
veni in profundum maris et tempestas me obruit,

Fessus sum clamando, exsiccatum est guttur meum,  
oculi mei contabuerunt; exspecto enim Deum meum!

Numerosiores quam capilli capitis mei sunt illi, qui me absque causa odio habent,  
numerosi sunt, qui me injuste persequuntur, — inimici mei;  
quæ non rapui, tunc iubeor restituere!

O Deus! Tu nosti aberrationem meam,  
et delicta mea non sunt Tibi abscondita.

Noli permittere, ut per me pudore afficiantur sperantes in Te, Domine Jehova exercituum!  
Noli permittere, ut contumelia per me afficiantur illi, qui quærent Te, — Deum Israël!

**Sonus latinae Vulgatae.**

8. Quoniam propter te sustinui opprobrium,  
operuit confusio faciem meam.
9. Extraneus factus sum fratribus meis,  
et peregrinus filiis matris meae:
10. quoniam zelus domus tuæ comedit me:  
et opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt super me.
11. Et operui in ieiunio animam meam:  
et factum est in opprobrium mihi.
12. Et posui vestimentum meum cilicium,  
et factus sum illis in parabolam:
13. Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta:  
et in me psallebant, qui bibebant vinum.
14. Ego vero orationem meam ad te, Domine,  
tempus beneplaciti, Deus!  
in multitudine misericordiae tuæ exaudi me,  
in veritate salutis tuæ.
15. eripe me de luto, ut non infigar:  
libera me ab iis, qui oderunt me, et de profundis aquarum.
16. Non me demergat tempestas aquæ,  
neque absorbeat me profundum:  
neque urgeat super me puteus os suum.
17. Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua,  
secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.
18. Et ne avertas faciem tuam a puero tuo:  
quoniam tribulor, velociter exaudi me.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Nam Tua causa patior probrum,  
contumelia operit faciem meam.  
Alienus factus sum fratribus meis,  
et peregrinus filiis matris meae.  
Nam zelus domus Tuæ consumit me,  
et probra eorum, qui Te probris afficiunt, cadunt super me.  
Si operio me — jejunio convenienter,  
etiam hoc cedit in opprobrium mihi.  
Si facio cilicium — vestimentum meum,  
tunc sum eis proverbio.

Adversum me loquuntur, qui sedent in porta,  
et cantilenas de me canunt ii, qui bibunt siceram.

**E**go vero oro ad Te, Domine,  
tempore benevolentiae; o Deus!  
Propter magnam gratiam Tuam exaudi me, —  
propter fidelitatem Tuam salvificam!

Eripe me ex luto, ne immergar,

libera me ab iis, qui oderunt me,  
et ex profundis aquarum!

Noli permittere, ut obruat me tempestas aquarum,  
ut devoret me vorago —

et ut claudat super me puteus os suum!

Exaudi me, Domine, nam benigna est gratia Tua!  
secundum magnitudinem misericordiae Tuæ — respice in me!

Et noli avertere faciem Tuam a servo Tuo,  
quoniam tribulor; — celeriter exaudi me!

## Sonus latinae Vulgatae.

19. Intende animæ meæ, et libera eam;  
propter inimicos meos eripe me.
20. Tu scis improperium meum et confusionem meam, et reverentiam meam.
21. In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me:  
improperium exspectavit cor meum, et miseriam.  
Et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit:  
et qui consolaretur, et non inveni.
22. Et dederunt in escam meam fel:  
et in siti mea potaverunt me aceto.
23. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum,  
et in retributiones et in scandalum.
24. Obscurentur oculi eorum, ne videant:  
et dorsum eorum semper incurva.
25. Effunde super eos iram tuam:  
et furor iræ tuæ comprehendat eos.
26. Fiat habitatio eorum deserta:  
et in tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet.
27. Quoniam, quem tu percussisti, persecuti sunt,  
et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.
28. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum:  
et non intrent in iustitiam tuam.
29. Deleantur de libro viventium,  
et cum iustis non scribantur.

## Sensus latinae Vulgatae.

- Accede ad animam meam, et libera eam;  
eripe me propter inimicos meos!
- Tu nosti probrum meum et ignominiam nec non contumeliam meam!
- Tibi noti sunt omnes, qui tribulant me!  
Probrum et miseriam exspectat cor meum!  
Exspecto commiseratorem, — et non præsto est,  
et consolatorem, — attamen neminem invenio!
- Loco cibi dant mihi fel;  
et in siti mea potant me aceto!
- F**iat mensa eorum coram ipsis in laqueum.  
et in retributionem et in ruinam!
- Oculi eorum obscurentur ita, ut non videant,  
fac etiam, ut dorsus eorum semper incurvetur!
- Effunde super eos iram Tuam,  
et fac, ut ira Tua ardens apprehendat eos!
- Fac, ut habitatio eorum fiat deserta,  
et ut nemo sit, qui habitaret in tabernaculis eorum!
- Persequuntur enim eum, quem Tu percussisti,  
et augent dolorem vulnerum meorum!
- Decerne poenam in iniquitatem eorum;  
et ne permittas, ut veniant in gratiam Tuam!
- Deleantur ex libro viventium,  
et inter iustos ne consignentur!

**Sonus latinae Vulgatae.**

30. Ego sum pauper et dolens:  
salus tua, Deus, suscepit me.
31. Laudabo nomen Dei cum cantico:  
et magnificabo eum in laude:
32. et placebit Deo super vitulum novellum,  
cornua producentem et ungulas.
33. Videant pauperes et lætentur:  
quærite Deum, et vivet anima vestra:
34. quoniam exaudivit pauperes Dominus,  
et vinctos suos non despexit.
35. Laudent illum cœli et terra,  
mare et omnia reptilia in eis,
36. quoniam Deus salvam faciet Sion;  
et ædificabuntur civitates Juda.  
Et inhabitabunt ibi, et hæreditate acquirant eam.
37. Et semen servorum eius possidebit eam,  
et qui diligunt nomen eius habitabunt in ea.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ego vero afflictus sum et dolore affectus;  
auxilium Tuum, o Deus, tuebitur me!

Celebrabo nomen Dei cantico,  
et laude magnificabo Eum,

Et hoc Domino placebit magis,  
quam iuvenus,  
cornutus, et ungulatus.

Videant hoc afflicti et lætentur!  
Quærite Deum, et vivet anima vestra!

Nam Dominus exaudit pauperes,  
et vinctos suos non despicit.

Laudent Eum cœli et terra,  
mare et quæcunque repunt in iis!

nam Deus salvam faciet Sionem,  
et civitates Judæ restaurabuntur,  
ut habitent in iis, cum hæreditate acquisierint eas;

et posterii servorum Eius possidebunt eas:  
et qui diligunt nomen Eius, habitabunt in eis.

**Notae ad Psalmum 68.**

**Auctor et argumentum.** — Vates sacer, regius psalter David, — in extremis angustiis versans et Dei causa iniuriam patiens, implorat auxilium divinum, ne fors eo denegato turbentur pii cultores Jehovæ.

Repetitis precibus pro liberatione ex afflictionibus et ludibriis, prænuntiat adversariis suis pœnas divinas, et describit lætitiâ iustorum subsequentem. —

**Tempus.** — Psalmus hic exaratus est verosimile tempore coniurationis Absaloniticæ. — Ex hoc psalmo allegantur in N. T. v. 10. (Joan. 2, 17., Rom. 15, 3.), v. 22. (Math. 27, 48.), v. 23. (Rom. 11, 9.); v. 26. (Actus 1, 20.) —

**Nota.** — In finem rectæ interpretationis vv. 23.—29. respiciantur dicta de psalmis imprecatoriis (vide „Præfatio“ § 24. 25.).

## Psalmus 69.

**Domine, ad auxilium meum festina!****Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem, Psalmus David, in rememorationem, quod salvum fecerit eum Dominus.
2. Deus, in adiutorium meum intende:  
Domine, ad adiuvandum me festina.
3. Confundantur et reveantur, qui quærent animam meam:
4. avertantur retrorsum, et erubescant,  
qui volunt mihi mala:  
avertantur statim erubescences,  
qui dicunt mihi: Euge, Euge.
5. Exultent et lætentur in te omnes, qui quærent te,  
et dicant semper: Magnificetur Dominus:  
qui diligunt salutare tuum.
6. Ego vero egenus et pauper sum: Deus adiuva me.  
Adiutor meus et liberator meus es tu:  
Domine, ne moreris!

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — Psalmus Davidis pro memoria, ut salvum faciat eum Dominus.

**D**eus, in adiutorium meum tende,  
Domine, ad adiuvandum me festina!

Confundantur et reveantur, qui appetunt vitam meam!

Cedant retro et erubescant,

qui volunt perniciem meam!  
Revertantur statim erubescences,  
qui dicunt mihi: Eia! eia!

Exultent et lætentur de Te — omnes, qui quærent Te!  
et dicant semper: „Magnificetur Dominus“  
ii, qui desiderant auxilium a Te!

Ego vero afflictus sum et pauper,  
O Deus, adiuva me!  
Adiutor meus et liberator meus es Tu!  
Domine, ne cuncteris!

**Notae ad Psalmum 69.**

Auctor, argumentum et tempus. — Auctor huius psalmi — David — in angustiis constitutus, auxilium divinum implorat.

Psalmus hic continetur — nonnullis tantum mutatis — in psalmo 39. vers. 14.—18.

Tempus. — De tempore exarationis nil certi constat.

Nota. — In finem rectæ interpretationis v. 3<sup>ti</sup>. et 4<sup>ti</sup> ponat lector loco Coniunctivi præsentis — Futurum et respiciat simul dicta de psalmis imprecatoriis (vide „Præfatio“ § 24. et 25.).

## Psalmus 70.

**○ Domine, ne deseras me in senecta mea!**

**Sonus latinae Vulgatae.**

1. Psalmus David, filiorum Jonadab, et priorum captivorum.  
In te, Domine, speravi,  
non confundar in æternum:
2. in iustitia tua libera me, et eripe me.  
Inclina ad me aurem tuam,  
et salva me.
3. Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum, ut salvum me facias:  
quoniam firmamentum meum,  
et refugium meum es tu.
4. Deus meus, eripe me de manu peccatoris  
et de manu contra legem agentis et iniqui:
5. quoniam tu es patientia mea,  
Domine: Domine, spes mea a iuventute mea.
6. In te confirmatus sum ex utero,  
de ventre matris meæ tu es protector meus.  
In te cantatio mea semper:
7. tamquam prodigium factus sum multis,  
et tu adiutor fortis.
8. Repleatur os meum laude,  
ut cantem gloriam tuam:  
tota die magnitudinem tuam.
9. Ne proicias me in tempore senectutis,  
cum defecerit virtus mea: ne derelinquas me.
10. Quia dixerunt inimici mei mihi,  
et qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum,

**Sensus latinae Vulgatae.**

Psalmus Davidis, filiorum Jonadabi et priorum captivorum.  
In Te, Domine, spero,  
ne permittas, ut pudore afficiar unquam!

Iustitia Tua libera me et eripe me;  
inclina ad me aurem Tuam et salva me!

Esto mihi Deus protector et locus munitus, ut salvum me facias!

Nam Tu es firma arx mea et refugium meum!

Deus mi! eripe me de manu impii,  
de manu agentis contra legem et violenti!

Nam Tu es spes mea,  
Domine! Jehova! fiducia mea a pueritia mea!

Te innixus sum inde ab utero,

Tu es protector meus a ventre matris meæ;  
de Te canit hymnus meus semper!

Prodigii instar sum multis,

nam Tu es adiutor fortis!

Os meum laudis sit plenum,  
canens gloriam Tuam,  
tota die magnitudinem Tuam!

Ne reiicias me in senecta mea!  
cum deficiunt vires meæ, ne deseras me!

Nam inimici mei loquuntur contra me,  
et una deliberant ii, qui insidiantur vitæ meæ —

**Sonus latinae Vulgatae.**

11. dicentes: Deus dereliquit eum:  
persequimini, et comprehendite eum, quia non est, qui eripiat.
12. Deus, ne elongeris a me:  
Deus meus, in auxilium meum respice.
13. Confundantur, et deficiant detrahentes animæ meæ:  
operiantur confusione et pudore, qui quærunt mala mihi.
14. Ego autem semper sperabo,  
et adiiciam super omnem laudem tuam.
15. Os meum annuntiabit iustitiam tuam,  
tota die salutare tuum.
16. Quoniam non cognovi litteraturam,  
introibo in potentias Domini:  
Domine, memorabor iustitiæ tuæ solius.
17. Deus docuisti me a iuventute mea,  
et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua.
18. Et usque in senectam et senium:  
Deus, ne derelinquas me,  
donec annuntiem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est.  
Potentiam tuam
19. et iustitiam tuam, Deus,  
usque in altissima, quæ fecisti magnalia: Deus,  
quis similis tibi?
20. Quantas ostendisti mihi tribulationes multas et malas:  
et conversus vivificasti me,  
et de abyssis terræ iterum reduxisti me:

**Sensus latinae Vulgatae.**

- dicentes: „Deus deseruit eum, persequimini eum et prehendite eum; nemo enim est, qui liberet eum!“
- O Deus, ne sis procul a me!  
Deus mi, respice in auxilium meum!
- Confundantur et pereant, qui detrahunt mihi;  
operiantur probro et contumelia ii, qui quærunt interitum meum!
- E**go vero perpetuo sperabo,  
et augebo omnes laudes Tuas!
- Os meum enarrabit iustitiam Tuam,  
quotidie auxilia Tua,  
quorum non novi numeros.
- Veniam ad facinora Domini;  
Domine, celebrabo iustitiam Tuam — Tui solius!
- Tu, o Deus, docuisti me hoc a pueritia mea,  
et hucusque prædico mirabilia facta Tua!
- et usque ad senectam et caniciem!  
noli me deserere, o Deus!  
donec prædicaverim — omni generationi, quæ ventura est, brachium Tuum —  
potentiam Tuam
- et iustitiam Tuam, o Deus!  
Usque ad cælos pertingunt magna, quæ Tu patrast — o Deus!  
Quis est similis Tui!
- Quantas experiri me fecisti tribulationes — multas et malas!  
et iterum vivificasti me,  
et iterum eripuisti me de abyssis terræ!

**Sonus latinae Vulgatae.**

21. multiplicasti magnificentiam tuam, et conversus consolatus es me.
22. Nam et ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam: Deus, psallam tibi in cithara, sanctus Israël.
23. Exultabunt labia mea, cum cantavero tibi, et anima mea, quam redemisti.
24. Sed et lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam, cum confusi et reveriti fuerint, qui quærent mala mihi.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Tu augebis gloriam Tuam, et iterum consolaberis me!

Etiam ego celebrabo Te harpa — fidem Tuam, o Deus! cithara canam Tibi, Sancte Israël!

Exultabunt labia mea, dum canam Tibi, et anima mea, quam liberaveris!

Etiam lingua mea quotidie canet iustitiam Tuam, quod confusi et reveriti fuerint ii, qui quærebant exitium meum.

**Notae ad Psalmum 70.**

**Auctor et tempus.** — Auctor psalmi huius quidem non nominatur; elocutio autem est davidica.

Ut ex v. 5. 9. et 18. colligitur, exaravit David hunc psalmum ætate iam pro vecta, quin de occasione quid certi statui possit. —

**Argumentum.** — Vates sacer implorat opem divinam contra adversarios, vitæ eius insidiantes — opem, quam inde a iuventute sæpius expertus fuit;

oratque, ut Deus ipsi nunc iam senescenti eam non deneget (1.—13.); dein promittit, se Deo maximas gratias pro hoc beneficio esse acturum (14.—24.).

**Nota.** — In finem rectæ interpretationis v. 13<sup>ti</sup>. ponat lector loco Coniunctivi præsentis — futurum et respiciat simul dicta de psalmis imprecatoriis (vide „Præfatio“ § 24. 25.).

**Psalmus 71.**

**○ Domine fac, ut felix sit regimen regis!**

**Sonus latinae Vulgatae.**

1. Psalmus. In Salomonem.
2. Deus, iudicium tuum regi da, et iustitiam tuam filio regis: iudicare populum tuum in iustitia, et pauperes tuos in iudicio.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Psalmus a Salomone.

**D**eus! da regi iurisdictionem Tuam, et iudicalem potestatem Tuam filio regis! Iudicet populum Tuum iuste, et pauperes Tuos legitime!



## Sonus latinae Vulgatae.

3. Suscipiant montes pacem populo,  
et colles iustitiam.
4. Iudicabit pauperes populi,  
et salvos faciet filios pauperum,  
et humiliabit calumniatorem.
5. Et permanebit cum sole  
et ante lunam, in generatione  
et generationem.
6. Descendet sicut pluvia in vellus,  
et sicut stillicidia stillantia  
super terram.
7. Orietur in diebus eius iustitia,  
et abundantia pacis, donec  
auferatur luna.
8. Et dominabitur a mari usque  
ad mare,  
et a flumine usque ad terminos  
orbis terrarum.
9. Coram illo procident Aethiopes,  
et inimici eius terram lingent.
10. Reges Tharsis et insulae munera  
offerent:  
reges Arabum et Saba dona  
adducent:
11. et adorabunt eum omnes reges  
terrae:  
omnes gentes servient ei:
12. quia liberabit pauperem a potente:  
et pauperem, cui non erat adiutor.
13. Parcet pauperi et inopi,  
et animas pauperum salvas faciet.
14. Ex usuris et iniquitate redimet  
animas eorum:  
et honorabile nomen eorum  
coram illo.
15. Et vivet, et dabitur ei de auro  
Arabiae,  
et adorabunt de ipso semper:  
tota die benedicent ei.

## Sensus latinae Vulgatae.

Proferant pacem populo montes,  
et colles — secundum iustitiam!  
Causam agat pauperum populi,  
opem ferat filiis egenorum,  
calumniatorem autem humiliet!

**V**ivat, quamdiu sol erit,  
et quoad erit luna per omnes  
aetates!

Descendat ut pluvia in vellus,  
ut imbres stillantes super terram!

Diebus eius germinet iustitia,  
et copiosa salus usque dum luna  
esse desinet!

**E**t dominetur ab uno mari usque  
ad alterum,  
atque a fluvio usque ad terminos  
orbis terrae!

Coram eo incurvent se Aethiopes,  
et pulverem lingant inimici eius!

Reges Tarsis et insularum tributa  
referant,  
reges Arabum et Saba dona adducant!

Et prosternant se coram eo omnes  
reges terrae,  
omnes gentes serviant ei!

**N**am liberabit pauperem a potente,  
et oppressum, cui non est adiutor.

Miserebitur pauperis et inopis,  
et vitam pauperum servabit.

Redimet eos ab usura et iniquitate,  
et honorabile erit nomen eorum  
in oculis eius.

Et vivet et dabitur ei de auro Arabico,  
et adorabunt eum semper;  
quotidie benedicent ei.

**Sonus latinae Vulgatae.**

16. Et erit firmamentum in terra  
in summis montium:  
superextolletur super Liba-  
num fructus eius,  
et florebunt de civitate sicut  
fœnum terræ.
17. Sit nomen eius benedictum  
in sæcula:  
ante solem permanet nomen  
eius.  
Et benedicentur in ipso  
omnes gentes magnificabunt  
eum.
18. Benedictus Dominus Deus Is-  
raël,  
qui facit mirabilia solus:
19. et benedictum nomen maie-  
statis eius in æternum,  
et replebitur maiestate eius  
omnis terra:  
fiat, fiat.
20. Defecerunt laudes David, filii  
Iesse.

**Sensus latinae Vulgatae.**

**S**it abundantia frumenti in terra  
usque ad cacumina montium!  
elevator fructus eius super Li-  
banum,  
et efflorescant cives in urbibus ut  
gramina campi!

Sit nomen eius benedictum in  
sæcula,  
quamdiu sol erit, sobolescat no-  
men eius!  
et benedicantur per eum —  
omnes gentes magnificantes eum!

**L**audetur Dominus, Deus Israëlis,  
qui facit admiranda solus!

Et laudetur gloriosum nomen Eius  
in æternum,  
et impleatur gloria Eius omnis  
terra!  
Amen, Amen!

Finem habent preces Davidis,  
filii Isai.

**Notae ad Psalmum 71.**

**Auctor et argumentum.** — Auctor huius psalmi exclusive Mes-  
siani — „Salomo“ — canit regnum Messiæ æternum, et pace  
perpetua gaudens (vide „Præfatio“ § 20.).

**Tempus.** De tempore exarationis huius psalmi nil certi crui potest.

**Nota 1.** — In finem rectæ interpretationis intelligendi sunt Imperativus  
(v. 1.) et dein sequentes Coniunctivi Præsentis (v. 2.—11, 16.—17.) tamquam  
Futurum. Res venturæ proferri solent tamquam vota (vide „Præfatio“ § 25.).

**Nota 2** — Ultimi tres versus (18.—20.) ad psalmum non per-  
tinent; sunt doxologia et subscriptio, quam collector II. libri adiecisse videtur.



# Libertertius.

(Psalmi 72.—88.)

## Psalmus 72.

**Impii peribunt, iusti autem beati erunt in aeternum.**

### Sonus latinae Vulgatae.

### Sensus latinae Vulgatae.

1. Psalmus Asaph.  
Quam bonus, Israël, Deus his,  
qui recto sunt corde!
2. Mei autem pene moti sunt  
pedes,  
pene effusi sunt gressus mei.
3. Quia zelavi super iniquos,  
pacem peccatorum videns:
4. quia non est respectus morti  
eorum,  
et firmamentum in plaga eo-  
rum.
5. In labore hominum non sunt,  
et cum hominibus non flagel-  
labuntur:
6. ideo tenuit eos superbia,  
operti sunt iniquitate et in-  
pietate sua.
7. Prodiit quasi ex adipe ini-  
quitas eorum:  
transierunt in affectum cordis.
8. Cogitaverunt, et locuti sunt  
nequitiam:  
iniquitatem ex excelso locuti  
sunt.
9. Posuerunt in cœlum os suum,  
et lingua eorum transivit in  
terra.

Psalmus Asaphi.  
Quam bonus est, o Israël, Deus  
erga eos,  
qui sunt recti cordis!

Quod me attinet, pene vacilla-  
verunt pedes mei;  
pene lapsi sunt gressus mei.

Nam invidebam iniquis,  
cum intuerer felicitatem impiorum.

Nam de morte sua non cogi-  
tant;  
et plaga eorum non est perse-  
verans.

In æumnis hominum non ver-  
santur,  
et non flagellantur ut ceteri mor-  
tales.

Inde tenet eos superbia,  
operti sunt iniquitate et impie-  
tate sua.

Iniquitas eorum germinat quasi  
ex adipe,  
transierunt in sensualitatem cordis.

Cogitant et loquuntur nequitiam;  
superbe loquuntur iniquitatem.

Os suum admovent cœlo,  
et lingua eorum ambulat per  
terram.

**Sonus latinae Vulgatae.**

10. Ideo convertetur populus meus hic:  
et dies pleni invenientur in eis.
11. Et dixerunt: Quomodo scit Deus,  
et si est scientia in excelso?
12. Ecce ipsi peccatores,  
et abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias.
13. Et dixi: Ergo sine causa iustificavi cor meum,  
et lavi inter innocentes manus meas:
14. et fui flagellatus tota die,  
et castigatio mea in matutinis.
15. Si dicebam: Narrabo sic:  
ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.
16. Existimabam, ut cognoscerem hoc,  
labor est ante me:
17. donec intrem in Sanctuarium Dei,  
et intelligam in novissimis eorum.
18. Verumtamen propter dolos posuisti eis:  
deiecisti eos, dum allevarentur.
19. Quomodo facti sunt in desolationem,  
subito defecerunt: perierunt propter iniquitatem suam.
20. Velut somnium surgentium, Domine,  
in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.
21. Quia inflammatum est cor meum,  
et renes mei commutati sunt:

**Sensus latinae Vulgatae.**

**H**inc convertit se illuc populus meus;  
nam inter eos inveniuntur dies felices.

Et dicunt: „Quomodo scit Deus aliquid?  
num est scientia in Altissimo?“

Ecce, hi sunt improbi,  
et abundant perpetuo, adepti sunt divitias!

Et dixi: „Ergo frustra servabam cor meum mundum,  
et in puritate manus meas lavabam!

percutiebar enim tota die,  
et castigatio mea adfuit quovis mane.

**S**i dixissem: „Loquar eodem modo“,  
reprobassem familiam cultorum tuorum.

Meditabar — id intellecturus;

perdifficile fuit mihi hoc, —

donec intrarem in arcana Dei,

attendens ad ultimam sortem eorum.

**R**evera permittis, ut stent in viis lubricis;  
deicies eos, cum sese elevaverint.

Quomodo fient desolati!

subito auferentur, peribunt propter iniquitatem suam!

Sicut somnium eorum, qui expergefiunt, o Domine,  
sic ad nihilum redigis in civitate Tua imaginem eorum!

Cum exacerbaretur cor meum,  
et cum renes mei turbarentur;

**Sonus latinae Vulgatae.**

22. et ego ad nihilum redactus sum, et nescivi.
23. Ut jumentum factus sum apud te:  
et ego semper tecum.
24. Tenuisti manum dexteram meam,  
et in voluntate tua eduxisti me,  
et cum gloria suscepisti me.
25. Quid enim mihi est in cœlo?  
et a te quid volui super terram?
26. Defecit caro mea, et cor meum:  
Deus cordis mei, et pars mea  
Deus in æternum.
27. Quia ecce qui elongant se a te, peribunt:  
perdidisti omnes qui fornicantur abs te:
28. mihi autem adhærere Deo bonum est:  
ponere in Domino Deo spem meam,  
ut annuntiem omnes prædicationes tuas, in portis filiæ Sion.

**Sensus latinae Vulgatae.**

eram ad nihilum redactus et stupidus, —

eram sicut jumentum erga Te.

**S**ed continuo adhærebo Tibi;

Tu tenes manum meam dexteram,  
consilio Tuo me duces,  
et in gloriam me suscipies!

Quid erit mihi in cœlo?  
et quid desiderem in terra præter Te.

Etsi consumatur corpus meum et cor meum;  
Deus cordis mei et portio mea  
— Deus — erit in æternum!

Nam ecce, qui recedunt a Te, —  
peribunt;  
Tu perdes omnes, qui deficiunt a Te.

Mea autem salus est — adhærere Deo;  
in Domino Deo ponere spem meam;  
inde celebros omnia opera Tua  
in portis filiæ Sionis.

**Notae ad Psalmum 72.**

**Auctor et argumentum.** Psalmi huius auctor nominatur Asaph. —

Vates sacer in genere fatetur, se conspecta felicitate impiorum et miseria piorum iam in eo fuisse, ut irritum haberet pietatis studium (v. 1.—14.);

sed confirmatam fuisse ipsius fidem in divinam iustitiam, quum finem improborum attenderet; improbi enim pereunt, probos autem Deus servat et tuetur (v. 15.—28.).

**Argumentum simile tractant psalmi 36. et 48.**

**Tempus.** — De tempore exarationis huius psalmi nil certi constat.

## Psalmus 73.

**O Domine, templum Tuum profanatur, populus  
Tuus opprimitur!****Sonus latinae Vulgatae.**

1. Intellectus Asaph.  
Utquid Deus repulisti in finem:  
  
iratus est furor tuus super  
oves pascuæ tuæ?
2. Memor esto congregationis  
tuæ, quam possedisti ab initio.  
Redemisti virgam hereditatis  
tuæ:  
mons Sion, in quo habitasti  
in eo.
3. Leva manus tuas in superbias  
eorum in finem:  
quanta malignatus est inimi-  
cus in sancto!
4. Et gloriati sunt, qui oderunt  
te, in medio solemnitatis tuæ.  
Posuerunt signa sua, signa,
5. et non cognoverunt sicut in  
exitu super summum.  
Quasi in silva lignorum se-  
curibus
6. exciderunt ianuas eius in id-  
ipsum:  
in securi et ascia deiecerunt  
eam.
7. Incenderunt igni Sanctuarium  
tuum:  
in terra polluerunt taberna-  
culum nominis tui.
8. Dixerunt in corde suo, cogna-  
tio eorum simul:  
Quiescere faciamus omnes  
dies festos Dei a terra.
9. Signa nostra non vidimus:  
iam non est propheta:  
et nos non cognoscet amplius?

**Sensus latinae Vulgatae.**

Carmen didacticum Asaphi.

**Q**uare, o Deus, reiicis nos in  
perpetuum,  
cur fumat furor Tuus in oves  
pascuæ Tuæ?

Recordare cœtus Tui, quem ac-  
quisivisti ab initio,  
quem redemisti, ut sit stirps here-  
ditatis Tuæ —  
montis Sionis, in quo habitas!

Leva manus Tuas in superbias  
eorum absque fine!  
Quantas malignitates patrat ini-  
micus in sancto!

**Q**ui Te oderunt, gloriantur in  
medio sacrario Tuo!  
introduxerunt ritus ritus suos —  
nil curantes — in exitu supremo!

Quasi in silva arboribus plena  
securibus —

exciderunt simul ianuas eius, —  
securi et ascia deiecerunt eas!

Ignem inferunt sanctuario Tuo,  
  
ad solum profanarunt tabernacu-  
lum nominis Tui!

Dicunt in corde suo — totum  
eorum genus unanimiter:  
„Cessare faciamus omnes dies fe-  
stos Dei in terra.“

**R**itus nostros non videmus,  
non amplius existit propheta,  
et quod nos attinet, nemo scit,  
quamdiu?

**Sonus latinae Vulgatae.**

10. Usquequo, Deus, improperebit inimicus:  
irritat adversarius nomen tuum in finem?
11. Utquid avertis manum tuam et dexteram tuam,  
de medio sinu tuo in finem?
12. Deus autem, rex noster ante sæcula,  
operatus est salutem in medio terræ.
13. Tu confirmasti in virtute tua mare,  
contribulasti capita draconum in aquis.
14. Tu confregisti capita draconis:  
dedisti eum escam populis Aethiopum.
15. Tu dirupisti fontes et torrentes:  
tu siccasti fluvios Ethan.
16. Tuus est dies et tua est nox:  
tu fabricatus es auroram et solem.
17. Tu fecisti omnes terminos terræ:  
æstatem et ver, tu plasmasti ea.
18. Memor esto huius: Inimicus impropereavit Domino:  
et populus insipiens incitavit nomen Tuum.
19. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi,  
et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.
20. Respice in testamentum tuum,  
quia repleti sunt, qui obscurati sunt, terræ domibus iniquitatum.
21. Ne avertatur humilis factus confusus:  
pauper et inops laudabunt nomen tuum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Quousque, o Deus, conviciabitur inimicus,  
quousque blasphemabit adversarius nomen Tuum perpetuo!

Cur avertis manum (sinistram) Tuam et dexteram Tuam,  
de sinu Tuo — prorsus?

**E**t tamen Deus est rex noster a  
prisco inde tempore,  
Ipse operatur salutem in terra.

Tu potentia Tua firmasti mare,  
et confregisti capita ingentium belluarum in aquis.

Tu contudisti capita crocodili,  
dedisti eum in cibum populis Aethiopiæ.

Tu aperuisti fontes et torrentes,  
Tu exsiccasti fluvios Ethan.

**T**uus est dies, Tua etiam est nox,  
Tu fecisti auroram et solem.

Tu constituisti omnes terminos terræ,  
Tu fecisti æstatem et ver.

**M**emor sis huius: „Inimicus conviciatur Domino,  
et populus impius spernit nomen Tuum!“

Ne tradas bestiis cultores Tuos,  
et vitæ afflictorum Tuorum ne obliviscaris unquam!

Respice fœdus Tuum,  
nam plena sunt obscura terræ loca — habitaculis iniquorum!

Ne revertatur a Te miser — confusus!  
oppressus et pauper laudent nomen Tuum!

**Sonus latinae Vulgatae.**

22. Exurge, Deus, iudica causam tuam:  
memor esto improperiorum tuorum, eorum, quæ ab insipiente sunt tota die.
23. Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum:  
superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Surge, o Deus, age causam Tuam,  
recordare improperiorum, quæ Tibi inferuntur ab impiis quotidie!

Ne obliviscaris vocum inimicorum Tuorum!  
superbia eorum, qui Te oderunt, continuo ascendit.

**Notae ad Psalmum 73.**

Auctor et argumentum. — Auctor huius psalmi sacer nominatur nomine colectivo Asaph. (de quo vide dicta ad psl. 49.).

Implorat auxilium divinum in favorem populi electi — contra hostiles, insolentes et insanos homines, qui sacrarium Dei profanant, vastant, templum comburunt et omnia festa sacra in terra delere intendunt.

Argumenta desumit vates sacer —

ab omnipotentia Dei, qua mundum universum creavit et creatum gubernat, —

a speciali Eius benignitate erga populum electum, nec non a fœdere, quod cum ipso pepigit.

Tempus. — Exaratio huius psalmi pertinet absque dubio ad illud tempus, quo per Chaldaeos Urbs expugnata et templum combustum est, et post occisum Godoliam multi Judæi in Aegyptum discesserunt; vide IV. Reg. cap. 25. Jer. cap. 52, cap. 39.—44.

**Psalmus 74.**

**Deus puniet tempore suo impios.**

**Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem: Ne corrumpas,  
Psalmus cantici Asaph.
2. Confitebimur tibi, Deus: confitebimur,  
et invocabimus nomen tuum:  
narrabimus mirabilia tua.
3. cum accepero tempus,  
ego iustitias iudicabo.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — ad modum „Ne corrumpas“.  
Psalmus Asaphi, canticum.

**C**elebramus Te, o Deus, celebramus,  
et invocamus nomen Tuum;  
narramus mirifica facinora Tua!

**E**xpecto tempus opportunum;  
„Ego juste iudicabo“



**Sonus latinae Vulgatae.**

4. Liquefacta est terra, et omnes, qui habitant in ea: ego confirmavi columnas eius.
5. Dixi iniquis: Nolite inique agere:  
et Delinquentibus: Nolite exaltare cornu;
6. nolite extollere in altum cornu vestrum:  
nolite loqui adversus Deum iniquitatem.
7. Quia neque ab oriente, neque ab occidente,  
neque a desertis montibus:
8. quoniam Deus iudex est.  
Hunc humiliat, et hunc exaltat:
9. quia calix in manu Domini vini meri plenus misto.  
  
Et inclinavit ex hoc in hoc; verumtamen fæx eius non est exinanita:  
bibent omnes peccatores terræ.
10. Ego autem annuntiabo in sæculum:  
cantabo Deo Iacob.
11. Et omnia cornua peccatorum confringam,  
et exaltabuntur cornua iusti.

**Sensus latinae Vulgatae.**

„Quando dissoluta fuerit terra et omnes, qui in ea habitant, — Ego statuam columnas eius.“  
Dico ad iniquos: „Ne agatis inique“,  
atque ad delinquentes: „Ne exaltetis cornu,“  
„ne efferatis in altum cornu vestrum,  
ne loquamini iniquitatem adversus Deum!“  
**N**eque enim aliquis ab oriente, neque ab occidente,  
neque a deserto montoso,  
sed — Deus tantum est iudex;  
Ipse hunc humiliat et illum exaltat.  
  
Nam in manu Domini est calix vini meri; — plenus est vino mixto.  
Ipse infundit ex eo;  
verumtamen fæx eius non est exhausta; —  
bibere debebunt omnes impii terræ.  
**E**go autem nuntiabo id perpetuo,  
cantabo Deo Iacobi:  
„Omnia impiorum cornua confringam,  
cornua autem iustorum exaltabuntur“.

**Notae ad Psalmum 74.**

**Auctor et argumentum.** — Auctor huius cantici nominatur — **Asaph** (vide psl. 49. Nota).

**Populus gratias agit Deo pro victoria concessa** (v. 2.).

**Deus loquens inducitur in bellis gentium lites dirimens, monetque hostes, ne potentiae suae confidant** (v. 3.—6.).

**Idem argumentum prosequitur populus et vates, gravissimum supplicium hostibus prædicantes** — (v. 7.—9.).

**Vates spondet se Deum celebraturum esse** (v. 10.) et Deus concludit, **gentes devictum iri.** —

**Occasio.** — De occasione exarationis huius cantici nil certi statui potest.

Psalmus 75.

**Celebremus Dominum, castigavit enim impios!**

**Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem; in laudibus, Psalmus Asaph. Canticum ad Assyrios.
2. Notus in Iudæa Deus:  
in Israël magnum nomen eius.
3. Et factus est in pace locus  
eius:  
et habitatio eius in Sion.
4. Ibi confregit potentias arcuum,  
scutum, gladium et bellum.
5. Illuminans tu mirabiliter  
a montibus æternis:
6. turbati sunt omnes insipientes  
corde.  
Dormierunt somnum suum,  
et nihil invenerunt omnes viri  
divitiarum in manibus suis.
7. Ab increpatione tua, Deus  
Iacob,  
dormitaverunt, qui ascende-  
runt equos.
8. Tu terribilis es,  
et quis resistet tibi? ex tunc  
ira tua.
9. De cœlo auditum fecisti iu-  
dicium:  
terra tremuit et quievit,
10. cum exsurgeret in iudicium  
Deus,  
ut salvos faceret omnes man-  
suetos terræ.
11. Quoniam cogitatio hominis  
confitebitur tibi, et reliquæ  
cogitationis diem festum agent  
tibi.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — fidibus  
canendum. Psalmus Asaphi, can-  
ticum ad Assyrios.

**N**oscitur in Iudæa Deus,  
magnum est in Israël no-  
men Eius.

In Salem enim est tentorium Eius  
et habitatio Eius in Sione.

Ibi confregit fulmina arcuum,  
scutum et gladium et apparatus  
bellicum.

**M**agnificasti Te mirabiliter —  
respectu montium antiquorum!

Turbati sunt omnes insipientes  
corde,  
dormierunt somnum suum  
nec ullus virorum fortium in-  
venit quid in manibus suis.

Ab increpatione Tua, Deus Iacobi,  
obdormierunt equites!

**Q**uod Te attinet, — terribilis es,  
et quis resistet Tibi, quando  
invaluerit ira Tua?

De cœlo promulgasti sententiam;  
terra tremuit et quieta fuit,

cum surgeret ad exercendum iu-  
dicium Deus,  
ut opem ferret omnibus afflictis  
terræ.

**S**ane etiam furor hominis est ad  
laudem Tibi,  
et reliquæ iræ illius diem festum  
agunt Tibi.

**Sonus latinae Vulgatae.**

12. Vovete et reddite Domino Deo vestro:  
omnes, qui in circuitu eius,  
affertis munera. Terribili,
13. et ei, qui aufert spiritum principum,  
terribili apud reges terræ.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Vota facite et solvite Domino, Deo vestro!  
omnes, qui sunt circa Eum, offerant munera — Terribili!

Ei nempe, qui succidit superbiam principum, —  
qui terribilis est regibus terræ!

**Notae ad Psalmum 75.**

Auctor, argumentum et occasio. — Auctor epinicii huius nominatur — Asaph. — (vide psl. 49. Notæ).

Vates sacer celebrat victoriam iuvante Deo de potentibus hostibus reportatam — fortasse capta per Davidem Jerosolyma, quo respicere videtur in v. 3. antiquum urbis nomen — Salem — (confer Gen. 14, 13.).

Secundum inscriptionem in versione Syriaca — Fešito exaratus est psalmus hic vastata urbe Rabbat-Ammon (vide I. Par. cap. 20.).

**Psalmus 76.****Consolatio aegroti et afflicti.****Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem; pro Idithun, Psalmus Asaph.
2. Voce mea ad Dominum clamavi:  
voce mea ad Deum, et intendit mihi.
3. In die tribulationis meæ Deum exquisivi,  
manibus meis nocte contra eum: et non sum deceptus.  
Renuit consolari anima mea:
4. memor fui Dei, et delectatus sum,  
et exercitatus sum: et defecit spiritus meus.
5. Anticipaverunt vigilias oculi mei:  
turbatus sum, et non sum locutus.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — Jedituno; Psalmus Asaphi.

**C**lamo voce mea ad Dominum;  
ad Deum clamo, ut attendat ad me.

In die tribulationis meæ quæro Deum,  
noctu expando manus meas ad Eum, nec decipior;  
recusat se consolari anima mea.

Recordor Dei et ingemisco,

et si meditari cupio, languet spiritus meus.

**O**culi mei anticipant vigilias;  
turbatus sum, nec possum loqui.

**Sonus latinae Vulgatae.**

6. Cogitavi dies antiquos,  
et annos æternos in mente habui.
7. Et meditatus sum nocte cum corde meo,  
et exercitabar, et scopebam spiritum meum.
8. Numquid in æternum proiiciet Deus:  
aut non apponet, ut complacitior sit adhuc?
9. Aut in finem misericordiam suam abscindet,  
a generatione in generationem?
10. Aut obliviscetur misereri Deus?  
aut continebit in ira sua misericordias suas?
11. Et dixi: Nunc cœpi:  
hæc mutatio dexteræ Excelsi.
12. Memor fui operum Domini,  
quia memor ero ab initio mirabilia tuorum,
13. et meditabor in omnibus operibus tuis,  
et in adinventionibus tuis exercebor.
14. Deus in sancto via tua:  
quis Deus magnus sicut Deus noster?
15. Tu es Deus, qui facis mirabilia.  
Notam fecisti in populis virtutem tuam:
16. Redemisti in brachio tuo populum tuum,  
filios Jacob et Joseph.
17. Viderunt te aquæ, Deus,  
viderunt te aquæ et timuerunt:  
et turbatæ sunt abyssi.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Supputo dies pristinos,  
et annos præteritos in mente habeo.

Meditor noctu in corde meo,  
et exercito me, et spiritum meum defatigo.

Num in æternum proiiciet me Deus,  
nec benevolum se exhibebit amplius?

Num cessare faciet gratiam suam in sempiternum?  
a generatione in generationem?

Num oblitus est misereri Deus?

vel præcluserit iratus misericordiam suam?

**D**ein dico: „Nunc sum in principio:  
Dextera Altissimi id mutabit!“

Celebraturus sum facinora Domini,  
nam reminiscar antiquitus factorum a Te mirabiliter;

et cogitabo omnia opera Tua,  
et consilia Tua meditabor.

O Deus, sanctum est regimen Tuum,  
quis Deus magnus est — sicut Deus noster!

Tu es ille Deus, qui facis mirabilia,  
Tu notam fecisti inter populos potentiam Tuam!

Tu redemisti brachio Tuo populum tuum,  
posteris Jacobi et Josephi!

Viderunt Te aquæ, o Deus,  
viderunt Te aquæ et timuerunt;  
etiam abyssi trepidarunt.

**Sonus latinae Vulgatae.**

18. Multitudo sonitus aquarum:  
vocem dederunt nubes.  
Etenim sagittæ tuæ transeunt.
19. vox tonitruui tui in rota.  
Illuxerunt coruscationes tuæ  
orbi terræ:  
commota est et contremuit  
terra.
20. In mari via tua,  
et semitæ tuæ in aquis multis:  
et vestigia tua non cogno-  
scentur.
21. Deduxisti sicut oves populum  
tuum,  
in manu Moysi et Aaron.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Multus erat sonitus aquarum,  
tonitrua ediderunt atræ nubes,  
et sagittæ Tuæ discurrerunt.

Vox tonitrus Tui fuit in circuitu,  
fulgura tua illustraverunt orbem  
terræ,  
commota est et contremuit terra.

Per mare duxit via Tua,  
et semitæ Tuæ per aquas magnas;  
attamen vestigia Tua non sunt  
animadversa.

Duxisti ut gregem populum tuum,  
per Mosem et Aronem.

**Notae ad Psalmum 76.**

Auctor et argumentum et occasio. — Auctor huius psalmi nomi-  
natur — Asaph (vide psl. 49. Nota).

Vates sacer graviter afflictus recordatur meliorum temporum  
pristorum,

et erigit se firma fiducia in auxilium Dei, qui populum suum mirando  
modo ex Aegypto eduxit. —

(Descriptio transitus per mare rubrum est elegans; vv. 17.—21.).

De tempore et occasione exarationis huius psalmi nil certi constat.

**Psalmus 77.****Historia antiqua est salutaris admonitio.****Sonus latinae Vulgatae.**

1. Intellectus Asaph.  
Attendite, popule meus, legem  
meam:  
inclinate aurem vestram in  
verba oris mei.
2. Aperiam in parabolis os meum:  
loquar propositiones ab initio.
3. Quanta audivimus et cogno-  
vimus ea,  
et patres nostri narraverunt  
nobis.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Carmen didacticum Asaphi.  
**A**ttendite, popule mi, doctrinam  
meam,  
inclinate aurem vestram ad verba  
oris mei!

Aperiam cum carmine os meum,  
proferam eloquia de rebus antiquis.

Quæ audivimus et cognovimus,  
et quæ nobis narrarunt patres nostri,

**Sonus latinae Vulgatae.**

4. Non sunt occultata a filiis eorum in generatione altera: Narrantes laudes Domini, et virtutes eius, et mirabilia eius, quæ fecit.
5. Et suscitavit testimonium in Jacob, et legem posuit in Israël. Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis.
6. ut cognoscat generatio altera. Filii, qui nascentur et exsurgent, et narrabunt filiis suis.
7. ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei, et mandata eius exquirant.
8. Ne fiant, sicut patres eorum, generatio prava et exasperans. Generatio, quæ non direxit cor suum, et non est creditus cum Deo spiritus eius.
9. Filii Ephrem, intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli.
10. Non custodierunt testamentum Dei, et in lege eius noluerunt ambulare.
11. Et obliti sunt benefactorum eius, et mirabilium eius, quæ ostendit eis.
12. Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Aegypti, in campo Taneos.
13. Interrupit mare, et perduxit eos, et statuit aquas, quasi in utre.

**Sensus latinae Vulgatae.**

non sunt occultanda posteris eorum in generatione sequenti; narramus enim gloriam Domini, et potentiam Eius, et mirabilia Eius, quæ fecit. —

**I**pse constituit præcepta in Jacobo, et legem posuit in Israël, mandans patribus nostris,

et ea nota faciant filiis suis.

ut ea cognosceret generatio posterâ, filii, qui nascendi essent,

ut hi adulti illa narrarent filiis suis,

ut in Deo ponerent spem suam, nec obliviscerentur operum Dei; sed observarent mandata Eius.

Ne essent ut patres ipsorum, genus pravam et contumacem; genus, quod non firmasset mentem suam, et cuius animus non fuisset Deo deditus.

**E**fraimitæ = tendentes arcum et mittentes, die prælii — terga verterunt.

Non observarunt fœdus Dei,

et in lege Eius ambulare noluerunt.

Obliti sunt benefactorum Eius,

et mirabilium Eius, quæ ostendebat eis.

Coram patribus eorum patravit miracula — in terra Aegypti, in campo Taneos.

Rupit mare et traduxit eos,

et consistere fecit aquas sicut in utre.

**Sonus latinae Vulgatae.**

14. Et deduxit eos in nube diei,  
et tota nocte in illuminatione  
ignis.
15. Interrupit petram in cremo,  
et adaquavit eos velut in  
abyssus multa.
16. Et eduxit aquam de petra,  
et deduxit tamquam flumina  
aquas.
17. Et apposuerunt adhuc pec-  
care ei:  
in iram excitaverunt Excelsum  
in iniquo.
18. Et tentaverunt Deum in cor-  
dibus suis,  
ut peterent escas animabus  
suis.
19. Et male locuti sunt de Deo:  
dixerunt:  
Numquid poterit Deus parare  
mensam in deserto?
20. Quoniam percussit petram, et  
fluxerunt aquæ,  
et torrentes inundaverunt:  
numquid et panem poterit  
dare,  
aut parare mensam populo  
suo?
21. Ideo audivit Dominus et di-  
stulit:  
et ignis accensus est in Jacob,  
et ira ascendit in Israël.
22. Quia non crediderunt in Deo,  
nec speraverunt in salutari  
eius,
23. Et mandabit nubibus desuper,  
et ianuas cœli aperuit.
24. Et pluit illis manna ad man-  
ducandum,  
et panem cœli dedit eis.
25. Panem Angelorum manduca-  
vit homo:  
cibaria misit eis in abundantia.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Interdium duxit eos nube,  
et per totam noctem luce ignis.

Rupit petram in deserto,  
et velut abysso ingenti adaquavit  
eos.

Et exire iussit aquam ex petra,  
et defluere fecit aquas tamquam  
flumina.

**E**t tamen perrexerunt peccare in  
Eum,  
ad iram excitare Altissimum in  
terra iniquosa.

Tentaverunt enim Deum animo  
suo,  
petentes escas pro appetitu suo.

Et male loquentes de Deo dix-  
erunt:  
„Num poterit Deus parare men-  
sam in deserto?“

En, percussit petram, et fluxerunt  
aquæ,  
et torrentes se effuderunt.  
„Num etiam panem poterit dare,  
aut parare poterit carnem populo  
suo?“

**P**ropterea audiens hæc Dominus  
sprevit eos,  
et ignis se accendit in Jacobo,  
et ira (Dei) ascendit in Israël.

Quia fidem non habuerunt Deo,  
neque speraverunt in auxilio Eius.

His non obstantibus mandatum  
dedit nubibus desuper,  
et fores cœli aperuit.

Et pluire fecit in eos mannam  
ad manducandum,  
et panem cœlestem dedit eis.

Panem angelorum manducabat  
quisque,  
cibum misit eis in abundantia.

**Sonus latinae Vulgatae.**

26. Transtulit austrum de cœlo,  
et induxit in virtute sua afri-  
cum.
27. Et pluit super eos sicut pul-  
verem carnes,  
et sicut arenam maris vola-  
tilia pennata.
28. Et ceciderunt in medio ca-  
strorum eorum,  
circa tabernacula eorum.
29. Et manducaverunt et saturati  
sunt nimis.  
Et desiderium eorum attulit  
eis:
30. non sunt fraudati a desiderio  
suo.  
Adhuc escæ eorum erant in  
ore ipsorum.
31. Et ira Dei ascendit super eos,  
et occidit pinques eorum  
  
et electos Israël impedit.
32. In omnibus his peccaverunt  
adhuc,  
et non crediderunt in mira-  
bilibus eius.
33. Et defecerunt in vanitate dies  
eorum,  
et anni eorum cum festina-  
tione.
34. Cum occideret eos, quærebant  
eum,  
et revertebantur, et diluculo  
veniebant ad eum.
35. Et rememorati sunt, quia Deus  
adiutor est eorum,  
et Deus excelsus redemptor  
eorum est.
36. Et dilexerunt eum in ore suo,  
et lingua sua mentiti sunt ei.
37. Cor autem eorum non erat  
rectum cum eo:  
nec fideles habiti sunt in te-  
stamento eius.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Excitavit in cœlo ventum orien-  
talem,  
et potentia sua ventum australem  
adduxit.
- Et pluere fecit in eos instar pul-  
veris — carnes,  
et instar arenæ maris — volatilia  
pennata.
- Quæ ceciderunt in castra eorum  
  
circa tentoria eorum. —
- Et manducaverunt et saturati sunt  
valde,  
cum rem desideratam eis attulisset.
- Nondum privati erant re deside-  
rata,  
adhuc escæ erant in ore eorum;  
  
cum ira Dei ascendit super eos,  
et cædem fecit inter viros eorum  
robustos,  
et iuvenes Israël prostravit.
- H**is omnibus non obstantibus  
peccarunt amplius,  
neque fidem habuerunt mirabilibus  
Eius.
- Et evanuerunt dies eorum ut ha-  
litus,  
et anni eorum cum festinatione.
- Cum occideret eos, quærebant  
Eum,  
et iterum diluculo veniebant ad  
Eum.
- Et recordati sunt, Deum esse ad-  
jutorem eorum,  
et Deum excelsum esse eorum  
redemptorem.
- Et dilexerunt Eum ore suo,  
et mentiti sunt ei lingua sua.
- Nam cor eorum non erat Ei ad-  
dictum,  
nec fidi fuerunt in fœdere Eius.



**Sonus latinae Vulgatae.**

38. Ipse autem est misericors, et propitius fiet peccatis eorum, et non disperdet eos.  
Et abundavit, ut averteret iram suam, et non accendit omnem iram suam:
39. Et recordatus est quia caro sunt:  
spiritus vadens et non rediens.
40. Quoties exacerbaverunt eum in deserto:  
in iram concitaverunt eum in iniquo.
41. Et conversi sunt et tentaverunt Deum,  
et sanctum Israël exacerbaverunt.
42. Non sunt recordati manus eius die, qua redemit eos de manu tribulantis.
43. sicut posuit in Aegypto signa sua,  
et prodigia sua in campo Tanis.
44. Et convertit in sanguinem flumina eorum,  
et imbres eorum, ne hiberent.
45. Misit in eos cœnomyiam, et comedit eos:  
et ranam et disperdit eos.
46. Et dedit ærugini fructus eorum,  
et labores eorum locustæ.
47. Et occidit in grandine vineas eorum,  
et moros eorum in pruina.
48. Et tradidit grandini iumenta eorum,  
et possessionem eorum igni.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Ipse vero misericors — propitius fuit —  
peccatis eorum et non perdidit eos;  
et multoties avertit iram suam.  
nec concitavit omnem æstum suum.
- Reputavit, carnem esse illos,  
halitum, qui abeat, nec revertatur.
- Quoties exacerbaverunt Eum in deserto,  
in iram concitaverunt in terra iniqua!
- Iterum et iterum tentarunt Deum,  
et Sanctum Israël exacerbaverunt.
- Non sunt recordati potentiæ Eius;  
dici, qua redemit eos de manu tribulantis;
- cum fecit signa sua in Aegypto,  
et miracula sua in campo Tanis;
- cum convertit in sanguinem flumina eorum,  
ita, ut aquas eorum non potuissent bibere.
- Misit in eos muscam caninam,  
quæ absumpsit eos,  
et ranas, quæ perdiderunt eos.
- Dein dedit proventum eorum — ærugini,  
et fruges eorum — locustis.
- Grandine perdidit vineas eorum,  
et pruina sycomoros eorum.
- Et tradidit iumenta eorum grandini,  
et greges eorum fulminibus.

**Sonus latinae Vulgatae.**

49. Misit in eos iram indignationis suæ,  
indignationem, et iram et tribulationem:  
immissiones per angelos malos.
50. Viam fecit semitæ iræ suæ,  
non pepercit a morte animabus eorum,  
et iumenta eorum in morte conclusit.
51. Et percussit omne primogenitum in terra Aegypti:  
primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.
52. Et abstulit sicut oves populum suum,  
et perduxit eos tamquam gregem in deserto.
53. Et deduxit eos in spe, et non timuerunt,  
et inimicos eorum operuit mare.
54. Et induxit eos in montem sanctificationis suæ,  
montem, quem acquisivit dextra eius.  
Et eiecit a facie eorum gentes,  
et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.
55. Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israël.
56. Et tentaverunt, et exacerbaverunt Deum excelsum,  
et testimonia eius non custodierunt.
57. Et averterunt se, et non servaverunt pactum:  
quæadmodum patres eorum conversi sunt in arcum prævum.
58. In iram concitaverunt eum in collibus suis,  
et in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocaverunt.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Immisit eis ardentem iram suam,  
indignationem, furorem, et tribulationem,  
— agmen angelorum malorum.
- Complanavit viam iræ suæ,  
non pepercit a morte animabus eorum,  
et iumenta eorum morti tradidit.
- Percussit nempe omne primogenitum in terra Aegypti,  
primitias omnis possessionis eorum in tabernaculis Chami.
- D**ein eduxit populum suum ut oves,  
et duxit eos ut gregem in deserto.
- Et duxit eos tuto, nec paverunt,  
et inimicos eorum operuit mare.
- Et perduxit eos ad montem suum sanctum,  
ad montem, quem acquisivit dextra Eius.  
Et expulit coram iis gentes,  
et sorte distribuit eis terram funiculo mensorio.
- et habitare fecit in tabernaculis eorum — tribus Israël.
- E**t tamen tentaverunt et exacerbaverunt Deum altissimum,  
et præcepta Eius non custodierunt.
- Et averterunt se et non servaverunt fœdus; —  
ut patres eorum; converterunt se ad modum arcus fallacis.
- Ad iram concitaverunt Eum excelsis suis,  
et sculptilibus suis provocaverunt Eum ad æmulationem.

## Sonus latinae Vulgatae.

59. Audivit Deus, et spreuit,  
et ad nihilum redegit valde  
Israël.
60. Et repulit tabernaculum Silo,  
tabernaculum suum, ubi habi-  
tavit in hominibus.
61. Et tradidit in captivitatem vir-  
tutem eorum,  
et pulchritudinem eorum in  
manus inimici.
62. Et conclusit in gladio popu-  
lum suum,  
et hæreditatem suam spreuit.
63. Juvenes eorum comedit ignis,  
et virgines eorum non sunt  
lamentatæ.
64. Sacerdotes eorum in gladio  
cecidērunt,  
et viduæ eorum non plora-  
bantur.
65. Et excitatus est tamquam dor-  
miens Dominus,  
tamquam potens crapulatus a  
vino.
66. Et percussit inimicos suos in  
posteriora,  
opprobrium sempiternum de-  
dit illis,
67. Et repulit tabernaculum Joseph,  
et tribum Ephraim non elegit.
68. Sed elegit tribum Judæ,  
montem Sion, quem dilexit.
69. Et ædificavit sicut unicornium  
sanctificium suum  
in terra, quam fundavit in  
sæcula.
70. Et elegit David servum suum,  
et sustulit eum de gregibus  
ovium:  
de post fœtantes accepit eum,
71. pascere Jacob servum suum,  
et Israël hereditatem suam.
72. et pavit eos in innocentia  
cordis sui,  
et in intellectibus manuum  
suarum deduxit eos.

## Sensus latinae Vulgatae.

Audivit id Deus, et spreuit,  
et ad nihilum redegit valde  
Israëlem.

Et repulit tabernaculum in Silo,  
tabernaculum suum, ubi habitavit  
inter homines.

Et tradidit in captivitatem poten-  
tiam eorum,  
et splendorem eorum in manus  
inimici.

Et tradidit gladio populum suum,  
et spreuit hæreditatem suam.

Juvenes eorum voravit ignis,  
et virgines eorum non sunt la-  
mentatæ.

Sacerdotes eorum ceciderunt gla-  
dio,  
et viduæ eorum non plorabantur.

Tum evigilavit Dominus instar  
dormientis,  
instar herois a vino victi.

et percussit inimicos suos retror-  
sum; —

opprobrium sempiternum impo-  
suit eis.

Repudiavit autem tabernaculum  
Joseph,  
et tribum Ephraimi non elegit.

Sed elegit tribum Judæ,  
montem Sionem, quem dilexit.

Et ædificavit sicut unicornium  
sacrarium suum,  
in terra, quam fundavit in sæcula.

Et elegit Davidem servum suum,  
et adscivit eum de gregibus ovium.

Adduxit eum de lactantibus ovibus,  
ut pasceret Jacobum, servum Eius,  
et Israël, peculium Eius.

Et pavit eos secundum integrita-  
tem cordis sui,  
et duxit eos manibus suis pruden-  
tissimis.

**Notae ad Psalmum 77.**

Auctor, argumentum et occasio. Auctor huius psalmi nominatur Asaph. (vide psl. 49. Nota). —

Vates sacer recenset beneficia a Deo Hebræis inde ab exitu ex Aegypto collata, et arguit animum ingratum et contumacem populi in genere, Efraimitarum autem in specie. —

Hanc ob causam permisit Deus populum suum et tabernaculum sacrum Silunte collocatum — arbitrio hostium, quos dein repressit quidem, sed spreta Ephraimitarum terra, Judam sibi delegit sedem, et regem constituit Davidem.

Psalmus hic exaratus est verosimile post translationem arcæ fœderis in montem Sion (de quo in II. Sam cap. 6. sermo est).

Nota. Versus 2. et 3 huius psalmi allegantur ab evangelista Mattheo 13, 35.

**Psalmus 78.****O Domine! miserere populi Tui nimis afflicti!****Sonus latinae Vulgatae.**

1. Psalmus Asaph.  
Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam,  
polluerunt templum sanctum tuum:  
posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.
2. Posuerunt morticina servorum tuorum, escas volatilibus cœli: carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.
3. Effuderunt sanguinem eorum tamquam aquam  
in circuitu Jerusalem, et non erat, qui sepeliret.
4. Facti sumus opprobrium vicinis nostris:  
subsannatio et illusio his, qui in circuitu nostro sunt.
5. Usquequo, Domine, irasceris in finem:  
accendetur velut ignis zelus tuus?
6. Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt,  
et in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt:

**Sensus latinae Vulgatae.**

Psalmus Asaphi.

○ Deus! gentes venerunt in hereditatem Tuam,  
polluerunt templum Tuum sanctum,  
redegerunt Hierosolymas in pomorum custodiam!

Cadavera servorum Tuorum dederunt escam volucribus cœli,  
carnes sanctorum tuorum bestiis terræ!

Sanguinem eorum fuderunt tamquam aquam —  
circum Hierosolymas, nec fuit, qui eos sepeliret!

Facti sumus opprobrium vicinis nostris,  
irrisio et ludibrium iis, qui in circuitu nostro sunt!

Quousque, Domine, irasceris perpetuo,  
quousque ardebit velut ignis indignatio Tua?

Effunde iram tuam in gentes, quæ non norunt Te,  
et super regna, quæ nomen Tuum non invocant!

**Sonus latinae Vulgatae.**

7. quia comederunt Jacob,  
et locum eius desolaverunt.
8. Ne memineris iniquitatum no-  
strarum antiquarum:  
cito anticipent nos miseri-  
cordiæ tuæ,  
quia pauperes facti sumus  
nimis.
9. Adiuva nos, Deus salutaris  
noster,  
et propter gloriam nominis  
tui, Domine, libera nos:  
et propitius esto peccatis no-  
stris propter nomen tuum:
10. ne forte dicant in gentibus:  
Ubi est Deus eorum?  
et innotescat in nationibus  
coram oculis nostris.  
Ultio sanguinis servorum tuo-  
rum, qui effusus est:
11. introeat in conspectu tuo ge-  
mitus compeditorum.  
Secundum magnitudinem bra-  
chii tui, posside filios morti-  
ficorum.
12. Et redde vicinis nostris sep-  
tuplum in sinu eorum:  
improperium ipsorum, quod  
exprobraverunt tibi Domine
13. Nos autem, populus tuus et  
oves pascuæ tuæ,  
confitebimur tibi in sæculum:  
in generationem et generatio-  
nem annuntiabimus laudem  
tuam.

**Sensus latinae Vulgatae.**

nam devorant Jacobum,  
et vastant domicilium eius!  
Noli imputare nobis culpas nostras  
antiquas,  
celeriter obviam nobis veniat mi-  
sericordia Tua,  
nam nimis miserales facti sumus!

**A**diuva nos, Deus! salvator  
noster,  
et propter gloriam nominis Tui,  
Domine, libera nos,  
et propitius esto peccatis nostris  
propter nomen Tuum!

ne forte dicant gentes: „Ubi est  
Deus eorum?“  
Appareat inter gentes coram ocu-  
lis nostris, —  
ultio profusi sanguinis servorum  
Tuorum!

Veniat in conspectum Tuum ge-  
mitus captivorum!  
Secundum magnitudinem brachii  
tui conserva — morti destinatos!

Et repende vicinis nostris sep-  
tuplum in sinum eorum —  
probrum, quo affecerunt Te, o Do-  
mine!

**N**os vero, populus Tuus et oves  
pascui Tui,  
celebrabimus Te in perpetuum,  
per omnes ætates narrabimus lau-  
dem Tuam!

**Notae ad Psalmum 78.**

**Auctor et argumentum.** Auctor huius psalmi sacer nominatur no-  
mine colectivo „Asaph“ — (vide psl. 49). —

**Vates** sacer deplorat eversionem Jerosolymæ et strages inter  
Hebræos editas,

rogatque Deum, ut iram et plagas a populo suo — in hostes  
convertat.

**Tempus** — Psalmus hic exaratus est absque dubio post eversio-  
nem — Jerosolymæ per Nebucadnezarem; confer IV. Reg. cap. 25 et Jer. cap. 52.

## Psalmus 79.

**O Domine! conserva vitem, quam plantavit  
dextera Tua!**

**Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem; pro iis, qui commu-  
tabuntur testimonium  
Asaph: Psalmus.
2. Qui regis Israël, intende:  
qui deducis velut ovem Joseph.  
Qui sedes super Cherubim,  
manifestare
3. coram Ephraim, Benjamin et  
Manasse.  
Excita potentiam tuam,  
et veni ut salvos facias nos.
4. Deus, converte nos,  
et ostende faciem tuam, et  
salvi erimus.
5. Domine Deus virtutum,  
quousque irasceris super ora-  
tionem servi tui?
6. Cibabis nos pane lacrymarum:  
et potum dabis nobis in la-  
crymis in mensura?
7. Posuisti nos in contradictio-  
nem vicinis nostris,  
et inimici nostri subsannave-  
runt nos.
8. Deus virtutum, converte nos:  
et ostende faciem tuam, et  
salvi erimus.
9. Vineam de Aegypto transtu-  
listi:  
eiecisti gentes, et plantasti  
eam.
10. Dux itineris fuisti in conspectu  
ejus:  
plantasti radices eius, et im-  
plevit terram.
11. Operuit montes umbra eius,  
et arbusta eius cedros Dei.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — ad mo-  
dum „Qui commutabuntur testi-  
monium“.

Psalmus Asaphi.

**Q**ui regis Israël, ausculta!  
Tu, qui ducis ut gregem Jo-  
sephum,  
Tu, qui insides cherubis, mani-  
festa Te!

Coram Ephraimo, Beniamino et  
Manasse,  
suscita potentiam Tuam,  
et veni, ut salvos facias nos!

Deus, restitue nos,  
et ostende faciem Tuam, et salvi  
erimus!

**D**omine, Deus exercituum,  
quamdiu irasceris orante servo  
Tuo?

Cibas eos pane lacrimarum,  
et potas nos lacrimis mensura!

Facis nos contentionis obiectum  
vicinis nostris,  
et inimici nostri subsannant nos.

Deus exercituum, restitue nos,  
et ostende faciem Tuam, et salvi  
erimus!

**T**u transtulisti ex Aegypto vitem,  
eiecisti gentes et plantasti eam.

Dux itineris fuisti ante eam;  
plantasti radices eius et ea im-  
plevit terram.

Umbra eius operuit montes,  
et rami eius cedros Dei;

**Sonus latinae Vulgatae.**

12. Extendit palmites suos usque ad mare,  
et usque ad flumen propagines eius.
13. Ut quid destruxisti maceriam eius, et vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam?
14. Exterminavit eam aper de silva,  
et singularis ferus depastus est eam.
15. Deus virtutum, convertere: respice de cœlo, et vide,  
et visita vineam istam.
16. Et perforce eam, quam plantavit dextera tua,  
et super filium hominis, quem confirmasti tibi.
17. Incensa igni, et suffossa ab increpatione vultus tui peribunt.
18. Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ;  
et super filium hominis, quem confirmasti tibi.
19. Et non discedimus a te: vivificabis nos, et nomen tuum invocabimus.
20. Domine Deus virtutum converte nos,  
et ostende faciem tuam: et salvi erimus.

**Sensus latinae Vulgatae.**

emisit palmites suos usque ad mare,  
et surculos suos usque ad fluvium.

**C**ur destruxisti maceriam eius,  
ut decerpant eam, quicumque prætereunt via?

Aper e silva corrodit eam,  
et singularis ferus eam depascit!

Deus exercituum! prospice iterum de cœlo et vide,  
et tuere vineam hanc!

et conserva, quod plantavit dextera Tua,  
populum nempe, quem crescere fecisti Tibi!

**C**ombusta est igne, et succisa! —  
increpatione vultus Tui per-eunt!

Sit manus Tua super electum Tuum,  
nempe super populum, quem crescere fecisti Tibi!

et non recedemus a Te!  
Vivifica nos iterum et invocabimus nomen Tuum!

Domine, Deus exercituum, restitue nos,  
et ostende faciem Tuam, et salvi erimus!

**Notae ad Psalmum 79.**

Auctor et argumentum. — Auctor huius psalmi nominatur Asaph. (vide psl. 49. Nota).

Vates sacer exorat populo suo per hostes afflicto auxilium divinum (2,—8.),

delineat beneficia divina Hebræis hucusque collata sub imagine culturæ, quæ viti impenditur (9.—14.)

dein implorat misericordiam Dei, ut opus suum perficiat, et gentis electæ porro curam gerat (v. 15.—20.).

Si auctor psalmi „Asaph“ est ille coævus Davidis (vide 49, 1), referenda est exaratio psalmi huius ad prima prœlia belli Nisibeni (II. Sam. 8.).

## Psalmus 80.

**Ad celebrationem festi Paschatis.****Sonus latinae Vulgatae.****Sensus latinae Vulgatae.**

- |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                     |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                      |
|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>1. In finem: pro torcularibus,<br/>Psalmus ipsi Asaph.</p> <p>2. Exultate Deo adiutori nostro:<br/>iubilare Deo Jacob.</p> <p>3. Sumite psalmum, et date tym-<br/>panum,<br/>psalterium iucundum cām ci-<br/>thara.</p> <p>4. Buccinate in Neomenia tuba,<br/>in insigni die solemnitis<br/>vestræ:</p> <p>5. quia praeceptum in Israël est:<br/>et iudicium Deo Jacob.</p> <p>6. Testimonium in Joseph posuit<br/>illud,<br/>cum exiret de terra Aegypti:</p> <p>linguam, quam non noverat,<br/>audivit.</p> <p>7. Divertit ab oneribus dorsum<br/>eius:<br/>manus eius in cophino servi-<br/>erunt.</p> <p>8. In tribulatione invocasti me,<br/>et liberavi te:<br/>exaudivi te in abscondito tem-<br/>pestatis:<br/>probavi te apud aquam con-<br/>tradictionis.</p> <p>9. Audi, populus meus et conte-<br/>stabor te:<br/>Israël si audieris me,</p> <p>10. non erit in te deus recens,<br/>neque adorabis deum alienum.</p> | <p>Ad liturgiam sacram. — Pro tor-<br/>cularibus.<br/>Psalmus Asaphi.</p> <p><b>E</b>xultate Deo, adiutori nostro,<br/>iubilare Deo Jacobi!</p> <p>Tollite cantum et pulsate tym-<br/>panum,<br/>psalterium suave et citharam!</p> <p>Clangite buccina in novilunio,<br/>in insigni die solemnitis vestræ!</p> <p>Nam statutum pro Israël est hoc,<br/>et lex sancita Dei Jacobi.</p> <p>In testimonium instituit illud in<br/>Josepho,<br/>cum exiret de terra Aegypti.</p> <p><b>S</b>ermonem, quem non noverat,<br/>audivit:<br/>„Liberavit ab oneribus dorsum<br/>eius,<br/>manus eius in cophino servilia<br/>præstiterunt.“</p> <p>„In tribulatione invocasti me,<br/>et Ego te liberavi,<br/>exaudivi te ex latibulo tonitrus,<br/>exploravi te ad aquas contra-<br/>dictionis.“</p> <p>„Audi popule mi, admonebo te,<br/>o Israël, utinam audires me!“</p> <p>„<b>N</b>on erit in te deus novus,<br/>neque adorabis deum alie-<br/>num.“</p> |
|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|



**Sonus latinae Vulgatae.**

11. Ego enim sum Dominus Deus tuus,  
qui eduxi te de terra Aegypti:  
dilata os tuum, et implebo illud.
12. Et non audivit populus meus vocem meam,  
et Israël non intendit mihi.
13. Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum:  
ibunt in adinventionibus suis.
14. Si populus meus audisset me,  
Israël si in viis meis ambulasset:
15. pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem,  
et super tribulantes eos misissem manum meam.
16. Inimici Domini mentiti sunt ei,  
et erit tempus eorum in sæcula.
17. Et cibavit eos ex adipe frumenti,  
et de petra, melle saturavit eos.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- „Ego enim, — Dominus, sum Deus tuus,  
qui eduxi te ex terra Aegypti;  
late aperi os tuum et implebo illud!“
- „Verum non audivit populus meus vocem meam,  
et Israël ad me non attendit.“
- „Atque ita reliqui eos desideriiis cordis ipsorum; —  
ambularunt in consiliis suis!“
- „Utinam populus meus audiret me!  
utinam Israël in viis meis ambularet!“
- „quasi nihilum humiliarem inimicos eorum,  
et converterem manum meam contra tribulatores eorum.“
- „Inimici Domini adularentur ei,  
essetque tempus eorum (felix) in sæcula;“
- „et cibaret eos tritico optimo,  
et satiaret eos melle de petra.“

**Notae ad Psalmum 80.**

**Auctor et argumentum.** — Vates sacer, qui nominatur — Asaph — (vide psl. 49. Nota), excitat populum, ut lætus celebret dies festos a Jehova institutos in memoriam liberationis ex servitute Aegyptiaca (2.—6. a. b.).

Refert dein verba Dei, quibus populo ingratum obiicit animum, optatque, ut obediunt Israëlitaë præceptis Eius; brevi enim humiliarentur adversarii eorum, et populus electus omnimoda abundaret felicitate (6.—17.).

**Occasio.** — Occasionem huic psalmo præbuit verosimiliter (coll. v. 14. et 15.) sinistra sors in bello quopiam, fortasse Nisibeno (II. Reg. cap. 8.). —

Psalmus exaratus fuisse videtur in usum publicum, ut a Levitis in liturgia decantaretur. —

De tempore exarationis eius nil certi constat.

Psalmus 81.

**Judices iniustos Deus punit.**

**Sonus latinae Vulgatae.**

**Sensus latinae Vulgatae.**

1. Psalmus Asaph.  
Deus stetit in synagoga deorum:  
in medio autem deos diiudicat.
2. Usquequo iudicatis iniquitatem,  
et facies peccatorum sumitis?
3. Iudicate egeno, et pupillo:  
humilem et pauperem iustificat.
4. Eripite pauperem, et egenum  
de manu peccatoris liberate.
5. Nescierunt, neque intellexerunt,  
in tenebris ambulant:  
movebuntur omnia fundamenta terræ.
6. Ego dixi: Dii estis,  
et filii excelsi omnes
7. Vos autem sicut homines moriemini,  
et sicut unus de principibus cadetis.
8. Surge, Deus, iudica terram,  
quoniam tu hereditabis in  
omnibus gentibus.

Psalmus Asaphi.  
**D**eus se sistit in coetu divino —  
in medio vicariorum Dei ius dicit:  
„Quousque iudicabitis iniuste,  
et faciem impiorum accipietis?“  
„Causam agite egeni et orphanis;  
iuris sui compotem facite afflictum et pauperem!“  
„Eripite pauperem et egenum,  
liberate eos e manu impii!“  
**I**lli non sapiunt et insaniunt,  
in tenebris incedunt; —  
omnia fundamenta terræ nutant.  
Ego dixi: „Dei vicarii estis vos,  
et filii Altissimi vos omnes.“  
„verum ut homines ignobiles moriemini  
et sicut unusquisque alius principum cadetis.“  
**S**urge, o Deus, exerce iudicium  
in terra,  
nam tu ius dominii habes in omnes gentes!

**Notae ad Psalmum 81.**

Auctor et argumentum. — Tempus. — Auctor huius psalmi vocatur Asaph. (vide psl. 49. Nota.). —

Deus sistit se in conventu iudicum, qui vice Eius munere funguntur et propterea „dii“ vocantur; reprehendit eos de iniustitiis, partium studio, ignorantia et cœcitate, — quibus omnis ordo et salus publica funditus perturbatur. —

De tempore exarationis nil certi statui potest.

Si auctor „Asaph“ est ille — coævus Davidis, tunc psalmus hic est parallelus psalmo 57<sup>mo</sup>.

## Psalmus 82.

**Adiuva nos, o Deus, contra confoederatos  
hostes nostros!****Sonus latinae Vulgatae.**

1. Canticum Psalmi Asaph.
2. Deus, quis similis erit tibi?  
ne taceas, neque compescaris  
Deus:
3. quoniam ecce inimici tui so-  
nuerunt,  
et qui oderunt te, extulerunt  
caput.
4. Super populum tuum malig-  
naverunt consilium,  
et cogitaverunt adversus san-  
ctos tuos.
5. Dixerunt: Venite et disper-  
damus eos de gente,  
et non memoretur nomen  
Israël ultra.
6. Quoniam cogitaverunt una-  
nimiter:  
simul adversum te testamen-  
tum disposuerunt.
7. Tabernacula Idumæorum et  
Ismaëlitarum:  
Moab et Agareni:
8. Gebal, et Ammon, et Amalec:  
alienigenæ cum habitantibus  
Tyrum.
9. Etenim Assur venit cum illis:  
facti sunt in adiutorium filiis  
Lot.
10. Fac illis sicut Madian et Si-  
saræ:  
sicut Iabin in torrente Cison.
11. Disperierunt in Endor,  
facti sunt ut stercus terræ.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Canticum ; Psalmus Asaphi.

**D**eus, quis similis est Tibi?  
ne taceas, neque sis quietus,  
o Deus!

Nam ecce inimici Tui fremunt,  
et osores Tui attollunt caput!

**M**aligna cudunt consilia contra  
populum Tuum,  
et deliberant contra cultores Tuos!

Dicunt: „Venite, exstirpemus eos,  
ne sint gens,  
ne sit ultra memoria nominis  
Israëlis!

Nam consultant unanimiter,  
et contra Te ipsum fœdus pan-  
gunt!

**T**abernacula Idumæorum et Isma-  
ëlitæ,  
Moabitæ et Hagaræi;

Gebalitæ, et Amonitæ et Amale-  
citæ,  
Philistæi cum incolis Tyri;

etiam Assyrii veniunt cum illis;  
facti sunt adiutorium — posteris  
Loti.

**F**ac iis sicut Madianitis et Si-  
saræ,  
sicut Iabino ad torrentem Kisonem,

qui deleti sunt Endore,  
et evaserunt fimus humo.

**Sonus latinae Vulgatae.**

12. Pone principes eorum sicut  
Oreb et Zeb,  
et Zebee et Salmana: omnes  
principes eorum.
13. Qui dixerunt:  
Hereditate possideamus Sanctuarium Dei.
14. Deus meus, pone illos ut  
rotam,  
et sicut stipulam ante faciem  
venti.
15. Sicut ignis, qui comburit sil-  
vam,  
et sicut flamma comburens  
montes:
16. ita persequeris illos in tem-  
pestate tua,  
et in ira tua turbabis eos.
17. Imple facies eorum ignominia,  
et quærent nomen tuum Do-  
mine.
18. Erubescant, et conturbentur  
in sæculum sæculi,  
et confundantur, et pereant.
19. Et cognoscant, quia nomen  
tibi Dominus,  
tu solus Altissimus in omni  
terra.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Fac ducibus eorum, ut Orebo, et  
Zebo,  
et ut Zebacho ac Zalmuno —  
omnibus principibus eorum;
- dicunt enim:  
„Occupemus nobis Sanctuarium  
Dei!“
- Deus mī, fac illos ut turbinem  
et ut stipulam coram vento!
- ut ignem, qui comburit silvam,  
et ut flammam, quæ comburit  
montes!
- Ita persequere eos tempestate  
Tua,  
et irā Tuā perterre illos!
- Imple facies eorum ignominia,  
ut quærant nomen Tuum, o  
Domine!
- Erubescant et consternantur in  
perpetuum,  
et confundantur et pereant!
- Et intelligant, nomen Tuum „Do-  
minus“; —  
Te solum — esse Altissimum in  
universa terra.

**Notae ad Psalmum 82.**

Auctor, argumentum et occasio. — Auctor psalmi huius — Asaph (vide psl. 49. Nota) rogat enixe Deum, ut liberet Hebræos a populis vicinis, qui in fœdus coierant, ut populum electum prorsus exterminarent.

Psalmus hic spectare videtur ad bellum Nisibenum primum et secundum (II. Sam. cap. 8. et 10. I. Par. cap. 19.).

Tempus exarationis ignoratur.

## Psalmus 83.

**Desiderio templi tabescit cor pii peregrinantis.****Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem; pro torcularibus,  
filiis Core, Psalmus.
2. Quam dilecta tabernacula tua,  
Domine virtutum:
3. concupiscit, et deficit anima  
mea in atria Domini.  
Cor meum, et caro mea exul-  
taverunt in Deum vivum.
4. Etenim passer invenit sibi  
domum,  
et turtur nidum sibi,  
ubi ponat pullos suos.  
Altaria tua, Domine virtutum,  
rex meus et Deus meus.
5. Beati, qui habitant in domo  
tua, Domine:  
in sæcula sæculorum lauda-  
bunt te.
6. Beatus vir, cuius est auxilium  
abs te:  
ascensiones in corde suo dis-  
posuit,
7. in valle lacrymarum, in loco,  
quem posuit.
8. Etenim benedictionem dabit  
legislator:  
ibunt de virtute in virtutem:  
videbitur Deus deorum in  
Sion.
9. Domine Deus virtutum, exaudi  
orationem meam:  
auribus percipe, Deus Jacob.
10. Protector noster aspice, Deus,  
et respice in faciem christi tui.
11. quia melior est dies una in  
atriis tuis super millia.  
Elegi abjectus esse in domo  
Dei mei,  
magis quam habitare in ta-  
bernaculis peccatorum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — pro tor-  
cularibus.

Psalmus Corachitarum.

**Q**uam dilecta sunt tabernacula  
Tua, Domine exercituum!  
Anima mea concupiscit et tabes-  
cit desiderio atriorum Domini;  
cor meum et caro mea iubilant  
Deo vivo.

Etenim passer invenit sibi domum,

et turtur nidum sibi,  
ubi reponat pullos suos —  
apud altaria Tua, Domine exer-  
cituum,  
rex mi et Deus mi!

Beati, qui habitant in domo Tua,  
Domine!  
continuo celebrare possunt Te!

**B**eatus homo, cui est auxilium  
a Te,  
(beatus), qui ascendere decrevit  
in corde suo,  
per vallem lacrymarum ad locum,  
quem constituit —  
Legislator daturus benedictionem.

Eunt a robore ad robur;  
in Sione enim manifestat se Deus  
deorum.

**D**omine, Deus exercituum, audi  
orationem meam!  
auribus percipe eam, Deus Jacobi!  
Respice, protector noster, o Deus,  
et intueri faciem uncti Tui!

Nam melior est dies una in atriis  
Tuis, quam millia (alio in loco);  
Malo ultimus esse in domo Dei  
mei,  
quam habitare in tabernaculis  
peccatorum.

**Sonus latinae Vulgatae.**

12. Quia misericordiam et veritatem diligit Deus, gratiam et gloriam dabit Dominus.
13. Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Nam Deus diligit misericordiam et fidem,  
Dominus dat gratiam et gloriam.

Non denegat ullum bonum iis, qui innocenter ambulant.  
Domine exercituum! beatus homo, qui sperat in Te!

**Notae ad Psalmum 83.**

Auctor et argumentum. — Auctor psalmi huius, Corachita quidam (vide psl. 41. Nota) delineat flagrans templi desiderium, quo animatae feruntur turbæ piorum peregrinantium.

De tempore et occasione exarationis huius psalmi nil certi constat.

**Psalmus 84.**

**Dominus nos iterum vitae restituet.**

**Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem;  
filiis Core, Psalmus.
2. Benedixisti, Domine, terram tuam,  
avertisti captivitatem Jacob.
3. Remisisti iniquitatem plebis tuæ:  
operuisti omnia peccata eorum.
4. Mitigasti omnem iram tuam:  
avertisti ab ira indignationis tuæ.
5. Converte nos, Deus salutaris noster,  
et averte iram tuam a nobis.
6. Numquid in æternum irasceris nobis?  
aut extends iram tuam a generatione in generationem?
7. Deus, tu conversus vivificabis nos,  
et plebs tua lætabitur in te.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; —  
Psalmus Corachitarum.

**B**enedixisti, o Domine, terræ  
Tuæ,  
reduxisti captivos Jacobi.

Remisisti culpam plebis Tuæ;  
operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram Tuam,  
reduxisti de ardore iræ Tuæ.

**R**estitue nos iterum, Deus sal-  
vator noster,  
et averte iram Tuam a nobis!

Num in perpetuum irasceris nobis,  
aut continuabis iram Tuam in  
omnes ætates?

Deus, Tu iterum restitues nos vitæ,  
ut lætari posset plebs Tua de Te.

**Sonus latinae Vulgatae.**

8. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam,  
et salutare tuum da nobis.
9. Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus,  
quoniam loquetur pacem in plebem suam. Et super sanctos suos  
et in eos, qui convertuntur ad cor.
10. Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius,  
ut inhabitet gloria in terra nostra.
11. Misericordia et veritas obvia-  
verunt sibi:  
iustitia et pax osculatæ sunt.
12. Veritas de terra orta est,  
et iustitia de cœlo prospexit.
13. Etenim Dominus dabit benignitatem,  
et terra nostra dabit fructum suum.
14. Iustitia ante eum ambulabit,  
et ponet in via gressus suos.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ostende nobis, Domine, gratiam  
Tuam,  
et auxilium Tuum da nobis!

**A**udiam, quid loquatur in me  
Dominus Deus!  
Utique promittit salutem  
plebi suæ, nempe piis cultoribus  
suis,  
et iis, qui convertunt se quoad  
cor.

**S**ane propinquum est auxilium  
Eius illis, qui timent Eum,  
ut habitet gloria in terra nostra.

Misericordia et fides sibi occur-  
rent,  
iustitia et pax se osculabuntur.

Fides de terra progerminabit,  
et de cœlo prospiciet iustitia.

Dabit enim Dominus benedictionem,  
et terra nostra dabit proventum  
suum.

Iustitia ambulabit coram Eo,  
et faciet viam suam — gressus  
Eius.

**Notae ad Psalmum 84.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — Corachita quidam — (vide psl. 41. Nota) — implorat auxilium divinum in præsentī calamitate.

Deus promittit salutem sub ea conditione, si fidem servaverit populus. —

Tempora meliora pulchris describuntur figuris. —

Quum nobis non est notum, quam ex numerosis calamitatibus in mente habuerit vates sacer, certi quid de tempore et occasione exarationis huius carminis statui nequit.

Nota. Versus 7. et 8. recitantur in ss. Missæ sacrificio post „Confiteor“.

## Psalmus 85.

**Domine consolare pium Tui cultorem!****Sonus latinae Vulgatae.**

Oratio ipsi David.

1. Inclina, Domine, aurem tuam,  
et exaudi me:  
quoniam inops et pauper sum  
ego.
2. Custodi animam meam, quo-  
niam sanctus sum:  
salvum fac servum tuum,  
Deus meus,  
sperantem in te.
3. Miserere mei, Domine,  
quoniam ad te clamavi tota  
die:
4. lætifica animam servi tui,  
quoniam ad te, Domine, ani-  
mam meam levavi.
5. Quoniam tu, Domine, suavis  
et mitis,  
et multæ misericordiæ omni-  
bus invocantibus te.
6. Auribus percipe, Domine, ora-  
tionem meam,  
et intende voci deprecationis  
meæ.
7. In die tribulationis meæ cla-  
mavi ad te,  
quia exaudisti me.
8. Non est similis tui in diis,  
Domine,  
et non est secundum opera  
tua.
9. Omnes gentes, quascumque  
fecisti,  
venient, et adorabunt coram  
te, Domine:  
et glorificabunt nomen tuum.
10. Quoniam magnus es tu, et  
faciens mirabilia:  
tu es Deus solus.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Oratio Davidis.

**I**nclina, Domine! aurem Tuam,  
et exaudi me,  
nam afflictus et miser sum ego!

Custodi vitam meam, nam devo-  
tus cultor sum ego!  
salvum fac servum Tuum, Deus  
mi;  
spero enim in Te!

Miserere mei, Domine,  
nam tota die clamo ad Te!

Consolare animam servi Tui,  
nam ad Te, Domine, levo mentem  
meam!

Nam Tu, Domine, es suavis et  
mitis,  
et magnæ gratiæ erga omnes, qui  
invocant Te!

**A**uribus percipe, Domine, ora-  
tionem meam,  
et attende ad vocem deprecationis  
meæ!

In die tribulationis meæ clamo  
ad Te,  
nam exaudis me!

Nemo Tui similis est inter deos,  
o Domine,  
neque est aliquid secundum opera  
Tua!

Omnes gentes, quas creasti,  
venient et prosternent se coram  
Te, Domine, —  
glorificantes nomen Tuum!

Nam magnus es Tu et faciens  
mirabilia;  
Tu — Deus es solus!



**Sonus latinae Vulgatae.**

11. Deduc me, Domine, in via tua,  
et ingrediar in veritate tua:  
lætetur cor meum, ut timeat  
nomen tuum.
12. Confitebor tibi, Domine Deus  
meus, in toto corde meo,  
et glorificabo nomen tuum  
in æternum:
13. quia misericordia tua magna  
est super me,  
et eruisti animam meam ex  
inferno inferiori.
14. Deus, iniqui insurrexerunt su-  
per me,  
et synagoga potentium quæ-  
sierunt animam meam,  
et non proposuerunt te in  
conspectu suo.
15. Et tu, Domine Deus miserator  
et misericors,  
patiens, et multæ misericordiæ,  
et verax,
16. respice in me, et miserere mei:  
da imperium tuum puero tuo,  
et salvum fac filium ancillæ  
tuæ.
17. Fac mecum signum in bonum,  
ut videant, qui oderunt me,  
et confundantur,  
quoniam tu, Domine, adiuvist  
me, et consolatus es me.

**Sensus latinae Vulgatae.**

**D**oce me, Domine, viam Tuam;  
ambulabo ad veritatem Tuam!  
fac, ut lætum sit cor meum, ut  
timeat nomen Tuum!

Celebrabo Te, Domine, Deus mi!  
toto corde meo,  
et glorificabo nomen Tuum in  
æternum;

quod magna fuit erga me gratia  
Tua,  
et quod eripuisti animam meam  
ex orco infimo!

O Deus! iniqui surgunt contra me,  
et turba violentorum insidiatur  
vitæ meæ,  
nec ponunt Te ante oculos suos!

Tu vero, o Domine, Deus es be-  
nignus et misericors,  
longanimis et magnæ gratiæ et  
fidei.

Respice in me et miserere mei,  
da præsidium Tuum servo Tuo,  
et salvum fac filium ancillæ Tuæ!

Fac in me signum favoris,  
ut ii, qui oderunt me, confun-  
dantur (videntes),  
quod Tu, Domine, me adiuvas et  
consolaris.

**Notae ad Psalmum 85.**

Auctor et argumentum. — Auctor huius psalmi — David — in angustiis versans, auxilium divinum implorat.

Celebrat potentiam et clementiam divinam, quam iam alias expertus est, et preces suas repetit. —

De tempore et occasione exarationis huius psalmi nil certi statui potest.

Nota. Respectu habito argumenti et elocutionis, similis est psalmus hic psalmo 24<sup>to</sup>.

## Psalmus 86.

**Hierosolymis renascentur omnes populi.****Sonus latinae Vulgatae.****Sensus latinae Vulgatae.**

- |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                     |                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                                        |
|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>1. Filiis Core, Psalmus cantici.</p> <p>Fundamenta eius in montibus sanctis:</p> <p>2. diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Jacob.</p> <p>3. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.</p> <p>4. Memor ero Rahab et Babylonis, scientium me. Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Aethiopum, hi fuerunt illic.</p> <p>5. Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea: et ipse fundavit eam Altissimus?</p> <p>6. Dominus narrabit in scripturis populorum et principum, horum, qui fuerunt in ea.</p> <p>7. Sicut lætantium omnium habitatio est in te.</p> | <p>Psalmus, carmen Corachitarum.</p> <p><b>S</b>edes Eius est in montibus sanctis,</p> <p>Dominus diligit portas Sionis — præ omnibus habitationibus Jacobi.</p> <p>Gloriosa loquuntur de te — civitas Dei.</p> <p><b>D</b>eclaro, Aegyptum et Babylonem agnoscentes me; ecce! Philistæi et Tyrus et populus Aethiopum nati sunt illic.“</p> <p>Et Sion dicet: „Ad unum omnes nati sunt in ea; nam ipse Altissimus stabilivit eam.“</p> <p>Dominus numerabit conscribens populos et principes, qui nati sunt in ea.</p> <p>Sicut habitatio lætantium — est habitatio omnium in Te.</p> |
|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

**Notae ad Psalmum 62.**

Auctor et argumentum. — Vates sacer — Corachita quidam (vide psl. 41. Nota), celebrat Hierosolymam, sedem et delicias Jehovæ; ex ea enim vera religio propagabitur ad omnes gentes — seu omnes populi renascentur Hierosolymis.

De tempore et occasione exarationis huius psalmi nil certi statui potest.

## Psalmus 87.

**O r a t i o   g r a v i t e r   a f f l i c t i .****Sonus latinae Vulgatae.**

1. Canticum Psalmi, filiis Core, in finem pro Maheleth ad respondendum; intellectus Eman Ezrahitæ.
2. Domine Deus salutis meæ, in die clamavi, et nocte coram te.
3. Intret in conspectu tuo oratio mea:  
inclina aurem tuam ad precem meam:
4. quia repleta est malis anima mea,  
et vita mea inferno appropinquavit.
5. Aestimatus sum cum descendentibus in lacum:  
factus sum sicut homo sine adiutorio,
6. inter mortuos liber:  
sicut vulnerati dormientes in sepulcris,  
quorum non es memor amplius:  
et ipsi de manu tua repulsi sunt.
7. Posuerunt me in lacu inferiori,  
in tenebrosis, et in umbra mortis.
8. Super me confirmatus est furor tuus,  
et omnes fluctus tuos induxisti super me.
9. Longe fecisti notos meos a me,  
posuerunt me abominationem sibi.  
Traditus sum, et non egrediebar:

**Sensus latinae Vulgatae.**

Canticum, Psalmus Corachitarum. Ad liturgiam sacram; — in fidibus „Mahelet“ canendum. Carmen didacticum Hemanis Ezrachitæ.

**D**omine, Deus salvator meus,  
die ac nocte clamo coram Te!

Veniat coram Te oratio mea!

inclina aurem Tuam ad precem meam!

**N**am repleta est malis anima mea,  
et vita mea appropinquat inferno!

Aestimor cum illis, qui descendunt in sepulchrum;  
sum sicut homo sine robore.

Inter mortuos sum dimissus —  
sicut vulnerati, qui dormiunt in sepulchris,  
quorum amplius non es memor;

sunt enim exclusi a manu Tua!

Posuerunt me in fovea nimis profunda,  
in locis tenebrosis, et in umbra mortis.

Graviter incumbit mihi furor Tuus,  
et omnes fluctus Tuos inducis super me!

**R**emovisti a me notos meos;  
ii fecerunt me abominationem sibi.  
Traditus sum in custodiam, nec possum egredi!

**Sonus latinae Vulgatae**

10. oculi mei languerunt præ inopia.  
Clamavi ad te, Domine, tota die:  
expandi ad te manus meas.
11. Numquid mortuis facies mirabilia:  
aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?
12. Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam, et veritatem tuam in perditione?
13. Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, et iustitia tua in terra oblivionis?
14. Et ego ad te, Domine, clamavi,  
et mane oratio mea præveniet te
15. Ut quid, Domine, repellis orationem meam:  
avertis faciem tuam a me?
16. Pauper sum ego, et in laboribus a iuventute mea:  
exaltatus autem, humiliatus sum et conturbatus.
17. In me transierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbaverunt me.
18. Circumdederunt me, sicut aqua, tota die:  
circumdederunt me simul.
19. Elongasti a me amicum et proximum,  
et notos meos a miseria.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Oculi mei tabescunt præ miseria;  
quotidie clamo ad Te, Domine,  
expando ad Te manus meas!  
**N**um mortuis facies mirabilia?  
num medici eos suscitabunt, ut possint celebrare Te?  
Num poterit aliquis narrare de gratia Tua in sepulchro?  
et de fide Tua in loco perditionis?  
Num innotescunt in tenebris mirabilia Tua?  
et iustitia Tua in terra oblivionis?  
**E**t tamen clamo ad Te, Domine,  
et multo mane oratio mea Tibi occurrit!  
Cur, Domine, repellis orationem meam?  
cur avertis faciem Tuam a me?  
Afflictus sum ego et in ærumnis a pueritia mea;  
exaltor et humilior; inde sum conturbatus!  
**S**uper me veniunt iræ Tuæ,  
et terrores Tui conturbant me!  
  
Circumdant me instar aquarum tota die,  
perpetuo cingunt me!  
Removisti a me amicum et socium;  
et notos meos a me — misero!

**Notae ad Psalmum 87.**

Auctor et argumentum et tempus. — Vates sacer — Corachita quidam — (vide psl. 41. Nota) — Heman Ezrachita — morti proximus et ab omnibus derelictus salutem a Deo exorat, ut sanitate recuperata Deum celebrare posset.

Quis iste Heman Ezrachita sit, determinari nequit; nam Heman, coævus Salomonis (III. Reg. 4, 31.), non erat Levita, sed descendebat (coll. I. Par. 2, 6.) ex tribu Juda.

Similiter etiam de tempore exarationis nil certi statui potest.

## Psalmus 88.

**o Domine restaura thronum Davidis gloriosum!****Sonus latinae Vulgatae.**

1. Intellectus Ethan Ezrahitaë.
2. Misericordias Domini in æternum cantabo.  
In generationem et generationem anuntiabo veritatem tuam in ore meo.
3. Quoniam dixisti: In æternum misericordia ædificabitur in cœlis:  
præparabitur veritas tua in eis.
4. Disposui testamentum electis meis,  
iuravi David servo meo:
5. Usque in æternum præparabo semen tuum.  
Et ædificabo in generationem et generationem sedem tuam.
6. Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine:  
etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum.
7. Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino,  
similis erit Deo in filiis Dei?
8. Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum:  
magnus et terribilis super omnes, qui in circuitu eius sunt.
9. Domine Deus virtutum, quis similis tibi?  
potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo.
10. Tu dominaris potestati maris:  
motum autem fluctuum eius tu mitigas.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Carmen didacticum Ethanis Ezrahitaë.

**B**eneficia Domini in æternum canam;  
omnibus ætatibus notam faciam fidem Tuam ore meo!

Dixisti enim: „In æternum condita est gratia cum cœlis;

cum iis firmatur fides erga Te.

Pepigi fœdus cum electis meis,

iuravi Davidi servo meo:“

„In æternum stabiliam semen tuum,  
et in omnes ætates ædificabo thronum tuum“.

**C**œli celebrant mirabilia Tua, Domine,  
atque fidem Tuam in cœtu sanctorum!

Nam quis in cœlo comparabit se Domino?  
quis inter angelos similis est Deo?

Deus, qui glorificatur in consessu sanctorum,  
magnus est et terribilis super omnes, qui sunt circa Eum!

Domine Deus exercituum, quis est similis Tibi?  
potens es, Domine, et fides Tua circumdat Te!

Tu dominaris fremitui maris;  
et motum fluctuum eius Tu compescis!

**Sonus latinae Vulgatae.**

11. Tu humiliasti sicut vulneratum, superbum:  
in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.
12. Tui sunt cœli, et tua est terra:  
orbem terræ et plenitudinem eius tu fundasti:
13. aquilonem et mare tu creasti.  
Thabor et Hermon in nomine tuo exultabunt:
14. tuum brachium cum potentia.  
Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua:
15. iustitia et iudicium præparatio sedis tuæ.  
Misericordia et veritas præcedent faciem tuam:
16. beatus populus, qui scit iubilationem.  
Domine, in lumine vultus tui ambulant,
17. et in nomine tuo exultabunt tota die,  
et in iustitia tua exaltabuntur.
18. Quoniam gloria virtutis eorum tu es,  
et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum,
19. quia Domini est assumptio nostra,  
et sancti Israël regis nostri.
20. Tunc locutus es in visione sanctis tuis,  
et dixisti: Posui adiutorium in potente, et exaltavi electum de plebe mea.
21. Inveni David servum meum:  
oleo sancto meo unxi eum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Tu humiliasti superbum ut aliquem vulneratum;  
brachio Tuo robusto dispersisti inimicos Tuos!
- Tui sunt cœli, Tua etiam est terra;  
Tu fundasti orbem terræ, et quidquid implet eum!
- Tu creasti septentrionem et meridiem;  
Tabor et Hermon exultant de nomine Tuo!
- Brachium Tuum est potentissimum;  
robusta est manus Tua, et alta — dextera Tua!
- Iustitia et ius sunt fundamentum throni Tui;  
gratia et fides præcedunt faciem Tuam!
- Beatus populus, qui scit iubilare;  
(beati,) qui ambulant, o Domine, in luce vultus Tui!
- Propter nomen Tuum exultant quotidie;  
nam iustitia Tua exaltantur.
- Nam Tu es decus roboris eorum;  
et favore Tuo exaltatur cornu nostrum.
- Nam Domini est     protegere nos;  
et Sancti Israël — regem nostrum.
- T**unc locutus es in visione ad  
      pios Tuos  
et dixisti: „Præstiti auxilium heroï,  
et exaltavi electum e plebe mea.“
- „Inveni Davidem servum meum,  
oleo meo sancto unxi eum;“

**Sonus latinae Vulgatae.**

22. Manus enim mea auxiliabitur ei,  
et brachium meum confortabit eum.
23. Nihil proficiet inimicus in eo,  
et filius iniquitatis non apponet nocere ei.
24. Et concidam a facie ipsius inimicos eius,  
et odientes eum in fugam convertam.
25. Et veritas mea et misericordia mea cum ipso,  
et in nomine meo exaltabitur cornu eius.
26. Et ponam in mari manum eius,  
et in fluminibus dexteram eius.
27. Ipse invocabit me: Pater meus es tu,  
Deus meus, et susceptor salutis meae.
28. Et ego primogenitum ponam illum  
excelsum præ regibus terræ.
29. In æternum servabo illi misericordiam meam,  
et testamentum meum fidele ipsi.
30. Et ponam in sæculum sæculi semen eius,  
et thronum eius sicut dies cæli.
31. Si autem dereliquerint filii eius legem meam,  
et in iudiciis meis non ambulaverint:
32. si iustitias meas profanaverint:  
et mandata mea non custodierint:
33. visitabo in virga iniquitates eorum,  
et in verberibus peccata eorum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- „Et propterea auxilio ei erit manus mea,  
et brachium meum roborabit eum.“
- „Nihil proficiet inimicus in eo,  
nec nocebit ei amplius iniquus.“
- „Contundam enim coram eo inimicos eius,  
et odientes eum in fugam convertam.“
- „Fides etiam mea et gratia erit cum illo,  
et per nomen meum exaltabitur cornu eius.“
- „Et ponam manum eius in mari,  
et in fluviis dexteram eius.“
- „Ipse invocabit me: „Tu es pater meus,  
Deus meus, et salvans protector meus.“
- „Ego vicissim faciam eum primogenitum,  
altissimum regum terræ.“
- „In æternum servabo illi gratiam meam,  
et pactum meum erit fidele ipsi.“
- „Et constituam semen eius æternum,  
et thronum eius sicut dies, quibus cælum consistet.“
- „Si autem reliquerint posteri eius legem meam,  
et in præceptis meis non ambulaverint;“
- „si statuta mea violaverint,  
et mandata mea non custodierint;“
- „puniam virga iniquitates eorum,  
et verberibus peccata eorum;“

**Sonus latinae Vulgatae.**

34. Misericordiam autem meam  
non dispergam ab eo,  
neque nocebo in veritate mea:
35. neque profanabo testamentum  
meum,  
et quæ procedunt de labiis  
meis, non faciam irrita.
36. Semel iuravi in sancto meo,  
  
si David mentiar:
37. semen eius in æternum ma-  
nebit.
38. Et thronus eius sicut sol in  
conspectu meo,  
et sicut luna perfecta in æter-  
num,  
et testis in cœlo fidelis.
39. Tu vero repulisti et despe-  
xisti:  
distulisti christum tuum.
40. Evertisti testamentum servi  
tui,  
profanasti in terra sanctua-  
rium eius.
41. Destruxisti omnes scpes eius:  
posuisti firmamentum eius  
formidinem.
42. Diripuerunt eum omnes trans  
euntés viam:  
factus est opprobrium vicinis  
suis.
43. Exaltasti dexteram deprimen-  
tium eum:  
lætificasti omnes inimicos eius.
44. Avertisti adiutorium gladii  
eius,  
et non es auxiliatus ei in bello.
45. Destruxisti eum ab emunda-  
tione,  
et sedem eius in terram col-  
lisisti.
46. Minorasti dies temporis eius,  
perfudisti eum confusione.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- „sed gratiam meam non avertam  
ab eo,  
neque nocebo fidei meæ.“
- „Non violabo fœdus meum,  
  
et non mutabo ea, quæ egressa  
sunt de labiis meis.“
- „Semel iuravi per sanctitatem  
meam;  
haudquaquam mentiar Davidi!“
- „Semen eius manebit in æternum,  
  
et thronus eius durabit sicut sol  
coram me,  
et sicut luna creata in æternum;  
et testis in cœlo est fidus.“
- E**t tamen reiecisti et despexisti,  
removisti unctum Tuum!
- Evertisti fœdus initum cum servo  
Tuo,  
profanasti ad terram prosternens  
coronam eius!
- Destruxisti omnes muros eius,  
et munimentum eius vertisti in  
horridas ruinas!
- Diripiunt eum omnes,  
qui prætereunt via;  
factus est probrum vicinis suis!
- Exaltasti dexteram eorum, qui  
opprimunt eum;  
lætitiâ creasti omnibus inimicis  
eius!
- Tu vertisti retrorsum aciem gla-  
dii eius;  
et non es auxiliatus ei in bello!
- Tu desinere fecisti splendorem  
eius,  
et deiecisti thronum eius ad terram!
- Tu decurtasti dies ætatis eius,  
operuisti eum pudore!



**Sonus latinae Vulgatae.**

47. Usquequo Domine, avertis in finem:  
exardescet sicut ignis ira tua?
48. Memorare, quæ mea substantia:  
numquid enim vane constitui omnes filios hominum?
49. Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem:  
eruet animam suam de manu inferi?
50. Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine,  
sicut iurasti David in veritate tua?
51. Memor esto, Domine, opprobrii servorum tuorum  
(quod continui in sinu meo) multarum gentium:
52. quod exprobraverunt inimici tui, Domine,  
quod exprobraverunt commutationem christi tui.
53. Benedictus Dominus in æternum;  
fiat, fiat.

**Sensus latinae Vulgatae.**

**Q**uousque, o Domine! avertes  
Te in perpetuum;  
quamdiu ardebit instar ignis ira  
Tua?

Memento, quæso, quam breve sit  
vitæ tempus!  
numquid nihili causa creasti omnes  
homines?

Quis hominum vivit, qui non videat  
mortem;  
qui animam suam de manu orci  
eripiat?

**U**binam sunt, o Domine! bene-  
ficia tua pristina,  
quæ promisisti Davidi iurando per  
fidem Tuam?

Memor esto, Domine, opprobrii  
servorum Tuorum,  
(quod in sinu meo porto) ex parte  
multorum populorum,  
qui conviciantur — inimici Tui,  
o Domine,  
qui probris petunt vestigia uncti  
Tui!

**L**audetur Dominus in æternum!  
Amen, Amen!

**Notae ad Psalmum 88.**

Auctor, argumentum et occasio. — Vates sacer, — nomine Ethan Ezrachita, enixe rogat, ut Deus restaurare dignetur gloriosum Davidis thronum.

Celebrat maiestatem et clementiam divinam, quæ se manifestat in rerum natura, nec non in beneficiis populo electo exhibitis, ad quæ pertinet etiam illa promissio de regno Davidis æterno (II. Sam. 7, 16); I. Par. 17, 18); (v. 2.—38.).

Sequuntur querelæ de misera familiæ Davidicæ et populi conditione,

et demum preces quibus psalmus clauditur (v. 39.—52.).

Versus 53<sup>us</sup> non est pars psalmi, sed doxologia, qua III. psalmorum liber terminatur.

Occasionem præbuit huic psalmo (coll. v. 39.) tristis conditio Hebræorum causata invasione Sesaci, regis Aegypti (III. Reg. cap. 14.; II. Par. cap. 12.); vel vero ultima tempora regni Juda. —

Stante prima hypothese est Ethan Ezrachita ille, qui nominatur in III. Reg. 4, 31. Vulg.; stante hypothese secunda — est vir nobis ignotus.



# Lib er q u a r t u s.

(Psalmi 89.—105.)

## Psalmus 89.

### C i t o t r a n s i t v i t a n o s t r a !

#### Sonus latinae Vulgatae.

1. Oratio Moysi, hominis Dei.  
Domine, refugium factus es  
nobis:  
a generatione in generationem.
2. Priusquam montes fierent,  
aut formaretur terra et orbis:  
a sæculo et usque in sæculum  
tu es Deus.
3. Ne avertas hominem in hu-  
militatem;  
et dixisti: Convertimini, filii  
hominum.
4. Quoniam mille anni ante ocu-  
los tuos,  
tamquam dies hesterna, quæ  
præteriit,  
et custodia in nocte,
5. quæ pro nihilo habentur,  
eorum anni erunt.
6. Mane sicut herba transeat,  
mane floreat, et transeat:  
vespere decidat, induret, et  
arescat.
7. Quia defecimus in ira tua,  
et in furore tuo turbati sumus.
8. Posuisti iniquitates nostras in  
conspectu tuo:  
sæculum nostrum in illumi-  
natione vultus tui.

#### Sensus latinae Vulgatae.

- Oratio Moysis, viri Dei.  
**D**omine, Tu fuisti refugium no-  
bis,  
a generatione in generationem!
- Priusquam fierent montes,  
aut formaretur terra et orbis,  
ab æterno usque ad æternum —  
Deus es Tu!
- Utinam reverti non facias homi-  
nem ad pulverem;  
dixisti enim: „Revertimini filii  
hominum!“
- Nam mille anni sunt in oculis  
Tuis —  
tamquam dies hesterna, quæ præ-  
teriit,  
et sicut vigilia nocturna!
- S**icut res, quæ pro nihilo ha-  
bentur, —  
sunt anni eorum!
- Mature interit — sicut gramen,  
mane floret, dein perit,  
vespere decedit, indurescit et  
arescit!
- Sane conficimur irâ Tua,  
et furore Tuo turbamur!
- Tu ponis iniquitates nostras ante  
Te,  
vitam nostram ad lucem vultus  
Tui!

**Sonus latinae Vulgatae.**

9. Quoniam omnes dies nostri defecerunt,  
et in ira tua defecimus.  
Anni nostri sicut aranea meditabuntur:
10. dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni.  
Si autem in potentatibus octoginta anni:  
et amplius eorum labor et dolor:  
quoniam supervenit mansuetudo, et corripiemur.
11. Quis novit potestatem iræ tuæ,  
et præ timore tuo iram tuam
12. dinumerare?  
Dexteram tuam sic notam fac,  
et eruditos corde in sapientia.
13. Convertere, Domine: usquequo?  
et deprecabilis esto super servos tuos.
14. Repleti sumus mane misericordia tua:  
et exultavimus, et delectati sumus omnibus diebus nostris.
15. Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti:  
annis quibus vidimus mala.
16. Respice in servos tuos et in opera tua,  
et dirige filios eorum.
17. Et sit splendor Domini Dei nostri super nos,  
et opera manuum nostrarum dirige super nos,  
et opus manuum nostrarum dirige.

**Sensus latinae Vulgatae**

Profecto deficiunt omnes dies nostri,  
et nos deficimus iracundia Tua;  
Anni nostri cogitari possunt —  
ceu aranea!

Summa annorum nostrorum sunt septuaginta anni,  
et si permultum — octoginta anni;  
et quod amplius iis, — est labor et dolor;  
venit enim debilitas et nos —  
abripimur!

Quis novit vehementiam iræ Tuæ,  
et secundum timorem Tibi debitum iracundiam Tuam —

pensare?  
Doce nos itaque pensare dexteram Tuam,  
ut cor nostrum erudiatur in sapientia!

**C**onverte Te, o Domine! quousque?  
et deprecabilis esto super servos Tuos!

Repleamur mane gratia Tua,  
ut exulemus et lætemur omnibus diebus nostris!

Lætabimur numero dierum, quibus nos humiliasti; —  
numero annorum, quibus experti sumus mala!

Respice in servos Tuos; sunt enim opera Tua,  
et dirige posteros eorum!

Sit benignitas Domini Dei nostri super nobis,  
et fac, ut prosperent opera manuum nostrarum!  
fac, inquam, ut prosperet opus manuum nostrarum!

### Notae ad Psalmum 89.

Auctor, argumentum et occasio. — Auctor nominatur — Moyses, cuius canticis (præsertim Exod. 15.) elocutio huius psalmi est similis. —

Celebrata æternitate et omnipotentia Dei, considerat caducam hominum vitam; caducam et miseram — ipsorum culpa (1.—12.).

Adiungit preces, ut doceat Deus hominem condigne reputare brevitatem vitæ, et dein, ut ignoscat peccatis populi, eique sicut antehac larga beneficia impertiri dignetur.

Occasionem cantico præbuit absque dubio (collatis vers. 15.—17. cum Num. 14, 28 .) præmatura mors Israëlitarum, decreta omnibus, qui 20 annos nati ex Aegypto egressi fuerant.

### Psalmus 90.

#### Deus est tutissimum refugium nostrum.

#### Sonus latinae Vulgatae.

Laus cantici David.

1. Qui habitat in adiutorio Altissimi  
in protectione Dei cœli commorabitur.

2. Dicet Domino: Susceptor meus es tu, et refugium meum,  
Deus meus: sperabo in eum:

3. quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium,  
et a verbo aspero.

4. Scapulis suis obumbrabit tibi,  
et sub pennis eius sperabis.

5. Scuto circumdabit te veritas eius:  
non timebis a timore nocturno:

6. a sagitta volante in die,  
a negotio perambulante in tenebris:  
ab incursu et dæmonio meridiano.

#### Sensus latinae Vulgatae.

Canticum laudis a Davide.

(Prima vox.)

**Q**ui habitat in adiutorio Altissimi;  
securus moratur sub protectione Dei cœli.

(Secunda vox.)

**D**icit ad Dominum: „Tu es patronus meus et refugium meum, Deus meus, in quo fiduciam colloco!“

(Prima vox.)

**S**ane Is liberabit te e laqueo venantium,  
et a re perniciosissima.  
Scapulis suis obumbrabit Te,  
et sub pennis Eius refugium invenies;  
scuto circumdabit te fides Eius.

Non est, quod timeas a terrore nocturno,  
a sagitta, quæ volat interdiu;  
a re, quæ in tenebris incedit,

ab incursu et dæmonio meridiano!

**Sonus latinae Vulgatae.**

7. Cadent a latere tuo mille,  
et decem millia a dexteris  
tuis;  
ad te autem non appropin-  
quabit.
8. Verumtamen oculis tuis con-  
siderabis,  
et retributionem peccatorum  
videbis.
9. Quoniam tu es, Domine, spes  
mea:  
  
Altissimum posuisti refugium  
tuum.
10. Non accedet ad te malum,  
et flagellum non appropin-  
quabit tabernaculo tuo.
11. Quoniam angelis suis man-  
davit de te,  
ut custodiant te in omnibus  
viis tuis.
12. In manibus portabunt te,  
ne forte offendas ad lapidem  
pedem tuum.
13. Super aspidem et basiliscum  
ambulabis,  
et conculcabis leonem et dra-  
conem.
14. Quoniam in me speravit, li-  
berabo eum:  
protegam eum, quoniam cog-  
novit nomen meum.
15. Clamabit ad me, et ego exau-  
diam eum,  
cum ipso sum in tribulatione,  
eripiam eum, et glorificabo  
eum.
16. Longitudine dierum replebo  
eum,  
et ostendam illi salutare meum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Cadent a latere Tuo mille,  
et decem millia a dexteris Tuis;  
ad Te autem non appropinquabit.

Tantum oculis Tuis id spectabis,  
et retributionem peccatorum vi-  
debis.

(Prima vox: Chorus.)

**S**ane Tu, o Domine, es spes mea!

(Secunda vox: Chorus.)

**A**ltissimum posuisti refugium  
Tuum!

Non accedet ad Te malum,  
et plaga non appropinquabit ad  
tabernaculum Tuum;

quoniam angelis suis mandavit  
de te,  
ut custodiant te in omnibus viis  
Tuis;

in manibus portabunt Te,  
ne forte offendas ad lapidem pe-  
dem Tuum.

Super aspide a basilisco gra-  
dieris,  
et calcabis leonem et draconem.

(Tertia vox: Vox Dei.)

**Q**uoniam in me sperat, libe-  
rabo Eum,  
protegam Eum, quoniam novit  
nomen meum.

Invocat me et ego exaudio Eum,  
cum eo sum in tribulatione,  
eripio eum et glorifico eum.

Longitudine dierum repleo eum,  
et experiri facio eum auxilium  
meum.

### Notae ad Psalmum 90.

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer, cuius nomen ignoratur, docet, quam tutus vivat in omnibus periculis ille, qui Deo confidit, suaque omnia providentiæ divinæ committit.

Personæ loquentes variant; discernuntur tres voces (ut indicatur); vox tertia — vox Dei — psalmum concludit.

De tempore et occasione exarationis nil certi constat.

Nota. Psalmus hic (præter psalmos 4, 30 et 133) aptissime recitatur quotidie ad Completorium.

## Psalmus 91.

### **D o m i n u s — r e x i u s t u s .**

#### Sonus latinae Vulgatae.

1. Psalmus cantici, in die sabati.
2. Bonum est confiteri Domino et psallere nomini tuo, Altissime:
3. ad annuntiandum mane misericordiam tuam, et veritatem tuam per noctem:
4. in decachordo, psalterio, cum cantico, in cithara.
5. Quia delectasti me, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exultabo.
6. Quam magnificata sunt opera tua, Domine! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.
7. Vir insipiens non cognoscet, et stultus non intelliget hæc.
8. Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum, ut apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem, ut intereant in sæculum sæculi:

#### Sensus latinae Vulgatae.

Psalmus, canticum in diem Sabati.

**D**ecet celebrare Dominum, et psallere nomini Tuo, Altissime!

notam facere mane gratiam Tuam, et quaque nocte fidem Tuam!

ad decachordum atque ad psalterium, ad fidium cantum in cithara.

**N**am tu lætificas me, o Domine, operibus Tuis, et ego exulto de operibus manuum Tuarum!

Quam magna sunt opera Tua, Domine, consilia Tua sunt nimis profunda!

Homo insipiens ea non cognoscit, et stultus hæc non intelligit.

Quamquam germinant peccatores sicut herba, et florescunt omnes, qui operantur iniquitatem; — interibunt in sæculum sæculi.

**Sonus latinae Vulgatae.**

9. tu autem Altissimus in æternum, Domine.
10. Quoniam ecce inimici tui, Domine,  
quoniam inimici tui peribunt,  
et dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem.
11. Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum,  
et senectus mea in misericordia uberi.
12. Et despexit oculus meus inimicos meos,  
et in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.
13. Justus, ut palma florebit;  
sicut cedrus Libani multiplicabitur.
14. Plantati in domo Domini,  
in atriis domus Dei nostri florebunt.
15. Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi,  
et bene patientes erunt,
16. ut annuntient: quoniam rectus Dominus Deus noster,  
et non est iniquitas in eo.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Tu autem, o Domine, manes Altissimus in æternum!

Nam ecce, inimici Tui, o Domine,  
nam ecce, inimici Tui pereunt,  
et omnes, qui operantur iniquitatem, disperguntur.

Meum vero cornu exaltatur sicut cornu bubali,  
et senectus mea gaudet gratia uberi.

Et oculus meus de sursum spectat inimicos meos,  
et auris mea cum voluptate audit adversarios meos malignos.

Iustus floret ut palma,  
crescit ut cedrus in Libano.

Plantati in domo Domini,  
florent in atriis domus Dei nostri;

crescunt adhuc in senecta uberi,  
et sunt bene valentes,

ut notum faciant, — iustum esse Dominum Deum nostrum,  
et nihil iniustitiæ esse in Eo.

**Notae ad Psalmum 91.**

Auctor, argumentum et occasio. — Vates sacer ignotus docet, laudibus celebrandum esse Jehovam (v. 1.—4.), qui impios perdit (5.—10.) et pios fortunat (v. 11.—16.).

Occasio, si quæ fuit singularis, ignoratur.

## Psalmus 92.

**D e u s e s t r e x a l t i s s i m u s .****Sonus latinae Vulgatae.**

Laus cantici ipsi David;  
in die ante sabbatum, quando  
fundata est terra.

1. Dominus regnavit, decorem  
indutus est:  
indutus est Dominus fortitu-  
dinem, et præcinxit se.  
Etenim firmavit orbem terræ,  
qui non commovebitur.
2. Parata sedes tua ex tunc:  
a sæculo tu es:
3. Elevaverunt flumina, Domine,  
elevaverunt flumina vocem  
suam.  
Elevaverunt flumina fluctus  
suos.
4. a vocibus aquarum multarum  
Mirabiles elationes maris:  
mirabilis in altis Dominus.
5. Testimonia tua credibilia facta  
sunt nimis:  
domum tuam decet sanctitudo,  
Domine, in longitudinem die-  
rum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Canticum laudis a Davide; —  
in die ante sabbatum, quando  
fundata est terra.

**D**ominus regnat, indutus est ma-  
iestate,  
indutus est Dominus, et cinctus  
potentia;  
Etenim firmavit orbem terræ, qui  
non nutat.

Paratus est thronus Tuus inde  
ab æterno,  
ab æternitate — Tu es.

Flumina elevant, o Domine,  
flumina elevant vocem suam.

Flumina elevant fluctus suos.

Præ vocibus aquarum multarum  
— mirabiles sunt elationes maris —  
mirabilior est in excelso — Do-  
minus.

Effata Tua sunt credibilia nimis;  
domum Tuam decet sancta reve-  
rentia,  
o Domine, in longitudinem dierum!

**Notae ad Psalmum 92.**

Auctor, argumentum et occasio — Vates sacer — ignotus  
— celebrat hymno hoc Jehovam, qui maiestate sua longe eminet  
omnibus phænomenis grandibus, et qui

legem veritate nixam tulit Hebræis;

inde — sancte venerandum est sanctuarium Eius. —

De occasione huius hymni nil notum est.



## Psalmus 93.

**In iustos iudices perdet Deus.****Sonus latinae Vulgatae.**

Psalmus ipsi David; quarta sabbati.

1. Deus ultionum Dominus:  
Deus ultionum libere egit.
2. Exaltare, qui iudicas terram:  
redde retributionem superbis.
3. Usquequo peccatores, Domine:  
usquequo peccatores gloria-  
buntur:
4. effabuntur, et loquentur iniquitatem:  
loquentur omnes, qui operantur iniustitiam?
5. Populum tuum, Domine, humiliaverunt,  
et hereditatem tuam vexaverunt.
6. Viduam, et advenam interfecerunt,  
et pupillos occiderunt.
7. Et dixerunt: Non videbit Dominus,  
nec intelliget Deus Jacob.
8. Intelligite, insipientes in populo:  
et stulti, aliquando sapite.
9. Qui plantavit aurem, non audiet?  
aut qui finxit oculum, non considerat?
10. Qui corripit gentes, non arguet:  
qui docet hominem scientiam?
11. Dominus scit cogitationes hominum,  
quoniam vanæ sunt.
12. Beatus homo, quem tu erudieris, Domine,  
et de lege tua docueris eum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Psalmus Davidis; — quarta sabbati.

**D**eus supremæ ultionis, Dominus;  
Deus, supremus vindex, libere agit.

Effer Te, o iudex terræ,  
repende actionem superbis!

Quousque peccatores, o Domine!  
quousque peccatores gloriabuntur!

**E**bulliunt et loquuntur iniquitatem,  
loquuntur omnes, qui operantur iniustitiam.

Populum Tuum, o Domine, conterunt,  
et hereditatem Tuam vexant.

Viduas et hospites interficiunt;

etiam orphanos occidunt —  
dicentes: „Non videt id Dominus,  
nec animadvertit Deus Iacobi.“

**A**nimadvertite, insipientes in populo,  
et vos stulti, aliquando sapite!

Num, qui plantavit aurem, non audiat?  
num, qui fecit oculum, non videat?

Num, qui monet populos, non puniat?  
Is — qui docet homines intelligentiam?

Dominus scit cogitata hominum,  
ea esse — vana.

**B**eatus homo, quem Tu, o Domine erudis,  
et quem lege Tua instituis,

**Sonus latinae Vulgatae.**

13. Ut mitiges ei a diebus malis,  
donec fodiatur peccatori fovea.
14. Quia non repellet Dominus  
plebem suam,  
et hereditatem suam non de-  
relinquet.
15. Quoadusque iustitia conver-  
tatur in iudicium,  
et qui iuxta illam omnes, qui  
recto sunt corde.
16. Quis consurget mihi adversus  
malignantes?  
aut quis stabit mecum adver-  
sus operantes iniquitatem?
17. Nisi quia Dominus adiuvit me,  
paulo minus habitasset in in-  
ferno anima mea.
18. Si dicebam: Motus est pes  
meus,  
misericordia tua, Domine, ad-  
iuvabat me.
19. Secundum multitudinem do-  
lorum meorum in corde meo:  
consolationes tuæ lætificave-  
runt animam meam.
20. Numquid adhæret tibi sedes  
iniquitatis:  
qui fingis laborem in præ-  
cepto?
21. Captabunt in animam iusti,  
et sanguinem innocentem con-  
demnabunt.
22. Et factus est mihi Dominus  
in refugium,  
et Deus meus in adiutorium  
spei meæ.
23. Et reddet illis iniquitatem  
ipsorum,  
et in malitia eorum disperdet  
eos:  
disperdet illos Dominus Deus  
noster.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- ut mitiges in favorem Eius dies  
malos,  
donec fodiatur impio fovea!
- Non enim repellet Dominus ple-  
bem suam,  
et hereditatem suam non dere-  
linquet,
- quamdiu exercetur iustitia in iu-  
dicio;  
et iuxta illam (iustitiam) sunt  
omnes, qui sunt recti cordis.
- Q**uis consurget, ut adsit mihi  
contra malignantes;  
quis stabit mecum adversus ope-  
rantes iniquitatem?
- Nisi Dominus me adiuicaret,  
prope esset, ut habitaret anima  
mea in inferno.
- Si vero dico: „Nutat pes meus,“  
adiuvat me, o Domine, gratia Tua.
- Secundum multitudinem dolorum  
meorum in corde meo,  
exhilarant animam meam conso-  
lationes Tuæ.
- N**umquid habet Te socium —  
tribunal iniquitatis?  
Te, qui laborem exigis lege?
- Illi captant vitam iusti,  
et sanguinem innocentem dam-  
nant!
- Verum mihi est Dominus refu-  
gium,  
et Deus meus — fulcrum spei  
meæ!
- Et Ipse rependet illis iniquitatem  
eorum,  
et malitia ipsorum perdet eos;  
perdet eos Dominus Deus noster!

**Notae ad Psalmum 93.**

Auctor et argumentum. — Vates sacer — ignotus sublimi et eleganti hoc poëmate in memoriam revocat omniscientiam Dei — iudicibus iniustis, qui Deum non curantes, nomine legis iniuriam faciunt et sanguinem innocentem profundunt;

dein celebrat felicitatem eorum, qui in Deum confidunt.

De tempore et occasione exarationis quid certi indicari nequit.

**Psalmus 94.****Laudate Dominum! Obedite voci Eius!****Sonus latinae Vulgatae.**

Laus cantici, ipsi David.

1. Venite exulemus Domino:  
iubilemus Deo, salutaris nostro:
2. praeoccupemus faciem eius in  
confessione,  
et in psalmis iubilemus ei:
3. quoniam Deus magnus Do-  
minus,  
et rex magnus super omnes  
deos.
4. Quia in manu eius sunt omnes  
fines terræ,  
et altitudines montium ipsius  
sunt.
5. Quoniam ipsius est mare, et  
ipse fecit illud,  
et siccam manus eius forma-  
verunt.
6. Venite, adoremus, et proci-  
damus,  
et ploremus ante Dominum,  
qui fecit nos.
7. Quia ipse est Dominus Deus  
noster,  
et nos populus pascuæ eius,  
et oves manus eius.
8. Hodie si vocem eius audieritis,  
nolite obdurare corda vestra:
9. sicut in irritatione secundum  
diem tentationis in deserto:  
ubi tentaverunt me patres vestri,  
probaverunt me, et viderunt  
opera mea.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Canticum laudis a Davide.

Venite exulemus Domino,  
iubilemus Deo, salvatori nostro!  
Veniamus ante faciem Eius cum  
gratiarum actione,  
et cum psalmis iubilemus Ei!  
Quoniam magnus Deus est —  
Dominus,  
et rex magnus super omnes deos;  
  
quia in manu Eius sunt omnes  
fines terræ,  
et summa montium Ipsius sunt.  
  
Eius est mare; Ipse enim fecit  
illud;  
etiam aridam formaverunt manus  
Eius.  
Venite, adoremus, et procidamus,  
et ploremus coram Domino, crea-  
tore nostro!  
Dominus est enim ipse Deus no-  
ster,  
nos autem sumus populus pascui  
Eius et oves manus Eius;  
Utinam hodie voci Eius obediatis!  
Nolite obdurare corda vestra,  
sicut in irritatione illa secundum  
diem tentationis in deserto!  
ubi tentaverunt me patres vestri,  
tentaverunt me, quamquam vide-  
runt opera mea.

**Sonus latinae Vulgatae.**

**Sensus latinae Vulgatae.**

10. Quadraginta annis offensus  
fui generationi illi,  
et dixi: Semper hi errant  
corde.

Quadraginta annis offendebar a  
generatione illa,  
et dixi: Semper hi errant corde;

11. Et isti non cognoverunt vias  
meas,  
ut iuravi in ira mea:  
Si introibunt in requiem meam.

nam non curabant vias meas.

Propterea iuravi in ira mea:  
„Non introibunt in requiem a me  
paratam.“

**Notae ad Psalmum 94.**

Auctor, argumentum et occasio. — Vates sacer — coll Hebr. 4, 7. David, excitat Hebræos ad celebrandum Deum, creatorem universi, monetque eos, ne contra tantam maiestatem ut olim in Arabia Petræa refractarii sint; nam, Deus talem agendi rationem etiam nunc condigne punit.

Si David est huius psalmi auctor, præbuit verosimile exarationi eius occasionem translatio arcæ fœderis in montem Sion. (II. Sam. cap. 6)

Nota 1. Versus 8—11 hujus Psalmi citat beatus Paulus in epistola ad Hebræos (3, 7—11) et applicat eos ad lectores suos (Hebr. 3, 12—4, 13.).

Nota 2. Vulgata latina exhibet textum psalterii Gallicani (vide „Præfatio“ § 4); Breviarium autem Romanum textum psalterii Romani.

Discrepantiæ inter Psalterium Romanum et Gallicanum in hoc psalmo sunt sequentes:

**Sonus Psalterii Romani.**

**Sonus Psalterii Gallicani.**

v. 3. „quoniam non repellet Dominus  
plebem suam  
(est additum ex Psalmo 93, 14.)

altitudines montium ipsius sunt.

v. 4. altitudines montium ipse con-  
spicit.

siccam formaverunt

v. 5. aridam fundaverunt

et procidamus

v. 6. et procidamus ante Deum

et nos populus pascuæ eius,  
et oves manus eius.

v. 7. nos autem populus eius  
et oves pascuæ eius.

in irritatione

v. 9. in exacerbatione

offensus fui generationi illi,  
(--- offendebar a generatione illa.)

v. 10. proximus fui generationi huic;  
(Sensus est: Eram immediate vi-  
cinus generationi huic — eram  
cum generatione hac [„proxi-  
mus“ est Superlativus a „pro-  
pinquus“]).

v. 11. quibus iuravi

ut iuravi.

## Psalmus 95.

**A p p r o p i n q u a t   g l o r i a   D e i .****Sonus latinae Vulgatae.**

Canticum, ipsi David, quando  
domus ædificabatur post capti-  
vitatem.

1. Cantate Domino canticum no-  
vum:  
cantate Domino omnis terra.
2. Cantate Domino, et benedicite  
nomini eius:  
annuntiate de die in diem sa-  
lutare eius.
3. Annuntiate inter gentes glo-  
riam eius,  
in omnibus populis mirabilia  
eius.
4. Quoniam magnus Dominus et  
laudabilis nimis,  
terribilis est super omnes  
deos.
5. Quoniam omnes dii gentium  
dæmonia:  
Dominus autem cælos fecit.
6. Confessio, et pulchritudo in  
conspectu eius:  
sanctimonia et magnificentia  
in sanctificatione eius.
7. Afferte Domino patriæ gen-  
tium,  
afferte Domino gloriam et ho-  
norem:
8. afferte Domino gloriam no-  
mini eius:  
Tollite hostias, et introite in  
atria eius:

**Sensus latinae Vulgatae.**

Canticum Davidis; quum ædifica-  
tum esset templum post captivi-  
tatem.

**C**antate Domino canticum no-  
vum,  
cantate Domino omnis terra!

Cantate Domino, et celebrate no-  
men Eius,  
nuntiate de die in diem auxilium  
Eius!

Nuntiate inter gentes gloriam  
Eius,  
inter omnes populos mirabilia  
Eius!

**Q**uoniam magnus est Dominus  
et plurimum celebrandus,  
Is terribilis est super omnes deos.

Quoniam omnes dii gentium sunt  
fictitii,  
Dominus autem cælos fecit.

Gloria et majestas sunt ante fa-  
ciem Eius,  
sanctimonia et magnificentia in  
sacrario Eius.

**D**ate Domino familiæ gentium,  
date Domino gloriam et honorem!

Date Domino gloriam nomini Eius  
debitam,  
tollite hostias et venite ad atria  
Eius!

| Sonus latinae Vulgatae.                                                                                                                | Sensus latinae Vulgatae.                                                                                                                              |
|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| 9. adorete Dominum in atrio sancto eius.<br>Commoveatur a facie eius universa terra:                                                   | Adorate Dominum in atrio sancto Eius;<br>Contremiscat coram Eo universa terra!                                                                        |
| 10. dicite in gentibus, quia Dominus regnavit.<br>Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur:<br>iudicabit populos in æquitate. | Dicite inter gentes: „Dominus regnat,<br>firmavit enim orbem terræ, qui non nutat;<br>Ipse iudicat populos — juste.“                                  |
| 11. Lætentur cœli<br>et exultet terra:<br>commoveatur mare, et plenitudo eius:                                                         | Lætabuntur cœli,<br>et exultabit terra,<br>fremet mare et quod implet illud;                                                                          |
| 12. gaudebunt campi, et omnia, quæ in eis sunt.<br>Tunc exultabunt omnia ligna silvarum                                                | gaudebunt campi et omnia, quæ in eis sunt;<br>tum exultabunt omnes arbores silvarum —                                                                 |
| 13. a facie Domini, quia venit: quoniam venit iudicare terram.<br>Iudicabit orbem terræ in æquitate,<br>et populos in veritate sua.    | coram Domino; quoniam venit, quoniam venit iudicare terram;<br><br>iudicabit orbem terræ secundum æquitatem,<br>et populos secundum fidelitatem suam. |

### Notae ad Psalmum 95.

Auctor, argumentum et occasio. — Psalmus hic est solummodo pars (v. 23.—33.) longioris cantici, quod integrum in I. Par. 16, 8.—36. invenitur, et collato I. Par. 16, 7. a Davide ad translationem arcæ fœderis in montem Sion exaratus fuit.

Psaltes provocat omnes creaturas ad landandum Deum, qui est Dominus omnium et iudex universæ terræ.

Nota. — Psalmus hic fortasse etiam in dedicatione templi secundi decantatus fuit, et ut huic festivitati accomodaretur, quæpiam in I. Par. 16, v. 23.—33. mutata sunt: inde etiam illæ paucae discrepantiæ explicantur.

Inde simul explicatur addita inscriptio Vulgatæ iuxta LXX.

## Psalmus 96.

**Regnum Dei supprimet omnem idololatriam.****Sonus latinae Vulgatae.**

1. Huic David, quando terra eius restituta est.  
Dominus regnavit: exultet terra,  
lætentur insulæ multæ.
2. Nubes et caligo in circuitu eius:  
iustitia et iudicium correctio sedis eius.
3. Ignis ante ipsum præcedet,  
et inflammabit in circuitu inimicos eius.
4. Illuxerunt fugura eius orbi terræ;  
vidit et commota est terra.
5. Montes, sicut cera fluxerunt a facie Domini:  
a facie Domini omnis terra.
6. Annuntiaverunt cœli iustitiam eius,  
et viderunt omnes populi gloriam eius.
7. Confundantur omnes, qui adorant sculptilia,  
et qui gloriantur in simulacris suis.  
Adorate eum omnes angeli eius:
8. audivit, et lætata est Sion.  
Et exultaverunt filiæ Iudæ propter iudicia tua, Domine:
9. quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram:  
nimis exaltatus es super omnes deos.

**Sensus latinae Vulgatae.**

A Davide, quum terra Eius esset pacificata.

**D**ominus est rex, exultet terra,  
lætentur insulæ multæ!

Nubes et caligo sunt circa Eum,  
iustitia et ius sunt fundamentum throni Eius.

Ignis Eum antecedit,  
et consumit circumcirca inimicos Eius.

**F**ulgura Eius illustrant orbem terræ;  
terra videt id et contremiscit.

Montes liquescunt sicut cera coram Domino,  
coram Domino totius terræ.

Cœli nuntiant iustitiam Eius,  
et omnes populi vident gloriam Eius.

**C**onfunduntur omnes, qui adorant sculptilia,  
et qui gloriantur simulacris suis!

Adorate Eum omnes angeli Ejus!

Audiens hoc lætatur Sion,  
et filiæ Judæ exultant,  
propter iudicia Tua, o Domine!

quoniam Tu, Domine, altissimus es super omnem terram,  
nimis exaltatus es super omnes Deos!

**Sonus latinae Vulgatae.**

10. Qui diligitis Dominum, odite malum:  
custodit Dominus animas sanctorum suorum,  
de manu peccatoris liberabit eos.
11. Lux orta est iusto  
et rectis corde lætitia.
12. Lætamini iusti in Domino,  
et confitemini memoriæ sanctificationis eius.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Qui diligitis Dominum, odite malum,  
Dominus custodit animas cultorum suorum,  
liberat eas e manu impiorum!

Lux oritur iusto,  
et lætitia rectis corde.

Lætamini iusti de Domino,  
et celebrate memoriam Eius sanctam!

**Notae ad Psalmum 96.**

Auctor, argumentum et occasio. — Vates sacer ignotus celebrat hoc hymno Jehovam totius terræ dominum, potentissimum et iustum, cuius protectione gaudent pii cultores, dum idololatræ spe frustrantur.

De tempore exarationis nil certi constat. Græcus LXX addita inscriptione refert hymnum hunc ad cladem Absalonis (II. Sam. c. 18.).

**Psalmus 97.****D o m i n u s   v e n i t !   L a u d a t e   E u m !****Sonus latinae Vulgatae.**

1. Psalmus, ipsi David.  
Cantate Domino canticum novum,  
quia mirabilia fecit.  
Salvavit sibi dextera eius,  
et brachium sanctum eius.
2. Notum fecit Dominus salutare suum:  
in conspectu gentium revelavit iustitiam suam.
3. Recordatus est misericordiæ suæ, et veritatis suæ domui Israël.  
Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Psalmus Davidis.  
Cantate Domino canticum novum,  
mirabilia enim fecit!  
Opitulata est sibi dextera Eius,  
et brachium sanctum Eius.

Notum fecit Dominus auxilium suum,  
in conspectu gentium revelavit iustitiam suam.

Memor fuit gratiæ suæ et fidei suæ erga domum Israël;  
omnes fines terræ viderunt auxilium Dei nostri.



**Sonus latinae Vulgatae.**

4. Iubilare Deo omnis terra:  
cantate, et exultate, et psallite.
5. Psallite Domino in cithara,  
in cithara et voce psalmi,
6. in tubis ductilibus, et voce  
tubæ corneæ.  
Iubilare in conspectu regis  
Domini:
7. moveatur mare, et plenitudo  
eius:  
orbis terrarum, et qui habi-  
tant in eo.
8. Flumina plaudent manu,  
simul montes exultabunt
9. a conspectu Domini:  
quoniam venit iudicare terram.  
Iudicabit orbem terrarum in  
iustitia,  
et populos in æquitate.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Iubilare Domino omnes terræ,  
cantate et exultate et psallite!
- Canite Domino ad citharam,  
ad citharam cum cantu psalmi,  
cum tubis ænneis ac voce tubæ  
corneæ,  
iubilare coram rege Domino!
- Fremat mare et quod implet  
illud,  
orbis terrarum et qui habitant  
in Eo!
- Flumina applaudant manibus,  
exultent simul montes  
coram Domino;  
quoniam venit ad iudicandam terram!  
Iudicabit orbem terrarum secun-  
dum iustitiam,  
et populos secundum æquitatem.

**Notae ad Psalmum 97.**

Auctor, argumentum et occasio. — Vates sacer — ignotus — celebrat hymno hoc protectorem populi electi et iudicem universæ terræ.

De occasione et tempore nil certi constat.

**Psalmus 98.****Sanctus, Sanctus, Sanctus est Dominus!****Sonus latinae Vulgatae.**

1. Psalmus ipsi David.  
Dominus regnavit, irascantur  
populi:  
qui sedet super Cherubim,  
moveatur terra.
2. Dominus in Sion magnus,  
et excelsus super omnes po-  
pulos.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Psalmus Davidis.  
Dominus est rex; irascuntur po-  
puli!  
insidet Cherubis; — terra nutat.
- Dominus in Sione est magnus  
et excelsus super omnes populos.

**Sonus latinae Vulgatae.**

3. Confiteantur nomini tuo magno,  
quoniam terribile, et sanctum  
est,
4. et honor regis iudicium diligit.  
Tu parasti directiones:  
iudicium et iustitiam in Iacob  
tu fecisti.
5. Exaltate Dominum Deum no-  
strum,  
et adorete scabellum pedum  
eius,  
quoniam sanctum est.
6. Moyses et Aaron in sacerdo-  
tibus eius,  
et Samuel inter eos, qui in-  
vocant nomen eius.  
Invocabant Dominum, et ipse  
exaudiebat eos:
7. in columna nubis loquebatur  
ad eos.  
Custodiebant testimonia eius  
et praeceptum, quod dedit illis.
8. Domine Deus noster, tu ex-  
audiebas eos:  
Deus, tu propitius fuisti eis,  
et ulciscens in omnes adin-  
ventiones eorum.
9. Exaltate Dominum Deum no-  
strum,  
et adorete in monte sancto  
eius:  
quoniam sanctus Dominus  
Deus noster.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Celebrabunt nomen Tuum magnum,  
quoniam terribile et sanctum est  
illud!

**E**t maiestas regis diliget ius;  
Tu statuisti normas rectas,  
ius et iustitiam exerces in Iacobo!

Exaltate Dominum Deum nostrum,  
et prosternite vos ad scabellum  
pedum Eius,  
quoniam sanctus est Ille!

**M**oses et Aron erant inter sa-  
cerdotes Eius,  
et Samuel inter eos, qui invocant  
nomen Eius;  
hi clamabant ad Dominum et Ipse  
exaudiebat eos.

In columna nubis loquebatur ad  
eos,  
ipsi custodiebant statuta Eius  
et praeceptum, quod dederat eis.

Domine, Deus noster, Tu exau-  
diebas eos,  
Deus, Tu propitius eras eis,  
eras etiam ulciscens omnia faci-  
nora eorum!

Exaltate Dominum, Deum no-  
strum,  
et adorete in monte sancto Eius;  
quoniam sanctus est Dominus  
Deus noster!

**Notae ad Psalmum 98.**

Auctor, argumentum et occasio. — Vates sacer — ignotus —  
celebrat hocce hymno maiestatem, iustitiam et clementiam Dei,  
qui pios cultores suos exaudit, inobedientiam autem punit.

De tempore et occasione exarationis nil certi constat.

## Psalmus 99.

**A d o r a t e D o m i n u m o m n e s t e r r a e !****Sonus latinae Vulgatae.**

1. Psalmus, in confessione.
2. Iubilare Domino omnis terra:  
servite Domino in lætitia.  
Introite in conspectu eius, in  
exultatione.
3. Scitote, quoniam Dominus ipse  
est Deus:  
ipse fecit nos, et non ipsi nos.  
Populus eius, et oves pascuæ  
eius:
4. introite portas eius in con-  
fessione,  
atria eius in hymnis:  
confitemini illi. Laudate no-  
men eius,
5. quoniam suavis est Dominus:  
in æternum misericordia eius,  
et usque in generationem et  
generationem veritas eius.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Psalmus laudativus.

**I**ubilare Domino omnes terræ!Servite Domino cum lætitia,  
venite in conspectum Eius cum  
exultatione!

Scitote Dominum esse Deum,

Ipse fecit nos; et non ipsi nos.  
Sumus populus Eius et oves pas-  
cui Eius!Intrate portas Eius cum gratiarum  
actione,  
atria Eius cum hymnis:  
gratias agite Ei, laudate nomen  
Eius!Quoniam suavis est Dominus,  
in æternum manet gratia Eius,  
et in omnes ætates fides Eius.**Notae ad Psalmum 99.**

Auctor, argumentum et occasio. — Vates sacer — ignotus —  
excitat omnes ad cognoscendum et colendum Deum creatorem  
et gubernatorem clementissimum.

De tempore et occasione exarationis nil certi constat.

## Psalmus 100.

**P r o p o s i t a r e g i s p i i .****Sonus latinae Vulgatae.**

1. Psalmus, ipsi David.  
Misericordiam et iudicium  
cantabo  
tibi, Domine: psallam,

**Sensus latinae Vulgatae.**

Psalmus Davidis.

**B**enignitatem et iustitiam canam;

Te, o Domine, fidibus canam!

**Sonus latinae Vulgatae.**

**Sensus latinae Vulgatae.**

2. et intelligam in via immaculata,  
quando venies ad me.  
Perambulabam in innocentia  
cordis mei, in medio domus  
meæ.
3. Non proponebam ante oculos  
meos rem iniustam:  
facientes prævaricationes odivi.  
  
Non adhæsit mihi
4. cor pravum:  
declinantem a me malignum  
non cognoscebam.
5. Detrahentem secreto proximo  
suo, hunc persequabar.  
Superbo oculo et insatiabili  
corde, cum hoc non edebam.
6. Oculi mei ad fideles terræ, ut  
sedeant mecum:  
ambulans in via immaculata,  
hic mihi ministrabat.
7. Non habitabit in medio domus  
meæ, qui facit superbiam:  
qui loquitur iniqua, non di-  
rexit in conspectu oculorum  
meorum.
8. In matutino interficiebam om-  
nes peccatores terræ,  
ut disperderem de civitate  
Domini omnes operantes ini-  
quitatem.

et immaculatam vitæ rationem  
attendam!  
quando, quæso, venies ad me?  
In animi integritate incedam in  
domo mea!

**R**em iniustam non ponam ante  
oculos meos;  
illos, qui faciunt prævaricationes,  
odi.

Non adhærebit mihi —

cor pravum;  
malignum, qui a me declinat, non  
æstimo;

eum, qui in occulto detrahit pro-  
ximo suo, persequar.  
Cum hoc, cuius oculi sunt elati  
et cor insatiabile, non possum  
comedere.

Oculi mei directi sunt in fidos  
terræ, ut habitent mecum;  
qui in via immaculata incedit, is  
ministrabit mihi.

Non habitabit in domo mea, qui  
struit superbiam;  
qui loquitur iniqua, non consistet  
coram oculis meis.

Quovis mane interficiam omnes  
impios terræ,  
ut extirpem ex civitate Domini  
omnes operantes iniquitatem.

**Notae ad Psalmum 100.**

Auctor, argumentum et occasio. — Psaltes regius — David —  
proponit consilia sua recte vivendi et iuste regnandi;

imprimis non tolerandi ministros imperii sceleratos, calum-  
niatores et arrogantes;

accedit propositum — protegendı probos.

Occasionem huic psalmo præbuit absque dubio tempus, cum David  
electus esset rex duodecim tribuum (II. Sam. c. 5.).

## Psalmus 101. (V pœnitentialis).

**Domine miserere mei! marcesco enim sicut gramen!****Sonus latinae Vulgatae.**

1. Oratio pauperis, cum anxius fuerit, et in conspectu Domini effuderit precem suam.
2. Domine, exaudi orationem meam,  
et clamor meus ad te veniat.
3. Non avertas faciem tuam a me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.  
In quacunque die invocaverote, velociter exaudi me.
4. Quia defecerunt, sicut fumus, dies mei,  
et ossa mea sicut cremium aruerunt.
5. Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum,  
quia oblitus sum comedere panem meum.
6. A voce gemitus mei  
adhæsit os meum carni meæ
7. Similis factus sum pelicano solitudinis:  
factus sum sicut nycticorax in domicilio.
8. Vigilavi,  
et factus sum sicut passer solitarius in tecto.
9. Tota die exprobrabant mihi inimici mei,  
et qui laudabant me, adversum me iurabant.
10. Quia cinerem tamquam panem manducabam,  
et potum meum cum fletu miscebam,

**Sensus latinae Vulgatae.**

Oratio miseri, cum anxius coram Domino effundit precem suam.

**D**omine! audi orationem meam,  
et clamor meus ad Te veniat!

Ne avertas faciem Tuam a me;  
quacunque die tribulor, inclina ad me aurem Tuam!  
Quacunque die invoco Te,  
propere exaudias me!

**N**am dies mei evanuerunt sicut  
fumus,  
et ossa mea arescunt sicut cremium!

Percussus sum sicut gramen et cor meum adustum est,  
ita ut obliviscar comedere panem meum!

Præ voce gemitus mei —  
adhærent ossa mea pelli meæ!

**S**imilis sum pelicano solitudinis;  
sum sicut noctua in ruinis!

Non possum dormire,  
et sum sicut avis solitaria in tecto!

Tota die exprobrant mihi inimici mei,  
et qui me laudabant, exsecrantur me!

Comedo enim cinerem tamquam panem,  
et potum meum misceo lacrimis —

**Sonus latinae Vulgatae.**

11. a facie iræ et indignationis  
tuæ,  
quia elevans allisisti me.
12. Dies mei sicut umbra decli-  
naverunt,  
et ego sicut fœnum arui.
13. Tu autem, Domine, in æternum  
permanes,  
et memoriale tuum in gene-  
rationem et generationem
14. Tu exurgens misereberis Sion,  
quia tempus miserendi eius,  
  
quia venit tempus.
15. Quoniam placuerunt servis  
tuis lapides eius  
et terræ eius miserebuntur.
16. Et timebunt gentes nomen tu-  
um, Domine  
et omnes reges terræ gloriam  
tuam.
17. Quia ædificavit Dominus Sion,  
et videbitur in gloria sua.
18. Respexit in orationem humi-  
lium,  
et non sprexit precem eorum.
19. Scribantur hæc in generatione  
altera,  
et populus, qui creabitur, lau-  
dabit Dominum.
20. Quia prospexit de excelso  
sancto suo,  
Dominus de cœlo in terram  
aspexit.
21. ut audiret gemitus compedi-  
torum,  
ut solveret filios interem-  
ptorum:

**Sensus latinae Vulgatae.**

- propter iram et indignationem  
Tuam,  
quia elevasti me et proiecisti!
- Dies mei inclinant se sicut umbra,  
et ego marcesco sicut gramen!
- T**u autem, Domine, permanes (fi-  
delis) in æternum,  
et memoria Tui a generatione in  
generationem!
- Tu surges et misereberis Sionis,  
nam tempus est jam, ut miserea-  
ris eius;  
venit enim tempus constitutum!
- Quoniam lapides eius (Sionis) bene  
placent servis Tuis;  
inde ipsi rudera eius miserebuntur!
- E**t revereantur gentes nomen  
Tuum, Domine,  
et maiestatem Tuam omnes reges  
terræ,
- cum ædificaverit Dominus Sionem,  
et apparuerit in maiestate Sua —
- respiciens orationem pauperum,  
nec spernens preces eorum.
- L**iteris mandabuntur hæc gene-  
rationi posteræ,  
ut populus, qui creabitur, laudet  
Dominum,
- quod prospexit Dominus de ex-  
celso sancto suo,  
quod Dominus de cœlo in terram  
aspexit,
- ut audiret gemitum captivorum,  
ut solveret vinculis morti desti-  
natos;

**Sonus latinae Vulgatae.**

22. ut annuntient in Sion nomen Domini,  
et laudem eius in Ierusalem,
23. in conveniendo populos in unum,  
et reges, ut serviant Domino.
24. Respondit ei in via virtutis suæ:  
Paucitatem dierum meorum nuntia mihi,
25. ne revoces me in dimidio dierum meorum:  
in generationem et generationem anni tui.
26. Initio tu, Domine, terram fundasti,  
et opera manuum tuarum sunt cæli.
27. Ipsi peribunt, tu autem permanes:  
et omnes sicut vestimentum veterascent.  
Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur:
28. tu autem idem ipse es,  
et anni tui non deficient.
29. Filii servorum tuorum habitabunt,  
et semen eorum in sæculum dirigetur.

**Sensus latinae Vulgatae.**

ut prædicent nomen Domini in Sione,  
et laudem Eius Hierosolymis,  
cum una congregant se populi  
et reges, — ut serviant Domino.

**D**um adhuc pollet viribus, dicere solet Ei (quisque):  
„Concede mihi paucum numerum dierum meorum.“

Ne revoces me in medio dierum meorum, —  
anni Tui permanent in generationem et generationem!

Initio Tu, Domine, terram fundasti,  
et opera manuum Tuarum sunt cæli!

Ipsi peribunt, Tu autem permanebis,  
et omnes illæ res instar vestis veterascent;  
tamquam amictum mutas eas, et ipsæ mutant se. —

Tu autem manes idem,  
et anni Tui non deficiunt!

Posteriores servorum Tuorum habitabunt (terram sanctam),  
et semen eorum in æternum consistet.

**Notae ad Psalmum 101.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — ignotus — exhibet in hoc psalmo ardentes preces pro liberatione ex captivitate Babylonica appropinquante termino iam prædicto (a Jeremia propheta 25, 12. 29, 10., confer Dan. c. 9, 2.).

Hac liberatione et restituto Jerosolymæ cultu sacro conciliabitur Deo gloria inter gentes.

Collatis vv. 15. et sequentibus imprimis 20<sup>mo</sup>, exaratus est psalmus hic ad finem exilii Babylonici.

## Psalmus 102.

**Laudate Dominum maxime misericordem!****Sonus latinae Vulgatae.**

1. Ipsi David.  
Benedic, anima mea, Domino,  
et omnia, quæ intra me sunt,  
nomini sancto eius.
2. Benedic, anima mea, Domino,  
et noli oblivisci omnes retri-  
butiones eius:
3. qui propitiatur omnibus ini-  
quitalibus tuis,  
qui sanat omnes infirmitates  
tuas.
4. Qui redimit de interitu vitam  
tuam,  
qui coronat te in misericordia  
et miserationibus.
5. Qui replet in bonis deside-  
rium tuum:  
renovabitur ut aquilæ iuven-  
tus tua.
6. Faciens misericordias Do-  
minus,  
et iudicium omnibus iniuriam  
patientibus.
7. Notas fecit vias suas Moysi,  
filiis Israël voluntates suas.
8. Miserator, et misericors Do-  
minus,  
longanimis, et multum mise-  
ricors.
9. Non in perpetuum irascetur,  
neque in æternum commina-  
bitur.
10. Non secundum peccata nostra  
fecit nobis,  
neque secundum iniquitates  
nostras retribuit nobis.

**Sensus latinae Vulgatae.**

A Davide.

**L**auda, anima mea, Dominum,  
et omnia interiora mea —  
nomen sanctum Eius!

Lauda, anima mea, Dominum,  
neve obliviscaris ullius benefi-  
ciorum Eius!

Ipse enim condonat tibi omnes  
iniquitates tuas;  
Ipse sanat omnes infirmitates  
tuas.

Ipse redimit vitam tuam de in-  
teritu;  
Ipse coronat te gratia et miseri-  
cordia.

Ipse replet bonis desiderium tuum,  
ita, ut se renovet instar aquilæ  
pueritia tua.

**D**ominus exercet iustitiam  
et ius omnibus iniuriam patien-  
tibus;

Mosi notas fecit vias suas,  
filiis Israël voluntatem suam.

Dominus est misericors et be-  
nignus,  
longanimis et magnæ gratiæ.

Non irascitur in perpetuum,  
neque minatur in æternum.

Non secundum peccata nostra fe-  
cit nobis;  
nec rependit nobis secundum no-  
stras iniquitates.



**Sonus latinae Vulgatae.**

11. Quoniam secundum altitudinem cœli a terra,  
corroboravit misericordiam suam super timentes se.
12. Quantum distat ortus ab occidente,  
longe fecit a nobis iniquitates nostras.
13. Quomodo miseretur pater filiorum,  
misertus est Dominus timentibus se;
14. quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.  
Recordatus est, quoniam pulvis sumus:
15. homo, sicut fœnum dies eius,  
tamquam flos agri sic effloreat.
16. Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet,  
et non cognoscet amplius locum suum.
17. Misericordia autem Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum.  
Et iustitia illius in filios filiorum,
18. his qui servant testamentum eius  
et memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea.
19. Dominus in cœlo paravit sedem suam,  
et regnum ipsius omnibus dominabitur.
20. Benedicite Domino omnes Angeli eius,  
potentes virtute, facientes verbum illius,  
ad audiendam vocem sermonum eius.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Sed, quam alti sunt cœli supra terram,  
tam efficacem reddidit gratiam suam cultoribus suis.

Quantum distat oriens ab occidente;  
tam longe removit a nobis iniquitates nostras.

Quemadmodum pater miseretur filiorum,  
sic miseretur Dominus cultorum suorum.

Ipse enim novit naturam nostram,  
memor est, pulverem nos esse.

Aetas hominis est sicut gramen;  
ut flos campi — sic floret.

Si ventus transit super eum, non est amplius,  
et nemo novit amplius locum eius.

Gratia autem Domini ab æterno in æternum est super cultoribus Eius,  
et iustitia Eius contingit filiis filiorum,

iis, qui servant fœdus Eius,  
et qui mandatorum Eius sunt memores — observando ea.

Dominus statuit in cœlo thronum suum,  
et imperium Eius in cuncta dominatur.

Laudate Dominum omnes angeli Eius,  
vos heroës fortes, qui exsequimini mandata Eius,  
obedientes voci verborum Eius!

**Sonus latinae Vulgatae.**

21. Benedicite Domino omnes virtutes eius,  
ministri eius, qui facitis voluntatem eius.
22. Benedicite Domino omnia opera eius:  
in omni loco dominationis eius,  
benedic anima mea Domino.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Laudate Dominum omnes exercitus Eius,  
ministri Eius, qui exsequimini voluntatem Eius!

Laudate Dominum omnia opera Eius,  
in omni loco dominationis Eius;

Lauda anima mea Dominum!

**Notae ad Psalmum 102.**

Auctor argumentum et occasio. — Auctor huius cantici eucharistici — David, celebrat Jehovæ summam beneficentiam (1.—5.)

misericordiam (6.—9.)

clementiam et indulgentiam erga homines imbecilles et caducos (v. 10.—16.)

nec non immutabilem gratiam erga cultores suos (17.—19.);

dein excitat angelos omnesque creaturas ad laudem Dei (20.—22).

De occasione exarationis huius psalmi nil certi statui potest.

**Psalmus 103.**

**Hymnus in honorem Creatoris et Conservatoris omnium.**

**Sonus latinae Vulgatae.**

1. Ipsi David.  
Benedic, anima mea, Domino:  
Domine Deus meus, magnificatus es vehementer.  
Confessionem et decorem induisti,
2. amictus lumine sicut vestimento:  
extendens cælum sicut pellem:
3. qui tegis aquis superiora eius.  
  
Qui ponis nubem ascensum tuum,  
qui ambulas super pennas ventorum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

A Davide.  
Lauda, anima mea, Dominum!  
Domine Deus mi, Tu es magnus nimis,  
indutus gloria et maiestate!

Luce velas Te tamquam veste,  
cælum expandis sicut pellem; —

Tu superstruis aquis superiora conclavia eius (cæli),  
nubes facis — currum Tuum,  
super alis ventorum incedis.

**Sonus latinae Vulgatae.**

4. Qui facis angelos tuos, spiritus,  
et ministros tuos ignem urentem.
5. Qui fundasti terram super stabilitatem suam:  
non inclinabitur in sæculum sæculi.
6. Abyssus, sicut vestimentum,  
amictus eius:  
super montes stabunt aquæ.
7. Ab increpatione tua fugient:  
a voce tonitru tui formidabunt.
8. Ascendunt montes, et descendunt campi  
in locum, quem fundasti eis.
9. Terminum posuisti, quem non transgredientur,  
neque convertentur operire terram.
10. Qui emittis fontes in convallibus:  
inter medium montium pertransibunt aquæ.
11. Potabunt omnes bestię agri:  
exspectabunt onagri in siti sua.
12. Super ea volucres cœli habitabunt,  
de medio petrarum dabunt voces.
13. Rigans montes de superioribus suis:  
de fructu operum tuorum satiabitur terra:
14. producens fœnum iumentis,  
et herbam servituti hominum,  
ut educas panem de terra,

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ventos facis — nuntios Tuos,  
ignem flammantem — ministros Tuos.

**T**erram fundasti super fundamentis eius,  
ea in æternum non nutat.

Oceanus instar vestimenti cingit eam,  
super montibus stant aquæ.

Præ increpatione Tua fugiunt,  
præ voce tonitrus Tui trepide recedunt.

Ascendunt montes et valles descendunt —  
in locum, quem eis assignas.

Terminum posuisti, quem non transgredientur,  
neque amplius operient terram.

**T**u erumpere facis fontes in vallibus,  
inter montes manant aquæ,

potum præbentes omni bestię agresti; —  
onagri exspectant eum in siti sua.

Ad illas habitant aves cœli,  
edunt vocem e mediis petris.

Tu irrigas montes e superioribus conclavibus Tuis,  
terra satiatur fructu operum Tuorum.

**T**u progerminare facis gramen iumentis  
et herbam in usum hominum,  
producens panem e terra.

**Sonus latinae Vulgatae.**

15. et vinum lætificet cor hominis:  
ut exhilaret faciem in oleo,  
et panis cor hominis confirmet.
16. Saturabuntur ligna campi,  
et cedri Libani, quas plantavit:
17. illic passeret nidificabunt.  
Herodii domus dux est eorum:
18. montes excelsi cervis:  
petra refugium herinaciis.
19. Fecit lunam in tempora:  
sol cognovit occasum suum.
20. Posuisti tenebras, et facta est nox:  
in ipsa pertransibunt omnes bestiae silvæ.
21. Catuli leonum rugientes, ut rapiant,  
et quærant a Deo escam sibi.
22. Ortus est sol, et congregati sunt,  
et in cubilibus suis collocabuntur.
23. Exibit homo ad opus suum,  
et ad operationem suam usque ad vesperum.
24. Quam magnificata sunt opera tua, Domine!  
omnia in sapientia fecisti:  
impleta est terra possessione tua.
25. Hoc mare magnum, et spatiosum manibus:  
illic reptilia, quorum non est numerus.  
Animalia pusilla cum magnis:

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Vinum etiam, quod lætificet cor hominis;  
ut oleo splendida reddatur facies,  
panis autem robur hominis reficiat.
- Satiantur arbores campi,  
et cedri Libani, quas plantavit,
- in quibus aves nidificant;  
ciconiæ nidus eminet in eis.
- Montes excelsi sunt cervis,  
petra herinaceis — refugium.
- L**unam fecit in tempora mensuranda;  
sol novit occasum suum.
- Facis tenebras et est nox,  
qua prorumpunt omnes bestiae silvæ.
- Leunculi rugiunt prædam rapturi,  
poscentes a Deo escam suam.
- Oriente sole recipiunt se,  
et in cubiculis suis se collocant.
- Homo exit ad negotium suum,  
atque ad operationem suam usque ad vesperam.
- Q**uam magna sunt opera Tua, Domine!  
Tu sapienter fecisti ea omnia,  
creaturis Tuis plena est terra!
- Hoc mare magnum et latum utrimque;  
ibi sunt reptilia innumera,  
bestiæ parvæ cum magnis;

**Sonus latinae Vulgatae.**

26. illic naves pertransibunt.  
Draco iste, quem formasti  
ad illudendum ei:
27. omnia a te exspectant,  
ut des illis escam in tempore.
28. Dante te illis, colligent:  
aperiente te manum tuam,  
omnia implebuntur bonitate.
29. Avertente autem te faciem,  
turbabuntur:  
auferes spiritum eorum, et  
deficient,  
et in pulverem suum rever-  
tentur.
30. Emittes spiritum tuum, et crea-  
buntur;  
et renovabis faciem terræ.
31. Sit gloria Domini in sæculum:  
lætabitur Dominus in operi-  
bus suis:
32. qui respicit terram et facit  
eam tremere:  
qui tangit montes, et fumigant.
33. Cantabo Domino in vita mea,  
psallam Deo meo, quamdiu  
sum.
34. Iucundum sit ei eloquium  
meum:  
ego vero delectabor in Do-  
mino.
35. Deficient peccatores a terra,  
et iniqui ita, ut non sint:  
benedic, anima mea, Domino.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- ibi naves eunt,  
bellua ingens, quam creasti,  
ut ludat in eo (mari).
- Illa omnia Te exspectant,  
ut des illis escam tempore suo.
- Dante Te illis — colligunt;  
aperiente Te manum Tuam —  
omnia satiantur bonis.
- Avertente autem Te faciem —  
turbantur;  
si aufers spiritum vitalem iis, —  
expirant  
et in pulverem suum revertuntur.
- Si emittis spiritum Tuum, — nova  
nascuntur,  
et Tu renovas faciem terræ.
- G**loria Domini manet in æternum,  
Dominus lætatur operibus suis.
- Si adspicit terram, facit eam tre-  
mere,  
si tangit montes — fumant.
- Canam Domino, quousque vivam;  
fidibus canam Deo meo, quousque  
ero!
- Utinam placeat Ei meditatio mea!  
ego lætor in Domino!
- Deficient peccatores de terra,  
et impii — ne sint amplius!  
Lauda, anima mea, Dominum!

**Notae ad Psalmum 103.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — ignotus — celebrat hymno hocce elegantissimo Deum creatorem et conservatorem universi.

De tempore exarationis huius hymni nil certi constat.

Psalmus 104.

**Hymnus in gratiarum actionem pro mirabilibus beneficiis.**

**Sonus latinae Vulgatae.**

Alleluja.

1. Confitemini Domino, et invocate nomen eius:  
annuntiate inter gentes opera eius.
2. Cantate ei, et psallite ei:  
narrate omnia mirabilia eius.
3. Laudamini in nomine sancto eius:  
lætetur cor quærentium Dominum.
4. Quærite Dominum et confirmamini:  
quærite faciem eius semper.
5. Mementote mirabilium eius,  
quæ fecit:  
prodigia eius, iudicia oris eius.
6. Semen Abraham, servi eius:  
filii Jacob electi eius.
- 7 Ipse Dominus Deus noster:  
in universa terra iudicia eius.
8. Memor fuit in sæculum testamenti sui,  
verbi, quod mandavit in mille generationes:
9. quod disposuit ad Abraham,  
et iuramenti sui ad Isaac:
10. et statuit illud Jacob in præceptum,  
et Israël in testamentum æternum,
11. dicens: Tibi dabo terram Chanaan,  
funiculum hereditatis vestræ

**Sensus latinae Vulgatae.**

Hallelujah!

**L**audate Dominum et invocate  
nomen Eius,  
annuntiate inter gentes opera Eius!

Cantate Ei et fidibus canite Ei!  
narrate omnia mirabilia Eius!

Gloriamini nomine Eius sancto,  
lætetur cor cultorum Domini!

Quærite Dominum et confirmamini,  
quærite faciem Eius semper!

Memores estote mirabilium Eius,  
quæ fecit,  
prodigiorum Eius et iudiciorum  
oris Eius!

Vos semen Abrahami, servi Eius,  
filii Jacobi, electi Eius!

**I**psa Dominus — est Deus no-  
ster,  
per universam terram exercentur  
iudicia Eius

Fœderis sui memor est in per-  
petuum,  
verbi, quod mandavit in mille ge-  
nerationes;

eius, quod pepigit cum Abrahamo,  
et iuramenti, quod præstitit Isaaco,

et quod constituit Jacobo in sta-  
tutum,  
et Israël in fœdus æternum —

dicens: „Tibi dabo terram Canaan,  
partem hereditatis vestræ.“

**Sonus latinae Vulgatae.**

12. Cum essent numero brevi  
paucissimi et incolæ eius,
13. et pertransierunt de gente in  
gentem,  
et de regno ad populum al-  
terum.
14. Non reliquit hominem nocere eis,  
et corripuit pro eis reges.
15. Nolite tangere christos meos,  
et in prophetis meis nolite  
malignari.
16. Et vocavit famem super ter-  
ram,  
et omne firmamentum panis  
contrivit.
17. Misit ante eos virum;  
in servum venundatus est  
Joseph.
18. Humiliaverunt in compedibus  
pedes eius,  
ferrum pertransiit animam  
eius,
19. donec veniret verbum eius.  
  
Eloquium Domini inflammavit  
eum:
20. misit rex, et solvit eum:  
princeps populorum, et di-  
misit eum.
21. Constituit eum Dominum do-  
mus suæ,  
et principem omnis posses-  
sionis suæ;
22. ut erudiret principes eius sicut  
semetipsum,  
et senes eius prudentiam do-  
ceret.
23. Et intravit Israël in Aegyptum,  
et Jacob accola fuit in terra  
Cham.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Quum essent faciles numeratu,  
pauci tantum et peregrini  
in ea;  
quum migrarunt de gente ad gen-  
tem,  
et de uno regno ad populum  
alium;

non concessit cuiquam nocere eis,  
et castigavit eorum causa reges:

„Nolite tangere unctos meos,  
et vatibus meis, ne faciatis male.“

Et vocavit famem super terram,  
omne fulcrum panis contrivit;

misit ante eos virum,  
in servum venditus est Iosephus;

compedibus afflixerunt pedes eius,  
in vincula ferrea venit persona  
eius,

usque ad tempus, quo eventum  
habuit verbum eius,  
donec eloquium Domini probavit  
eum;

misit rex et solvit eum  
princeps populorum, et vinculis  
expedivit eum;

constituit eum Dominum super  
domum suam,  
et dominatorem in omnem pos-  
sessionem suam,

ut erudiret principes eius sicut  
semetipsum,  
et ut doceret prudentiam — se-  
natores eius.

Dein venit Israël in Aegyptum,  
et Jacob commorabatur hospes  
in terra Chami.

**Sonus latinae Vulgatae.**

24. Et auxit populum suum vehementer,  
et firmavit eum super inimicos eius.
25. Convertit cor eorum, ut odirent populum eius,  
  
et dolum facerent in servos eius.
26. Misit Moysen servum suum:  
Aaron, quem elegit ipsum.
27. Posuit in eis verba signorum suorum  
et prodigiorum in terra Cham.
28. Misit tenebras, et obscuravit,  
et non exacerbavit sermones suos.
29. Convertit aquas eorum in sanguinem,  
et occidit pisces eorum.
30. Edidit terra eorum ranas  
in penetralibus regum ipsorum.
31. Dixit, et venit cœnomyia,  
et sciniphes in omnibus finibus eorum.
32. Posuit pluvias eorum grandinem:  
ignem comburentem in terra ipsorum.
33. Et percussit vineas eorum, et ficulneas eorum,  
et contrivit lignum finium eorum.
34. Dixit et venit locusta,  
et bruchus, cuius non erat numerus:
35. et comedit omne fœnum in terra eorum,  
et comedit omnem fructum terræ eorum.
36. Et percussit omne primogenitum in terra eorum,  
primitias omnis laboris eorum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Et auxit populum suum nimis,  
et fecit eum validiorem inimicis eius.
- P**ermisit, ut animus eorum mutaretur, ut odio haberent populum Eius,  
ut dolose agerent in servos Eius.
- Misit Mosen servum suum,  
Aronem, quem elegerat.
- Posuit in eis signa sua,  
  
et prodigia in terra Chami.
- Misit tenebras et caliginem fecit,  
nec concessit, ut irrita fiant verba Eius.
- Convertit aquas eorum in sanguinem,  
et occidit pisces in eis.
- Terra eorum edidit ranas,  
hæ erant in ipsis conclavibus regum eorum.
- Iussit et venit musca canina,  
et culices in omnes fines eorum.
- Fecit imbres eorum grandinem,  
  
ignem comburentem in terra eorum.
- Et percussit vineas eorum et ficulneas eorum,  
et confregit arbores regionis eorum.
- Iussit et venit locusta,  
et insectum vorax, cuius non erat numerus.
- Et comedit omnem herbam in terra eorum,  
comedit etiam omnem fructum agri eorum.
- Dein percussit omne primogenitum in terra eorum,  
primitias omnium virium eorum.



**Sonus latinae Vulgatae.**

37. Et eduxit eos cum argento  
et auro,  
et non erat in tribubus eorum  
infirmus.
38. Lætata est Aegyptus in pro-  
fectione eorum,  
quia incubuit timor eorum  
super eos.
39. Expandit nubem in protectione  
eorum,  
et ignem, ut luceret eis per  
noctem.
40. Petierunt, et venit coturnix,  
et pane cœli saturavit eos.
41. Dirupit petram, et fluxerunt  
aquæ:  
abierunt in sicco flumina:
42. quoniam memor fuit verbi  
sancti sui,  
quod habuit ad Abraham pu-  
erum suum.
43. Et eduxit populum suum in  
exultatione,  
et electos suos in lætitia.
44. Et dedit illis regiones gentium,  
et labores populorum posse-  
derunt,
45. ut custodiant iustificationes  
eius,  
et legem eius requirant.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Dein eduxit eos cum argento et  
auro,  
neque erat in tribubus eorum —  
infirmus.
- Aegyptus lætata est exitu eorum;  
nam ceciderat pavor eorum super  
illos.
- Expandit nubem, ut esset iis te-  
gumentum,  
et ignem, ut luceret eis per noctem.
- Petierunt et venerunt coturnices,  
et pane cœlesti satiavit eos.
- Dirupit petram et fluxerunt aquæ,  
manarunt fluminum instar — per  
loca sicca.
- Nam memor fuit verbi sui san-  
cti,  
quod locutus est Abrahamo, servo  
suo.
- Atque eduxit populum suum inter  
gaudia,  
et electos suos inter iubila.
- et dedit iis regiones gentium,  
et occuparunt laborem populorum,
- ideo ut custodirent statuta Eius,  
et servarent legem Eius.

**Notae ad Psalmum 104.**

Auctor, argumentum et tempus — Vates sacer celebrat beneficia a Jehova populo electo collata inde ab Abrahami ætate usque ad occupationem terræ Canaan.

Prima huius psalmi pars (v. 1.—15.) legitur etiam in I. Par. 16, 8.—22., ubi auctor eius disserte (v. 7.) nominatur David; inde concluditur:

a) vel in I. Par. c. 16. non contineri integrum canticum; —

b) vel adiectos esse versus ultimos huius psalmi (v. 16.—45.) ab aliquo ignoto auctore recentiori. — Confer etiam dicta ad psl. 95.

## Psalmus 105.

**Dominus fidem servabit populo suo ingrato.****Sonus latinae Vulgatae.**

Alleluia.

1. Confitemini Domino, quoniam bonus,  
quoniam in sæculum misericordia eius.
2. Quis loquetur potentias Domini,  
auditas faciet omnes laudes eius?
3. Beati, qui custodiunt iudicium,  
et faciunt iustitiam in omni tempore.
4. Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui:  
visita nos in salutari tuo:
5. ad videndum in bonitate electorum tuorum,  
ad lætandum in lætitia gentis tuæ,  
ut lauderis cum hereditate tua.
6. Peccavimus cum patribus nostris:  
iniuste egimus, iniquitatem fecimus.
7. Patres nostri in Aegypto non intellexerunt mirabilia tua,  
non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ.  
Et irritaverunt ascendentes in mare, Mare rubrum.
8. Et salvavit eos propter nomen suum,  
ut notam faceret potentiam suam.
9. Et increpuit Mare rubrum, et exsiccatum est,  
et deduxit eos in abyssis sicut in deserto.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Halleluiah!

**L**audate Dominum, nam est benignus,  
nam in æternum manet gratia Eius!

Quis eloquatur fortia facta Domini,  
et quis prædicabit omnes laudes Eius?

Beati, qui custodiunt legem,  
et iustitiam exercent omni tempore!

Memento nostri, Domine, propter benevolentiam erga populum Tuum;  
adesto nobis auxilio Tuo!

ut videamus felicitatem electorum Tuorum,  
ut lætemur lætitia gentis Tuæ,  
ut lauderis cum hereditate Tua.

**P**eccavimus — ut patres nostri,  
iniuste egimus, iniquitatem fecimus.

Patres nostri in Aegypto non attenderunt mirabilia Tua,  
non fuerunt memores multitudinis beneficiorum Tuorum,  
et rebellarunt in itinere ad mare,  
ad Mare rubrum.

Ille vero liberavit eos propter nomen suum,  
ut notam faceret potentiam suam.

Increpavit nempe Mare rubrum et exsiccatum est,  
et duxit eos per fluctus velut per aridam.

**Sonus latinae Vulgatae.**

10. Et salvavit eos de manu odientium,  
et redemit eos de manu inimici.
11. Et operuit aqua tribulantes eos:  
unus ex eis non remansit.
12. Et crediderunt verbis eius,  
et laudaverunt laudem eius.
13. Cito fecerunt, obliti sunt operum eius,  
et non sustinuerunt consilium eius.
14. Et concupierunt concupiscentiam in deserto,  
et tentaverunt Deum in inaquoso.
15. Et dedit eis petitionem ipsorum,  
et misit saturitatem in animas eorum.
16. Et irritaverunt Moysen in castris:  
Aaron, sanctum Domini.
17. Aperta est terra, et deglutivit Dathan,  
et operuit super congregationem Abiron.
18. Et exarsit ignis in synagoga eorum:  
flamma combussit peccatores.
19. Et fecerunt vitulum in Horeb,  
et adoraverunt sculptile.
20. Et mutaverunt gloriam suam  
in similitudinem vituli comedentis fœnum.
21. Obliti sunt Deum, qui salvavit eos,  
qui fecit magnalia in Aegypto,
22. mirabilia in terra Cham,  
terribilia in Mari rubro.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Et liberavit eos e manu osorum  
et redemit eos e manu inimici.
- Aquis nempe operuit persecutores eorum,  
ne unus quidem ex illis remansit.
- Tum crediderunt verbis Eius,  
et cecinerunt laudem Eius.
- M**ox obliti sunt operum Eius,  
et non exspectaverunt decretum Eius.
- Cepit eos cupido in deserto,  
et tentaverunt Deum in terra inaquosa.
- Et concessit iis petitum eorum,  
et misit supersaturitatem in ipsos.
- Et irritaverunt Mosem in castris,  
Aronem, sacerdotem Domini.
- Et aperuit se terra et deglutivit Dathanem,  
et operuit turbam Abironis.
- Et exarsit ignis in turba eorum,  
flamma combussit peccatores.
- Fecerunt vitulum ad Horebum,  
et adoraverunt simulacrum sculptile;  
et permutarunt gloriam ipsorum,  
cum imagine vituli comedentis herbam.
- Obliti sunt Dei, qui liberavit eos,  
qui magnalia fecerat in Aegypto,  
mirabilia in terra Chami,  
terribilia ad Mare rubrum.

**Sonus latinae Vulgatae.**

23. Et dixit, ut disperderet eos,  
si non Moyses electus eius  
stetisset in confractione in  
conspectu eius,  
ut averteret iram eius, ne  
disperderet eos:
24. et pro nihilo habuerunt terram  
desiderabilem:  
non crediderunt verbo eius.
25. et murmuraverunt in taber-  
naculis suis:  
non exaudierunt vocem Do-  
mini.
26. Et elevavit manum suam su-  
per eos,  
ut prosterneret eos in deserto:
27. et ut deiiceret semen eorum  
in nationibus,  
et dispergeret eos in regio-  
nibus.
28. Et initiati sunt Beelphegor,  
et comederunt sacrificia mor-  
tuum.
29. Et irritaverunt eum in adin-  
ventionibus suis,  
et multiplicata est in eis ruina.
30. Et stetit Phinees, et placavit,  
et cessavit quassatio.
31. Et reputatum est ei in iusti-  
tiam,  
in generationem et generatio-  
nem usque in sempiternum.
32. Et irritaverunt eum ad Aquas  
contradictionis,  
et vexatus est Moyses propter  
eos,
33. quia exacerbaverunt spiritum  
eius.  
Et distinxit in labiis suis:

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Tum decrevisset delere eos,  
nisi Moses, electus Eius, stetisset  
in ruptura coram Eo,  
ut averteret iram Eius, ne per-  
dat eos.
- E**t pro nihilo habuerunt terram  
desiderabilem,  
non crediderunt verbo Eius.
- Et murmuraverunt in tentoriis  
suis:  
non obediverunt voci Domini.
- Propterea elevans manum suam  
juravit eis,  
se prostraturum esse eos in de-  
serto,
- et proiectorum se esse semen  
eorum inter gentes  
et dispersurum eos per terras.
- Initiaverunt se Beel-Phegoro,  
et comederunt sacrificia mortuo-  
rum,
- et irritaverunt Eum facinoribus  
suis,  
et multiplicata est inter eos plaga.
- Tum surrexit Phinees et placavit,  
et cessavit plaga ista.
- Et hoc imputatum est ei pro iu-  
stitia —  
per omnes ætates in æternum.
- Etiam irritaverunt Eum ad aquas  
rixæ,  
et male actum est Mosi propter  
eos;
- nam exacerbaverunt spiritum eius  
ita,  
ut inconsiderate locutus sit labiis  
suis.

**Sonus latinae Vulgatae.**

34. non disperdiderunt gentes,  
quas dixit Dominus illis.
35. Et commisti sunt inter gentes,  
et dedicerunt opera eorum.
36. et servierunt sculptilibus eorum:  
et factum est illis in scandalum.
37. Et immolaverunt filios suos  
et filias suas dæmoniis.
38. Et effuderunt sanguinem innocentem,  
sanguinem filiorum suorum, et filiarum suarum,  
quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.  
Et infecta est terra in sanguinibus,
39. et contaminata est in operibus eorum,  
et fornicati sunt in adinventionibus suis.
40. Et iratus est furore Dominus in populum suum,  
et abominatus est hereditatem suam.
41. Et tradidit eos in manus gentium:  
et dominati sunt eorum, qui oderunt eos.
42. Et tribulaverunt eos inimici eorum,  
et humiliati sunt sub manibus eorum:
43. sæpe liberavit eos.  
Ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo,  
et humiliati sunt in iniquitatibus suis

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Non deleverunt gentes,  
quas dixerat Dominus iis;
- sed permiscuerunt se cum gentibus,  
et didicerunt opera eorum.
- Et servierunt idolis eorum,  
quæ facta sunt iis — laqueus.
- Sacrificarunt etiam filios suos,  
et filias suas — diis fictitiis.
- Et fuderunt sanguinem innocentem,  
sanguinem filiorum suorum et filiarum suarum,  
quos sacrificarunt idolis Cannaecis,  
ita ut profanata esset terra cædibus,
- et contaminata operibus eorum,  
qui fidem violabant facinoribus suis.
- Propterea exarsit irâ Dominus in populum suum,  
et abominatus est hereditatem suam.
- Tradidit eos in manus gentium,  
et dominati sunt in eos — osores eorum.
- Et tribulaverunt eos inimici eorum,  
et humiliati sunt sub manibus eorum.
- Multoties liberavit eos,  
illi autem exacerbaverunt Eum consilio suo,  
et inde humiliati sunt culpa sua.

**Sonus latinae Vulgatae.**

44. Et vidit, cum tribularentur,  
et audivit orationem eorum.
45. Et memor fuit testamenti sui,  
et pœnituit eum secundum  
multitudinem misericordiæ  
suæ.
46. Et dedit eos in misericordias  
in conspectu omnium, qui ce-  
perant eos.
47. Salvos nos fac, Dominus Deus  
noster,  
et congrega nos de nationibus,  
ut confiteamur nomini sancto  
tuo,  
et gloriemur in laude tua,
48. Benedictus Dominus Deus  
Israël  
a sæculo et usque in sæcu-  
lum,  
et dicet omnis populus: Fiat,  
fiat.

**Sensus latinae Vulgatae.**


- E**t tamen adspexit eos, cum tri-  
bularentur,  
cum audisset orationem eorum.
- et recordatus est fœderis sui,  
et misertus est pro magnitudine  
gratiæ suæ.
- Et fecit, ut misericordiam inve-  
nirent,  
coram omnibus, qui eos captivos  
tenebant.
- S**alvos fac nos, Domine, Deus  
noster,  
et collige nos ex gentibus,  
ut celebremus nomen Tuum san-  
ctum,  
ut gloriemur laude Tua!
- B**enedictus sit Dominus, Deus  
Israëlis,  
ab æternitate usque ad æterni-  
tatem!  
et dicat omnis populus: Amen,  
Amen!

**Notae ad Psalmum 105.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — ignotus — tempore exilii vivens (coll. v. 47.) commemorat beneficia Hebræis a Deo præstita — inde ab exitu ex Aegypto usque in ævum Judicum;

ad finem (v. 47.) precatur verbis ex Psalmo Davidis I. Par. 16, 35. de promptis, ut Deus populum inter gentes dispersum reducere dignetur. —

Nota. — Versus 48. (= I. Par. 16, 36.) est doxologia, qua liber psalmorum quartus terminatur.



# Lib er q u i n t u s .

(Psalmi 106.—150.)

## Psalmus 106.

### Gratiarum actio pro miraculoso Jehovae auxilio.

#### Sonus latinae Vulgatae.

Alleluia.

1. Confitemini Domino, quoniam bonus,  
quoniam in sæculum misericordia eius.
2. Dicant, qui redempti sunt a Domino,  
quos redemit de manu inimici,  
et de regionibus congregavit eos:
3. a solis ortu et occasu,  
ab aquilone et mari.
4. Erraverunt in solitudine in inaquoso:  
viam civitatis habitaculi non invenerunt,
5. esurientes, et sitientes:  
anima eorum in ipsis defecit.
6. Et clamaverunt ad Dominum,  
cum tribularentur,  
et de necessitatibus eorum eripuit eos.
7. Et deduxit eos in viam rectam,  
ut irent in civitatem habitationis.
8. Confiteantur Domino misericordiæ eius,  
et mirabilia eius filiis hominum.
9. Quia satiavit animam inanem,  
et animam esurgentem satiavit bonis:

#### Sensus latinae Vulgatae.

Halleluiah!

**L**audate Dominum, nam benignus est,  
nam in æternum manet gratia Eius!

Dicant redempti a Domino,  
quos redemit a manu inimici!  
et quos collegit e terris,

a solis ortu et ab occasu,  
a septemtrione et mari!

**E**rraverunt per desertum, per regionem inaquosam,  
non invenerunt viam ad civitatem,  
ubi habitare possent.

Esurientes fuerunt et sitientes,  
et defecit in eis anima eorum.

Tum clamaverunt ad Dominum  
in tribulatione sua;  
et eripuit eos ex angustiis eorum.

Et duxit eos in viam rectam,  
ut venirent in urbem, in qua habitare possent.

Utinam celebrent Dominum propter gratiam Eius,  
et propter miracula Eius in favorem hominum!

quod satiavit animam sitientem,  
et quod bonis satiavit animam esurgentem!

**Sonus latinae Vulgatae.**

10. sedentes in tenebris et umbra mortis:  
vinctos in mendicitate et ferro.
11. Quia exacerbaverunt eloquia Dei,  
et consilium Altissimi irritaverunt.
12. Et humiliatum est in laboribus cor eorum:  
infirmati sunt, nec fuit, qui adiuuaret.
13. Et clamaverunt ad Dominum,  
cum tribularentur,  
et de necessitatibus eorum liberavit eos.
14. Et eduxit eos de tenebris et umbra mortis,  
et vincula eorum dirupit.
15. Confiteantur Domino misericordiae eius,  
et mirabilia eius filiis hominum.
16. Quia contrivit portas aëreas,  
et vectes ferreos confregit.
17. Suscepit eos de via iniquitatis eorum:  
propter iniustitias enim suas humiliati sunt.
18. Omnem escam abominata est anima eorum,  
et appropinquaverunt usque ad portas mortis.
19. Et clamaverunt ad Dominum,  
cum tribularentur,  
et de necessitatibus eorum liberavit eos.
20. Misit verbum suum, et sanavit eos,  
et eripuit eos de interitionibus eorum.
21. Confiteantur Domino misericordiae eius,  
et mirabilia eius filiis hominum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Sederunt nempe in tenebris et in umbra mortis —  
miseria et ferro constricti;  
quia repugnaverunt eloquiis Dei,  
et irritum fecerunt consilium Altissimi.

Et humiliatum est cor eorum ærumnis,  
infirmati sunt, et non fuit adiutor.

Tum clamaverunt ad Dominum in tribulatione sua,  
et liberavit eos ex angustiis eorum.

Eduxit eos de tenebris et umbra mortis,  
et dirupit vincula eorum.

Utinam celebrent Dominum propter gratiam Eius,  
et propter miracula Eius in favorem hominum!

quod contrivit ianuas aëneas,  
et vectes ferreos confregit.

Liberavit eos de via eorum iniqua;  
nam propter iniustitias suas humiliati sunt.

Anima eorum abominata est omnem cibum,  
et pervenerunt usque ad portas mortis.

Tum clamaverunt ad Dominum in tribulatione sua,  
et ex angustiis eorum liberavit eos.

Misit mandatum suum et sanavit eos,  
et eripuit eos ex foveis eorum.

Utinam celebrent Dominum propter gratiam eius,  
et propter miracula Eius in favorem hominum!



**Sonus latinae Vulgatae.**

22. Et sacrificent sacrificium laudis,  
et annuntient opera eius in exultatione.
23. Qui descendunt mare in navibus,  
facientes operationem in aquis multis:
24. ipsi viderunt opera Domini,  
et mirabilia eius in profundo.
25. Dixit, et stetit spiritus procellæ,  
et exaltati sunt fluctus eius.
26. Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos;  
anima eorum in malis tabescebat.
27. Turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius,  
et omnis sapientia eorum devorata est.
28. Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur,  
et de necessitatibus eorum eduxit eos.
29. Et statuit procellam eius in auram,  
et siluerunt fluctus eius.
30. Et lætati sunt, quia siluerunt,  
et deduxit eos in portum voluntatis eorum.
31. Confiteantur Domino misericordiæ eius,  
et mirabilia eius filiis hominum.
32. Et exaltent eum in ecclesia plebis,  
et in cathedra seniorum laudent eum.
33. Posuit flumina in desertum,  
et exitus aquarum in sitim:

**Sensus latinae Vulgatae.**

et offerant sacrificia gratiarum,  
et læti enarrent opera Eius!

Qui navibus descenderunt in mare,  
qui fecerunt opus in aquis magnis;

illi viderunt opera Domini,  
et mirabilia Eius in profundo (maris).

Ipse voluit et stitit se spirans procella,  
et exaltati sunt fluctus eius.

Ascenderunt in cœlum, descenderunt usque in abyssos,  
in quo discrimine tabescebat animus eorum.

Vertigine correpti sunt et titubaverunt sicut ebrius,  
et omnis sapientia eorum periit.

Tum clamaverunt ad Dominum in tribulatione sua;  
et eduxit eos ex angustiis eorum.

Mutavit procellam in auram tranquillam,  
et siluerunt fluctus eius (maris).

Et lætati sunt, quod siluerunt;  
et perduxit eos ad portum desideratum.

Utinam celebrent Dominum propter gratiam Eius,  
et propter miracula Eius in salutem hominum!

Exaltent Eum in cœtu populi,  
et laudent Eum in consessu seniorum!

Convertit flumina in desertum,  
et fontes aquarum in terram sitientem.

**Sonus latinae Vulgatae.**

34. terram fructiferam in salsuginem,  
a malitia inhabitantium in ea.
35. Posuit desertum in stagna aquarum,  
et terram sine aqua in exitus eorum.
36. Et collocavit illic esurientes,  
et constituerunt civitatem habitationis.
37. Et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas,  
et fecerunt fructum nativitatis.
38. Et benedixit eis, et multiplicati sunt nimis,  
et iumenta eorum non minoravit.
39. Et pauci facti sunt, et vexati sunt  
a tribulatione malorum et dolore.
40. Effusa est contemptio super principes,  
et errare fecit eos in invio,  
et non in via.
41. Et adiuvit pauperem de inopia,  
et posuit sicut oves familias.
42. Videbunt recti, et lætabuntur,  
et omnis iniquitas oppilabit os suum.
43. Quis sapiens et custodiet hæc,  
et intelliget misericordias Domini?

**Sensus latinae Vulgatae.**

Terram frugiferam in salsam,  
propter malitiam incolarum eius.  
Convertit desertum in stagna aquarum,  
et terram sine aqua in fontes aquarum.  
Et habitare fecit ibi esurientes,  
qui fundarunt urbem, in qua habitarent;  
Et conseverunt agros et plantaverunt vineas,  
et acquisiverunt largum proventum.  
Et benedixit eis et aucti sunt valde,  
et iumenta eorum non minuit.

**Q**uum vero minuerentur et vexarentur —  
tribulatione malorum et ærumnis;

effusus est contemptus in principes,  
et errare fecit eos in deserto invio.

Pauperem autem ex inopia extulit;  
et numerosas reddidit familias instar gregis.

Vident id iusti et lætantur,  
et omnis iniquitas claudit os suum.

**Q**uicumque sapit, observet hæc,  
et attendat beneficia Domini!

**Notae ad Psalmum 106.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — ignotus — excitat ad gratias agendas Deo (1.—3.), qui miraculosum auxilium præstitit in deserto (4.—9.),  
in carcere et vinculis (10.—16.),  
in morbo periculoso (17.—22.),  
in immani maris procella (23.—32.), —  
Deo, cuius providentia manifesta apparet in fatis regionum et nationum (33.—43.).  
De tempore et occasione exarationis certi quid statui nequit.

## Psalmus 107.

**Exaudi me Domine!****Sonus latinae Vulgatae.**

1. Canticum Psalmi, ipsi David.
2. Paratum cor meum, Deus,  
paratum cor meum:  
cantabo et psallam in gloria  
mea.
3. Exsurge gloria mea,  
exsurge psalterium, et cithara:  
exurgam diluculo.
4. Confitebor tibi in populis, Do-  
mine,  
et psallam tibi in nationibus.
5. Quia magna est super cœlos  
misericordia tua,  
et usque ad nubes veritas tua.
6. Exaltare super cœlos, Deus,  
et super omnem terram glo-  
ria tua,
7. ut liberentur dilecti tui.  
Salvum fac dextera tua, et  
exaudi me:
8. Deus locutus est in sancto  
suo:  
Exultabo, et dividam Sichimam,  
  
et convallem tabernaculorum  
dimetiar.
9. Meus est Gaalad, et meus est  
Manasses,  
et Ephraim susceptio capitis  
mei.  
Iuda rex meus,
10. Moab lebes spei meæ.  
In Idumæam extendam cal-  
ceamentum meum:  
mihi alienigenæ amici facti  
sunt.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Canticum, Psalmus Davidis.

**P**aratum est cor meum, o Deus!  
paratum est cor meum;  
canam voce et fidibus de Gloria  
mea!

Expergiscere anima mea,  
expergiscere lyra et cithara,  
surgam diluculo!

Celebrabo Te inter populos, Do-  
mine,  
et canam Te inter nationes!

nam magna — super cœlos est  
gratia Tua,  
et usque ad nubes fides Tua!

Exaltare super cœlos, o Deus,  
et super omnem terram sit glo-  
ria Tua!

**U**t liberentur dilecti Tui;  
opem fer dextera Tua et ex-  
audi me!

Deus promisit per sanctitatem  
suam,  
quod exultabo et distribuam Si-  
chemum,  
et dimetiar vallem Tabernaculo-  
rum;

quod mihi est Gilead, mihi Ma-  
nasses,  
et Ephraim munimentum capitis  
mei,  
Iuda — rex meus;

quod Moab est pelvis mea sperata,  
quod in Idumæam proiicio cal-  
ceum meum,  
quod alienigeni (Philistœi) erunt  
mihi amici.

**Sonus latinae Vulgatae.**

11. Quis deducet me in civitatem munitam?  
quis deducet me usque in Idu-  
mæam?
12. Nonne tu, Deus, qui repulisti  
nos,  
et non exhibis Deus in virtu-  
tibus nostris?
13. Da nobis auxilium de tribu-  
latione,  
quia vana salus hominis.
14. In Deo faciemus virtutem,  
et ipse ad nihilum deducet  
inimicos nostros.

**Sensus latinae Vulgatae.**

**Q**uis ducit me ad civitatem mu-  
nitam?  
quis deducit me usque ad Idu-  
mæam?

Nonne Tu, o Deus, qui reiecisti  
nos?  
numquid non proficisceris, o Deus,  
cum exercitibus nostris?

Da nobis auxilium a tribulatore;  
nam vanum est auxilium huma-  
num!  
Deo adiuti agemus fortiter,  
et Ipse — ad nihilum rediget ini-  
micos nostros.

**Notae ad Psalmum 107.**

Psalmus hic, cuius auctor nominatur — David — compositus est —  
verbis hic illic mutatis ex psalmo 56, 8.—12. et 59, 62.—14. qua de causa re-  
spiciatur argumentum eorum.

De tempore, quo id factum est, nil certi statui potest.

**Psalmus 108.**

**Impium feriet maledictio.**

**Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem, Psalmus David.
2. Deus laudem meam ne ta-  
cueris,  
quia os peccatoris et os do-  
losi super me apertum est.
3. Locuti sunt adversum me lin-  
gua dolosa,  
et sermonibus odii circum-  
dederunt me,  
et expugnaverunt me gratis.
4. Pro eo, ut me diligerent, de-  
trahebant mihi:  
ego autem orabam.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram; — Psalmus  
Davidis.

**D**eus, quem laudo, ne taceas!  
nam apertum est contra me os  
improbum et dolosum;  
Loquuntur contra me lingua do-  
losa,  
et verbis odiossimis circumdant  
me,  
et impugnant me sine causa.  
Pro eo, ut me diligerent, detra-  
hunt mihi;  
ego vero preces fundo.

**Sonus latinae Vulgatae.**

5. Et posuerunt adversum me  
mala pro bonis,  
et odium pro dilectione mea.
6. Constitue super eum pecca-  
torem,  
et diabolus stet a dexteris eius.
7. Cum iudicatur, exeat conde-  
mnatus,  
et oratio eius fiat in peccatum.
8. Fiant dies eius pauci,  
et episcopatum eius accipiat  
alter.
9. Fiant filii eius orphani,  
et uxor eius vidua.
10. Nutantes transferantur, filii  
eius, et mendicent,  
et eiiciantur de habitationibus  
suis.
11. Scrutetur fœnerator omnem  
substantiam eius,  
et diripiant alieni labores eius.
12. Non sit illi adiutor:  
nec sit, qui misereatur pupillis  
eius.
13. Fiant nati eius in interitum:  
in generatione una deleatur  
nomen eius.
14. In memoriam redeat iniquitas  
patrum eius in conspectu Do-  
mini,  
et peccatum matris eius non  
deleatur.
15. Fiant contra Dominum semper  
et dispereat de terra memoria  
eorum:
16. Pro eo, quod non est recor-  
datus facere misericordiam.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Et tribuunt mihi mala pro bonis,  
et odium pro amore meo.

Admitte, ut sit ei improbus,  
qui stet ad dexteram eius adver-  
sarius!

Quum iudicatur, exeat condemna-  
tus,  
et preces eius imputentur ipsi pro  
peccato!

Dies eius sint pauci,  
et munus eius accipiat alius!

Liberi eius sint orphani,  
et uxor eius sit vidua!

Liberi eius instabiles vagentur et  
mendicent, —  
eiecti de habitationibus suis.

**E**xploret fœnerator omnes facul-  
tates eius,  
et alieni diripiant mercedem eius!

Ne sit illi ullus adiutor,  
Neve sit, qui misereatur orpha-  
norum eius!

Posteritas eius intereat;  
in generatione prima extinguatur  
nomen eius!

In memoriam revocetur apud Do-  
minum culpa patrum eius;  
et peccatum matris eius non ex-  
tinguatur!

ea sint coram Domino semper,  
et pereat de terra memoria  
eorum!

**E**o quod non cogitavit facere  
benevolentiam,

**Sonus latinae Vulgatae.**

17. Et persecutus est hominem inopem, et mendicum, et compunctum corde mortificare.
18. Et dilexit maledictionem, et veniet ei; et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo. Et induit maledictionem sicut vestimentum, et intravit sicut aqua in interiora eius, et sicut oleum in ossibus eius.
19. Fiant ei sicut vestimentum, quo operitur, et sicut zona, qua semper præcingitur.
20. Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum, et qui loquuntur mala adversus animam meam.
21. Et tu, Domine, Domine, fac mecum propter nomen tuum, quia suavis est misericordia tua. Libera me,
22. quia egenus et pauper ego sum, et cor meum conturbatum est intra me.
23. Sicut umbra, cum declinat, ablatus sum, et excussus sum sicut locustæ.
24. Genua mea infirmata sunt a ieiunio, et caro mea immutata est propter oleum.
25. Et ego factus sum opprobrium illis: viderunt me, et moverunt capita sua.
26. Adiuva me Domine Deus meus: salvum me fac secundum misericordiam tuam.

**Sensus latinae Vulgatae.**

et persecutus est hominem afflictum et pauperem, et fractum animo — interfectorum eum.

Dilexit enim maledictionem; — inde ea superveniet ei; aversatus est benedictionem; — ea itaque procul abest ab eo. Induebat maledictionem sicut vestimentum; — ea ergo intravit aquæ instar in intima eius, et olei instar in ossa eius.

Ea sit illi ut vestimentum, quo se operit, et instar cinguli, quo semper se præcingit.

Hæc sit a Domino merces eorum, qui mihi detrahunt, et eorum, qui contra me loquuntur mala!

**T**u vero, Jehova Domine, age causam meam propter nomen Tuum, nam suavis est gratia Tua; — Libera me!

Nam afflictus et pauper sum ego, et conturbatum est in me cor meum.

Evanesco sicut umbra, cum inclinat, et excutior — sicut locustæ.

Genua mea infirmata sunt præ ieiunio, et caro mea immutata est propter oleum deficiens.

Et sum iis in opprobrium; vident me et motitant capita sua.

Adiuva me, Domine, Deus mi; salvum me fac secundum gratiam Tuam!

**Sonus latinae Vulgatae.**

27. Et sciant, quia manus tua hæc,  
et tu, Domine, fecisti eam.
28. Maledicent illi, et tu benedices:  
qui insurgunt in me, confun-  
dantur,  
servus autem tuus lætabitur.
29. Induantur, qui detrahunt mihi,  
pudore:  
et operiantur sicut diploide  
confusione sua.
30. Confitebor Domino nimis in  
ore meo,  
et in medio multorum laudabo  
eum.
31. quia astitit a dexteris pauperis,  
ut salvam faceret a persequen-  
tibus animam meam.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Ii vero cognoscant, Tuam manum  
hanc esse,  
Te, o Domine, illud fecisse!
- Illi maledicunt, Tu vero benedixis;  
confundentur, qui in me insurgunt;  
servus autem Tuus lætabitur.
- Induantur ignominia, qui mihi de-  
trahunt,  
et operiantur contumelia, quasi  
tunica sua!
- Celebrabo nimis Dominum ore  
meo,  
et laudabo Eum in medio mul-  
torum;
- quod stat ad dexteram pauperis,  
ut liberet me ab iis, qui me per-  
sequuntur.

**Notae ad Psalmum 108.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer, — David — præ-  
dicit modo imprecatorio, qualia manent iniustos eorumque po-  
steros secundum sanctionem Legis (Deuteron. cap. 27. et 28.).

Utrum David psalmum hunc exaraverit contra inimicos suos in aula  
Sauli, an contra Achitofelem (coll. v. 8.) vel Semci (conf. II. Sam. 16,  
5.—13.), decerni nequit.

Nota. In finem rectæ interpretationis versuum 6.—15., 19.—20., et 29.  
respicienda sunt dicta de psalmis imprecatoriis (vide „Prælatio“ § 24. et 25.)

**Psalmus 109.****Victoria regis Messiae et sacerdotium Eius.****Sonus latinae Vulgatae.**

Psalmus David.

1. Dixit Dominus Domino meo:  
  
Sede a dexteris meis:  
donec ponam inimicos tuos  
scabellum pedum tuorum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Psalmus Davidis.

- D**ixit Dominus ad dominum  
meum:  
„Sede ad dexteram meam,  
usque dum posuero hostes Tuos  
scabellum pedibus Tuis!“

**Sonus latinae Vulgatae.****Sensus latinae Vulgatae.**

2. Virgam virtutis tuæ  
emittet Dominus ex Sion:  
dominare in medio inimicorum  
Tuorum.

Sceptrum potentiæ Tuæ  
protendit Dominus ex Sione,  
„Impera in mediis hostibus Tuis“.

3. Tecum principium in die vir-  
tutis tuæ in splendoribus san-  
ctorum:  
ex utero ante luciferum ge-  
nui te.

Tecum est principatus inde a die  
expeditionis bellicæ in ornatu  
sancto;  
ex utero ante auroram genui Te.

4. Iuravit Dominus, et non pœ-  
nitebit eum:  
Tu es sacerdos in æternum  
secundum ordinem Melchi-  
sedeck.

Iuravit Dominus, et non pœnite-  
bit Eum:  
„Tu es sacerdos in æternum secun-  
dum ordinem Melchisedechi.“

5. Dominus a dexteris tuis  
confregit in die iræ suæ reges.

Dominus ad dexteram Tuam,  
percutit in die iræ suæ reges.

6. Iudicabit in nationibus,  
implebit ruinas:  
conquassabit capita in terra  
multorum.

Exercet iudicium inter gentes,  
dat stragem perfectam,  
percutit capita in campo late pa-  
tente.

7. De torrente in via bibet,  
propterea exaltabit caput.

E torrente in via bibit,  
et hinc exaltat caput.

**Notae ad Psalmum 109.**

Auctor, argumentum et occasio. Regius psaltes — David — canit certam victoriam regis Messiae et sacerdotium Eius ad exemplum prisci Melchisedechi. (Gen. 14, 18.—20.)

Psalmo hoc cani Messiam ipsum, certum est ex verbis Christi Domini (Matth. 22, 41.—46. . .),

apostolorum Petri (Act. 2, 34) et Pauli (I. Cor. 15, 25.; Ephes. 1, 20.—22., Hebr. 1, 13.);

unde uno ore ss. Patres eum de Messia explicant.

Etiam antiqui Judæi — regni Messiani lætissimam propaga-  
tionem hoc psalmo cani statuebant.

Occasionem præbuit Davidi absque dubio illa divina promissio de regno perpetuo (II. Sam. 2, 7. . .; I. Par. 17.), quam cum promissionibus Abrahamo, Isaco et Jacobo factis de benedictione omnium gentium, et cum loco Gen. 49, 10. („non auferetur sceptrum de Juda . . .“) contulerit.



## Psalmus 110.

**L a u d e m u s D o m i n u m !****Sonus latinae Vulgatae.**

Alleluia.

1. Confitebor tibi, Domine, in  
toto corde meo:  
in consilio iustorum, et con-  
gregatione.
2. Magna opera Domini:  
exquisita in omnes voluntates  
eius.
3. Confessio et magnificentia  
opus eius,  
et iustitia eius manet in sæ-  
culum sæculi.
4. Memoriam fecit mirabilium  
suorum,  
misericors et miserator Do-  
minus:
5. escam dedit timentibus se.  
Memor erit in sæculum te-  
stamenti sui:
6. virtutem operum suorum an-  
nuntiabit populo suo,
7. ut det illis hereditatem gen-  
tium:  
opera manuum eius veritas,  
et iudicium.
8. Fidelia omnia mandata eius,  
confirmata in sæculum sæculi,  
facta in veritate et æquitate.
9. Redemptionem misit populo  
suo,  
mandavit in æternum testa-  
mentum suum.  
Sanctum, et terribile nomen  
eius:
10. initium sapientiæ timor Do-  
mini.  
Intellectus bonus omnibus fa-  
cientibus eum:  
laudatio eius manet in sæcu-  
lum sæculi.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Halleluiah!

**C**elebrabo Te, Domine, toto corde  
meo,  
in consessu iustorum et cœtu!

Magna sunt opera Domini,  
et conveniunt omni voluntati Eius!

Gloriosa et magnifica est ope-  
randi ratio Eius,  
et iustitia Eius manet in sæculum  
sæculi!

Memoriam fecit mirabilium suo-  
rum;  
benignus et misericors est Do-  
minus!

Escam dabat cultoribus suis,  
in æternum memor est fœderis  
sui!

Potentiam operum suorum notam  
fecit populo suo,  
dando illis hereditatem gentium.

Opera manuum Eius sunt fidelia  
et iusta,

firma sunt omnia mandata Eius;  
confirmata in sæculum sæculi,  
fundata in veritate et rectitudine.

Redemptionem misit populo suo,  
in æternum sancivit fœdus suum;

sanctum et terribile est nomen  
Eius!

Initium sapientiæ est timor Domini;

recta intelligentia est omnibus, qui  
sequuntur Eum.

Gloria Eius manet in sæculum  
sæculi!

**Notae ad Psalmum 110.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — ignotus — celebrat in psalmo hoc alphabetico — opera et beneficia divina populo electo præstita.

De tempore exarationis nil certi statui potest.

**Psalmus 111.****Beatus, qui timet Dominum!**

| Sonus latinae Vulgatae.                                                                                    | Sensus latinae Vulgatae.                                                                                         |
|------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| Alleluia reversionis Aggaei et Zachariae.                                                                  | Halleluia; in reversione Aggaei et Zachariae.                                                                    |
| 1. Beatus vir, qui timet Dominum:<br>in mandatis eius volet nimis.                                         | Beatus homo, qui timet Dominum;<br>qui valde delectatur mandatis Eius!                                           |
| 2. Potens in terra erit semen eius:<br>generatio rectorum benedicetur.                                     | Potens in terra erit semen eius,<br>genus proborum benedicetur.                                                  |
| 3. Gloria et divitiæ in domo eius,<br>et iustitia eius manet in sæculum sæculi.                            | Gloria et divitiæ sunt in domo eius,<br>et iustitia eius constans est omni tempore.                              |
| 4. Exortum est in tenebris lumen rectis:<br>misericors, et miserator, et iustus.                           | Iustus oritur in tenebris lux, —<br>Benignus et Misericors et Iustus.                                            |
| 5. Iucundus homo, qui miseretur et commodat,<br>disponet sermones suos in iudicio:                         | Beatus homo, qui miseretur et commodat,<br>qui disponit res suas secundum iustitiam!                             |
| 6. Quia in æternum non commovebitur.                                                                       | In æternum — non mutabit,                                                                                        |
| 7. In memoria æterna erit iustus:<br>ab auditione mala non timebit.<br>Paratum cor eius sperare in Domino, | in memoria æterna erit iustus,<br>non est, quod timeat a nuntio malo.<br>Paratum est cor eius sperare in Domino. |
| 8. confirmatum est cor eius:<br>non commovebitur, donec despiciat inimicos suos.                           | Confirmatum est cor eius; —<br>non nutat, usque dum despiciet inimicos suos.                                     |

**Sonus latinae Vulgatae.**

9. Dispersit dedit pauperibus:  
iustitia eius manet in sæculum  
sæculi,  
cornu eius exaltabitur in gloria.
10. Peccator videbit, et irascetur,  
dentibus suis fremet et tabescet:  
desiderium peccatorum peribit.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Largiter distribuit pauperibus,  
iustitia eius constans est omni  
tempore,  
cornu eius effert se cum gloria.

Impius videt id et irascitur,  
dentibus suis fremit et tabescit;

Desiderium impiorum evanescit.

**Notae ad Psalmum III.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — ignotus — delineat in hoc psalmo alphabetico — felicitatem hominis clementis et probi.

Occasio huius psalmi ignoratur.

**Psalmus 112.****L a u d a t e D o m i n u m !****Sonus latinae Vulgatae.**

- Alleluia.
1. Laudate, pueri, Dominum:  
laudate nomen Domini.
  2. Sit nomen Domini benedictum:  
ex hoc nunc, et usque in sæculum.
  3. A solis ortu usque ad occasum  
laudabile nomen Domini.
  4. Excelsus super omnes gentes  
Dominus,  
et super cælos gloria eius.
  5. Quis sicut Dominus Deus noster,  
qui in altis habitat,
  6. et humilia respicit  
in cælo et in terra?
  7. Suscitans a terra iuopem,  
et de stercore erigens pauperem,

**Sensus latinae Vulgatae.**

Halleluia!

Laudate, servi, Dominum,  
laudate nomen Domini!

Sit nomen Domini benedictum,  
ex hoc usque in sæculum!

A solis ortu usque ad occasum —  
laudetur nomen Domini!

Excelsus est super omnes gentes  
Dominus,  
et super cælos gloria Eius.

Quis sicut Dominus Deus noster,  
qui, licet in altis habitet,  
in profunda despicit  
in cælo et in terra?

Qui extollit ex pulvere inopem,  
et e fimeto erigit pauperem,

**Sonus latinae Vulgatae.**

8. ut collocet eum cum principibus,  
cum principibus populi sui.
9. Qui habitare facit sterilem in domo,  
matrem filiorum lætantem.

**Sensus latinae Vulgatae.**

ut collocet eum cum principibus,  
cum principibus populi sui.  
Qui facit, ut sterilis assuefiat domui —  
læta filiorum mater facta.

**Notae ad Psalmum 112.**

Auctor, argumentum et occasio. — Vates sacer — ignotus — celebrat hocce hymno Deum, qui humiles exaltat et sterili heræ benedictionem impertitur.

Occasio exarationis ignoratur.

**Psalmus 113.**

**Gloria Dei in exitu Israël ex Aegypto.** (v. 1.—18.)  
**Domine, Deus vive, age causam honoris Tui.** (v. 1.—8.)

**Sonus latinae Vulgatae.**

- Alleluia.
1. In exitu Israël de Aegypto,  
domus Iacob de populo barbaro.
  2. Facta est Iudæa sanctificatio eius,  
Israël potestas eius.
  3. Mare vidit et fugit:  
Iordanis conversus est retrorsum.
  4. Montes, exultaverunt ut arietes,  
et colles sicut agni ovium.
  5. Quid est tibi mare, quod fugisti,  
et tu Iordanis, quia conversus es retrorsum?
  6. Montes, exultastis sicut arietes,  
et colles, sicut agni ovium.
  7. A facie Domini mota est terra,  
a facie Dei Iacob.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Halleluiah!  
**Q**uum exiret Israël ex Aegypto,  
domus Iacobi e populo barbaro loquente,  
facta est Iudæa sanctuarium Eius,  
Israël imperium Eius.  
**M**are videns id fugit,  
Iordanes vertit se retrorsum.  
Montes subsilierunt ut arietes,  
et colles sicut agnelli.  
**Q**uid est tibi mare, quod fugis,  
et tibi Iordanes, quod vertis te retrorsum?  
Montes, quid subsilitis ut arietes,  
et colles sicut agnelli?  
**P**ræ conspectu Domini tremit terra,  
præ conspectu Dei Iacobi,

**Sonus latinae Vulgatae.**

8. Qui convertit petram in stagna  
aquarum,  
et rupem in fontes aquarum.
1. Non nobis, Domine, non nobis,  
sed nomini tuo da gloriam.
2. Super misericordia tua, et ve-  
ritate tua,  
nequando dicant gentes:  
Ubi est Deus eorum?
3. Deus autem noster in cœlo,  
omnia, quæcunque voluit, fecit.
4. Simulacra gentium, argentum  
et aurum,  
opera manuum hominum.
5. Os habent, et non loquentur:  
oculos habent, et non videbunt.
6. Aures habent, et non audient:  
nares habent, et non odorabunt.
7. Manus habent, et non palpa-  
bunt,  
pedes habent, et non ambu-  
labunt:  
non clamabunt in gutture suo.
8. Similes illis fiant, qui faciunt ea,  
et omnes, qui confidunt in eis.
9. Domus Israël speravit in Do-  
mino,  
adiutor eorum et protector  
eorum est.
10. Domus Aaron speravit in Do-  
mino,  
adiutor eorum et protector  
eorum est.
11. Qui timent Dominum, spera-  
verunt in Domino:  
adiutor et protector eorum est.

**Sensus latinae Vulgatae.**

qui convertit petram in lacus  
aquarum,  
et rupem in fontes aquarum.

**N**on nobis, Domine, non nobis,  
sed nomini Tuo da gloriam —

propter gratiam Tuam, et fidem  
Tuam!  
nequando dicant gentes:  
„Ubinam est Deus eorum?“

**E**t tamen Deus noster est in cœlo;  
quæcunque voluerit, facit.

Simulacra gentium sunt argentum  
et aurum,  
sunt opera manuum hominum.

Os habent, et non loquuntur,  
oculos habent, sed non vident;

aures habent, sed non audiunt,  
nares habent, sed non odorantur;

manus habent, sed non palpant,  
pedes habent, sed non incedunt,  
guttore suo non clamant.

Similes illis erunt, qui faciunt ea,  
et omnes, qui fiduciam collocant  
in eis.

**D**omus Israël fiduciam collocat  
in Domino;  
ipse est adiutor et protector eorum.

Domus Aaronis fiduciam collocat  
in Domino;  
ipse est adiutor et protector eorum.

Qui colunt Dominum, fiduciam col-  
locant in Domino;  
Ipse est adiutor et protector eorum.

**Sonus latinae Vulgatae.**

12. Dominus memor fuit nostri,  
et benedixit nobis:  
benedixit domui Israël,  
benedixit domui Aaron:
13. benedixit omnibus, qui timent  
Dominum,  
pusillis cum maioribus.
14. Adiiciat Dominus super vos:  
super vos, et super filios ve-  
stros.
15. Benedicti vos a Domino,  
qui fecit cælum et terram.
16. Cælum cæli Domino:  
terram autem dedit filiis ho-  
minum.
17. Non mortui laudabunt te, Do-  
mine,  
neque omnes, qui descendunt  
in infernum.
18. Sed nos, qui vivimus, bene-  
dicimus Domino  
ex hoc nunc et usque in sæ-  
culum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

**D**ominus est nostri memor, et  
benedicit nobis,  
benedicit domui Israël,  
benedicit domui Aaronis,

benedicit omnibus, qui colunt Do-  
minum,  
parvis et magnis.

Dominus augeat vos,  
vos et filios vestros!

**B**enedicti estote vos a Domino,  
qui fecit cælum et terram!

Cælum est — Domini cælum,  
terram vero hominibus concessit.

Non mortui laudabunt Te, Do-  
mine,  
nec ullus eorum, qui descenderunt  
in infernum;

sed nos, qui vivimus, celebramus  
Dominum,  
ab hoc usque in æternum.

**Notae ad Psalmum 113.**

Psalmus hic contractus est in latina Vulgata ex duobus psalmis textus hebraici — 114. et 115.; inde invenitur in hoc psalmo bina numeratio versuum, et quidem vv. 1.—8., qui constituunt hymnum, et vv. 1.—18.

Auctor, argumentum et occasio. — Vates sacer — ignotus — celebrat in prima parte vv. 1.—8. gloriam Dei in exitu Israël ex Aegypto,

in transitu per mare rubrum,

et in Arabia Petræa, ubi Deus populo suo aquas ex petra præbuit.

In altera autem parte vv. 1.—18. rogat Deum, ut populo suo opem ferat, ne gentes idololatræ blasphement Jehovam ceu imbecillem, cum tamen est omnipotens creator universi, idola autem inania et ridenda (1.—8.)

Dein excitat ad fiduciam collocandam in Domino, res populi electi fortunaturo, inde laudibus celebrando (v. 9.—18.).

Tempus exarationis et huius et illius partis ignoratur.

## Psalmus 114.

**Quomodo rependam Domino beneficia Eius in me?****Sonus latinae Vulgatae.**

Alleluia.

1. Dilexi, quoniam exaudiet Dominus  
vocem orationis meæ.
2. Quia inclinavit aurem suam  
mihi,  
et in diebus meis invocabo.
3. Circumdederunt me dolores  
mortis,  
et pericula inferni invenerunt  
me.  
Tribulationem et dolorem in-  
veni:
4. et nomen Domini invocavi.  
O Domine, libera animam  
meam:
5. misericors Dominus, et iustus,  
et Deus noster miseretur.
6. Custodiens parvulos Dominus:  
humiliatus sum, et liberavit me.
7. Convertere anima mea, in re-  
quiem tuam,  
quia Dominus benefecit tibi.
8. Quia eripuit animam meam  
de morte:  
oculos meos a lacrymis,  
pedes meos a lapsu.
9. Placebo Domino  
in regione vivorum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Halleluia!

**G**ratum mihi est, quod audit Do-  
minus —  
vocem orationis meæ;

nam inclinavit aurem suam ad me;

inde per totam vitam meam in-  
vocabo Eum.

**C**ingebant me dolores mortiferi,  
et pericula infernaliter invenerant  
me;  
tribulationem et dolorem expe-  
riebar.

Et invocavi nomen Domini:  
„O Domine, libera animam meam!“

**D**ominus est benignus et iustus,  
et Deus noster miseretur.

Dominus tuetur imperitos;  
humiliatus fui et liberavit me.

Redi anima mea ad quietem tuam,  
nam Dominus benefecit tibi!

Nam eripuit animam meam de  
morte,  
oculos meos a lacrimis,  
pedes meos a lapsu!

Placeo Domino —  
in terra inter vivos.

**Notae ad Psalmum 114.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — ignotus —  
gratias agit Deo pro liberatione ex magnis afflictionibus et ex  
periculo vitæ.

Tempus et occasio exarationis ignoratur.

## Psalmus 115.

**Fides salvavit me; inde publice gratias agam  
Domino debitas.**

| Sonus latinae Vulgatae.                                                                                  | Sensus latinae Vulgatae.                                                                                            |
|----------------------------------------------------------------------------------------------------------|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| Alleluia.                                                                                                | Halleluia!                                                                                                          |
| 10. Credidi, propter quod locutus sum:<br>ego autem humiliatus sum nimis.                                | Fidem habui, cum dicerem:<br>„Nimis humiliatus sum ego.“                                                            |
| 11. Ego dixi in excessu meo:<br>Omnis homo mendax.                                                       | Dicebam in consternatione mea:<br>„Omnis homo fallit.“                                                              |
| 12. Quid retribuam Domino<br>pro omnibus, quæ retribuit mihi?                                            | Quid retribuam Domino<br>pro omnibus, quæ tribuit mihi?                                                             |
| 13. Calicem salutaris accipiam,<br>et nomen Domini invocabo.                                             | Attolam calicem (in gratiarum actionem) pro accepta salute,<br>et nomen Domini invocabo;                            |
| 14. Vota mea Domino reddam<br>coram omni populo eius:                                                    | persolvam vota mea Domino,<br>coram omni populo Eius.                                                               |
| 15. pretiosa in conspectu Domini<br>mors Sanctorum eius.                                                 | Pretiosa est in oculis Domini<br>mors cultorum Eius.                                                                |
| 16. O Domine, quia ego servus tuus:<br>ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ.<br>Dirupisti vincula mea: | Quæso, Domine! — nam ego sum servus Tuus,<br>servus Tuus sum ego — filius ancillæ Tuæ;<br>Tu dirupisti vincula mea. |
| 17. tibi sacrificabo hostiam laudis,<br>et nomen Domini invocabo.                                        | Tibi sacrificabo sacrificium gratiarum actionis,<br>et invocabo nomen Domini.                                       |
| 18. Vota mea Domino reddam<br>in conspectu omnis populi eius:                                            | Vota mea Domino persolvam —<br>in conspectu omnis populi Eius; —                                                    |
| 19. in atriis domus Domini,<br>in medio tui, Jerusalem.                                                  | in atriis domus Domini,<br>in medio tuo Hierosolyma.                                                                |

## Notae ad Psalmum 115.

Latina Vulgata dividit unum psalmum textus hebraici — 116<sup>mum</sup> — in duos psalmos, ita ut versus 1.—9 constituat in latina Vulgata psalmum 114<sup>um</sup> et versus 10.—19. psalmum 115<sup>um</sup>, unde hic psalmus orditur versu decimo.

Idem valet etiam de psalmo 147<sup>mo</sup>.



## Psalmus 116.

**Dominum adorete omnes populi!****Sonus latinae Vulgatae.**

Alleluia.

1. Laudate Dominum omnes gentes:  
laudate eum omnes populi.
2. Quoniam confirmata est super nos misericordia eius,  
et veritas Domini manet in æternum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Halleluia!

**L**audate Dominum omnes gentes,  
laudate Eum omnes populi!  
Quoniam confirmata est super nos  
gratia Eius,  
et fides Domini manet in æternum!

**Notae ad Psalmum 116.**

Auctor, argumentum et occasio. — Vates sacer, — ignotus — excitat ad laudandum Jehovam ob clementiam Eius et ob fidem Eius in servandis promissis.

Tempus et occasio exarationis ignoratur.

## Psalmus 117.

**In dedicatione templi.****Sonus latinae Vulgatae.**

Alleluia.

1. Confitemini Domino, quoniam bonus:  
quoniam in sæculum misericordia eius.
2. Dicat nunc Israël:  
Quoniam bonus,  
quoniam in sæculum misericordia eius.
3. Dicat nunc domus Aaron:  
Quoniam in sæculum misericordia eius.
4. Dicant nunc, qui timent Dominum:  
quoniam in sæculum misericordia eius.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Hallelujah!

(Processio sacra inchoat.)

Celebrate Dominum, nam benignus est,  
nam in æternum manet gratia Eius!

Dicat nunc Israël:

„Benignus est,  
in æternum manet gratia Eius.“

Dicat nunc domus Aaronis:

„In æternum manet gratia Eius.“

Dicant nunc cultores Domini:

„In æternum manet gratia Eius.“

**Sonus latinae Vulgatae.**

5. De tribulatione invocavi Dominum,  
et exaudivit me in latitudine Dominus.
6. Dominus mihi adiutor: non timebo,  
quid faciat mihi homo.
7. Dominus mihi adiutor,  
et ego despiciam inimicos meos.
8. Bonum est confidere in Domino,  
quam confidere in homine:
9. bonum est sperare in Domino,  
quam sperare in principibus.
10. Omnes gentes circuierunt me,  
  
et in nomine Domini, quia ultus sum in eos.
11. Circumdantes circumdederunt me,  
et in nomine Domini, quia ultus sum in eos.
12. Circumdederunt me sicut apes,  
  
et exarserunt sicut ignis in spinis,  
et in nomine Domini, quia ultus sum in eos.
13. Impulsus eversus sum, ut caderem,  
et Dominus suscepit me.
14. Fortitudo mea, et laus mea Dominus,  
et factus est mihi in salutem.
15. Vox exultationis et salutis in tabernaculis iustorum.
16. Dexterā Domini fecit virtutem,  
dexterā Domini exaltavit me:  
dexterā Domini fecit virtutem.
17. Non moriar, sed vivam,  
et narrabo opera Domini.

**Sensus latinae Vulgatae.**

(Procedentes ad templum canunt.)

**E**x angustiis invocavi Dominum,  
et exaudivit me Dominus in spatium amplum educens me.

Dominus mihi astat, — non timeo,  
quid poterit facere mihi homo?

Dominus est mihi adiutor,  
ideo despicio inimicos meos.

Melius est confidere Domino,

quam fiduciam collocare in homine.

Melius est sperare in Domino,  
quam fiduciam collocare in principibus.

Et si circumdederint me omnes gentes,  
in nomine Domini certe exstirpabo eas.

Et si circumdederint me undique,  
in nomine Domini certe exstirpabo eas.

Et si circumdederint me sicut apes,  
et arserint sicut ignis in spinis,

in nomine Domini certe exstirpabo eas.

Impulsus eversus sum, ut caderem,  
sed Dominus subtus cepit me.

Fortitudo mea et laus mea est Dominus,  
erat enim mihi saluti.

Vox exultationis et salutis resonat in tabernaculis iustorum,

dexterā Domini præstat se fortem.  
Dexterā Domini exaltavit me,  
dexterā Domini præstat se fortem.

Non moriar, sed vivam,  
et narrabo opera Domini.

**Sonus latinae Vulgatae.**

18. Castigans castigavit me Dominus,  
et morti non tradidit me.
19. Aperite mihi portas iustitiæ,  
ingressus in eas confitebor Domino:
20. hæc porta Domini,  
iusti intrabunt in eam.
21. Confitebor tibi, quoniam exaudisti me,  
et factus es mihi in salutem.
22. Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes,  
hic factus est in caput anguli.
23. A Domino factum est istud,  
et est mirabile in oculis nostris.
24. Hæc est dies, quam fecit Dominus:  
exultemus, et lætemur in ea.
25. O Domine, salvum me fac,  
o Domine, bene prosperare:
26. benedictus, qui venit in nomine Domini.
27. Benediximus vobis de domo Domini.  
Deus Dominus, et illuxit nobis.
- Constituite diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris.
28. Deus meus est tu, et confitebor tibi:  
Deus meus es tu, et exaltabo te.  
Confitebor tibi, quoniam exaudisti me,  
et factus es mihi in salutem.
29. Confitemini Domino, quoniam bonus:  
quoniam in sæculum misericordia eius.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Dure castigavit me Dominus,  
sed morti non tradidit me.
- (Ante portam templi.)  
**A**perite mihi portas iustitiæ,  
ingrediar per eas et celebrabo Dominum!
- (Chorus ad portam templi exspectans populum.)  
**H**æc est porta Domini,  
iusti ingrediuntur per eam.
- Celebro Te, quod exaudivisti me,  
et fuisti mihi auxilium!
- Lapis, quem reprobaverant ædificantes,  
factus est caput anguli.
- A Domino factum est istud;  
et est mirabile in oculis nostris.
- Hæc est dies, quam fecit Dominus,  
exultemus et lætemur ea!
- O Domine salvum me fac,  
o Domine bene prospera!
- Benedictus sit, qui venit in nomine Domini,  
bona precamur vobis e domo Domini!
- Deus est Dominus, et dedit nobis lucem;  
constituite diem solemnem cum densis frondibus usque ad cornua altaris!
- (Processio respondet choro:)  
**D**eus meus es Tu, propterea celebrabo Te,  
Deus meus es Tu, propterea exaltabo Te!
- Celebro Te, quod exaudivisti me,  
et fuisti mihi auxilium!
- Celebrate Dominum, nam benignus est,  
nam in æternum manet gratia Eius!

**Notae ad Psalmum 117.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer, cuius nomen ignoratur, composuit hoc canticum triumphale, quo victor comitante populo ad sanctuarium procedens, Deo gratias agit pro liberatione ab hostibus, et animos recipit vincendi etiam alios quoscunque populos hostiles.

De tempore et occasione exarationis nil certi constat.

**Psalmus 118.**

**Tuus sum, o Domine; serva me!**

**Sonus latinae Vulgatae.**

Alleluia.

Aleph.

1. Beati immaculati in via,  
qui ambulant in lege Domini.
2. Beati, qui scrutantur testimonia eius,  
in toto corde exquirunt eum.
3. Non enim, qui operantur iniquitatem,  
in viis eius ambulaverunt.
4. Tu mandasti mandata tua  
custodiri nimis.
5. Utinam dirigantur viæ meæ  
ad custodiendas iustificationes tuas.
6. Tunc non confundar,  
cum perspexero in omnibus mandatis tuis.
7. Confitebor tibi in directione cordis,  
in eo, quod didici iudicia iustitiæ tuæ.
8. Iustificationes tuas custodiam:  
non me derelinquas usque-  
quaque.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Halleluiah!

Aleph.

- B**eati, quorum vita est immaculata;  
qui ambulant in lege Domini.
- Beati, qui scrutantur præcepta Eius,  
toto corde quærun Eum.
- Non enim, — qui operantur iniquitatem, —  
ambulant in viis Eius.
- Tu proposuisti mandata Tua,  
ut accurate custodiantur.
- Utinam dirigant se viæ meæ,  
ad custodienda statuta Tua!
- Tunc non confundar,  
si attendero ad omnia mandata Tua.
- Celebrabo Te sincero corde,  
eo quod didici iusta statuta Tua.
- Statuta Tua custodiam,  
ne derelinquas me unquam!

**Sonus latinae Vulgatae.****Beth.**

9. In quo corrigit adolescentior  
viam suam?  
In custodiendo sermones tuos.
10. In toto corde meo exquisivi te,  
ne repellas me a mandatis  
tuis.
11. In corde meo abscondi eloquia  
tua,  
ut non peccem tibi.
12. Benedictus es, Domine:  
doce me iustificationes tuas.
13. In labiis meis pronuntiavi  
omnia iudicia oris tui.
14. In via testimoniorum tuorum  
delectatus sum,  
sicut in omnibus divitiis.
15. In mandatis tuis exercebor,  
et considerabo vias tuas.
16. In iustificationibus tuis medi-  
tabor:  
non obliviscar sermones tuos.

**Gimel.**

17. Retribue servo tuo, vivifica me:  
et custodiam sermones tuos.
18. Revela oculos meos,  
et considerabo mirabilia de  
lege tua.
19. Incola ego sum in terra:  
non abscondas a me mandata  
tua.
20. Concupivit anima mea desi-  
derare  
iustificationes tuas in omni  
tempore.
21. Increpasti superbos:  
maledicti, qui declinant a man-  
datis tuis.

**Sensus latinae Vulgatae.****Beth.**

**Q**ua ratione rectam servabit ado-  
lescens viam suam?  
(Resp.) Custodiendo sermones Tuos.

Toto corde meo quæro Te,  
noli permittere, ut aberrem a man-  
datis Tuis!

In corde meo recondo eloquia Tua,  
ne peccem in Te.

Benedictus sis Tu, Domine!  
doce me statuta Tua!

Labiis meis enarro —  
omnia mandata oris Tui.

De via præceptorum Tuorum læ-  
tor,  
velut de quibuscunque divitiis.

In mandatis Tuis exerceo me,  
et respicio vias Tuas.

De præceptis Tuis meditor,  
non obliviscar sermonum Tuorum.

**Gimel.**

**B**enefac servo Tuo, ut vivam,  
et custodiam sermones Tuos!

Retege oculos meos,  
ut adspiciam mirabilia in lege  
Tua!

Peregrinus ego sum in terra;  
ne abscondas a me mandata Tua!

Comminuta est anima mea desi-  
derio —  
præceptorum Tuorum omni tem-  
pore.

Increpas superbos;  
maledicti sunt, qui declinant a man-  
datis Tuis.

**Sonus latinae Vulgatae.**

22. Aufer a me opprobrium et contemptum,  
quia testimonia tua exquisivi.
23. Etenim sederunt principes, et adversum me loquebantur:  
servus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis.
24. Nam et testimonia tua meditatio mea est,  
et consilium meum iustificationes tuæ.

**Daleth.**

25. Adhæsit pavimento anima mea:  
vivifica me secundum verbum tuum.
26. Vias meas enuntiavi et exaudisti me:  
doce me iustificationes tuas.
27. Viam iustificationum tuarum instrue me,  
et exercebor in mirabilibus tuis.
28. Dormitavit anima mea præ tædio:  
confirma me in verbis tuis.
29. Viam iniquitatis amove a me,  
et de lege tua miserere mei.
30. Viam veritatis elegi:  
iudicia tua non sum oblitus.
31. Adhæsi testimoniis tuis, Domine:  
noli me confundere.
32. Viam mandatorum tuorum curram,  
cum dilatasti cor meum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Aufer a me opprobrium et contemptum;  
nam præcepta Tua quæro!
- Licet consideant principes et contra me colloquantur;  
servus Tuus exercet se in præceptis Tuis.
- Nam præcepta Tua sunt meditatio mea;  
et consilarii mei — statuta Tua.

**Daleth.**

- P**ulveri adhæret anima mea;  
vivifica me secundum verbum Tuum!
- Vias meas Tibi propono et exaudis me;  
doce me statuta Tua!
- Viam præceptorum Tuorum doce me;  
et exercebo me in mirabilibus Tuis!
- Lacrimat anima mea præ maerore;  
erige me secundum promissa Tua!
- Viam falsam averte a me;  
et legem Tuam gratiose concede mihi!
- Viam veram elegi:  
mandatorum Tuorum non obliviscor.
- Adhæreo præceptis Tuis, Domine;  
noli permittere, ut confundar!
- Viam mandatorum Tuorum curram,  
cum illustraveris animum meum.

**Sonus latinae Vulgatae.**

He.

33. Legem pone mihi, Domine, viam iustificationum tuarum, et exquiram eam semper.
34. Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam; et custodiam illam in toto corde meo.
35. Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui.
36. Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam.
37. Averte oculos meos, ne videant vanitatem: in via tua vivifica me.
38. Statue servo tuo eloquium tuum in timore tuo.
39. Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum: quia iudicia tua iucunda.
40. Ecce, concupivi mandata tua: in æquitate tua vivifica me.

V a u.

41. Et veniat super me misericordia tua, Domine: salutare tuum secundum eloquium tuum.
42. Et respondebo exprobrantibus mihi verbum: quia speravi in sermonibus tuis.
43. Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque: quia in iudiciis tuis super-speravi.

**Sensus latinae Vulgatae.**

He.

**D**oce me, Domine, viam statutorum Tuorum, ut observem eam semper.

Doce me scrutari legem Tuam, et custodiam eam toto corde meo!

Ducas me in semitam mandatorum Tuorum, delector enim ea!

Fac, ut se inclinet cor meum ad præcepta Tua, et non ad avaritiam!

Averte oculos meos, ne delectentur vanitate; in via Tua vivifica me!

Imple servo Tuo verbum Tuum, quod refertur ad timorem Tui!

Averte a me opprobrium, quod timeo; nam iudicia Tua sunt bona!

Ecce desidero mandata Tua, iustitia Tua vivifica me!

V a u.

**V**eniat ergo super me gratia Tua, Domine! auxilium Tuum secundum promissionem Tuam!

Et respondebo iis, qui mihi aliquid exprobrant, me fiduciam collocare in promissis Tuis!

Neve subtrahas unquam ori meo verbum veritatis, nam mandata Tua exspecto!

**Sonus latinae Vulgatae.**

44. Et custodiam legem tuam semper:  
in sæculum et in sæculum sæculi.
45. Et ambulabam in latitudine,  
quia mandata tua exquisivi.
46. Et loquebar in testimoniis tuis  
in conspectu regum,  
et non confundebar.
47. Et meditabar in mandatis tuis,  
quæ dilexi.
48. Et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi,  
et exercebar in iustificationibus tuis.

**Zain.**

49. Memor esto verbi tui servo tuo,  
in quo mihi spem dedisti.
50. Hæc me consolata est in humilitate mea:  
quia eloquium tuum vivificavit me.
51. Superbi inique agebant usquequaque:  
a lege autem tua non declinavi.
52. Memor fui iudiciorum tuorum a sæculo, Domine,  
et consolatus sum.
53. Defectio tenuit me pro peccatoribus  
derelinquentibus legem tuam.
54. Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ,  
in loco peregrinationis meæ.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Et custodiam legem Tuam semper,  
in sæculum et in sæculum sæculi;
- et incedam in spatio amplo,  
nam mandata Tua curo;
- Et loquar de præceptis Tuis coram regibus,  
neque erubescam;
- et meditabor in mandatis Tuis,  
quæ adamavi.
- Admovebo etiam manus meas ad mandata Tua, quæ amo,  
et exercebo me in præceptis Tuis.

**Zain.**

- M**emor sis promissi Tui ad servum Tuum,  
respectu cuius mihi spem dedisti!
- Hoc me consolatur in miseria mea,  
quod verbum Tuum vivificat me.
- Superbi inique agunt semper,  
ego autem a lege Tua non declino.
- Memor sum iudiciorum Tuorum a temporibus inde antiquis, Domine,  
et consolor me.
- Aestus vehemens tenet me pro peccatoribus,  
qui derelinquunt legem Tuam.
- Obiecta cantici sunt mihi statuta Tua,  
in loco peregrinationis meæ.



**Sonus latinae Vulgatae.**

55. Memor fui nocte nominis Tui,  
Domine,  
et custodivi legem tuam.
56. Hæc facta est mihi,  
quia iustificationes tuas ex-  
quisivi.

**Heth.**

57. Portio mea, Domine, dixi,  
custodire legem tuam.
58. Deprecatus sum faciem tuam  
in toto corde meo:  
miserere mei secundum elo-  
quium tuum.
59. Cogitavi vias meas,  
et converti pedes meos in te-  
stimonia tua.
60. Paratus sum, et non sum tur-  
batus,  
ut custodiam mandata tua.
61. Funes peccatorum circumplexi  
sunt me:  
et legem tuam non sum oblitus.
62. Media nocte surgebam ad con-  
fitendum tibi,  
super iudicia iustificationis  
tuæ.
63. Particeps ego sum omnium  
timentium te,  
et custodientium mandata tua.
64. Misericordia tua, Domine, ple-  
na est terra:  
iustificationes tuas doce me.

**Teth.**

65. Bonitatem fecisti cum servo  
tuo, Domine,  
secundum verbum tuum.
66. Bonitatem, et disciplinam, et  
scientiam doce me,  
quia mandatis tuis credidi.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Memor sum nocte nominis Tui,  
Domine,  
et observo legem Tuam.

Hoc meum est,  
quod quæro præcepta Tua.

**Heth.**

**D**icere soleo: Pars mea, Domine,  
est: —  
custodire legem Tuam.

Deprecor Te ex toto corde meo,  
miserere mei secundum verbum  
Tuum!

Reputo vias meas,  
et reduco pedes meos ad præ-  
cepta Tua.

Parate et absque mora —  
custodio mandata Tua.

Laquei peccatorum circumdant me;  
ego autem legis Tuæ non obli-  
viscor.

Media nocte surgo, ut laudem Te—  
propter iusta iudicia Tua.

Sodalis sum omnibus, qui timent  
Te,  
iis nempe, qui custodiunt man-  
data Tua.

Clementia Tua, Domine, plena  
est terra,  
statuta Tua doce me!

**Teth.**

**B**enefacis servo Tuo, Domine,  
secundum promissum Tuum!

Rectam intelligentiam et scientiam  
doceas me,  
nam credo mandatis Tuis!

**Sonus latinae Vulgatae.**

67. Priusquam humiliarer, ego deliqui:  
propterea eloquium tuum custodivi.
68. Bonus es tu,  
et in bonitate tua doce me  
iustificationes tuas.
69. Multiplicata est super me ini-  
quitas superborum:  
ego autem in toto corde meo  
scrutabor mandata tua.
70. Coagulatum est sicut lac cor  
eorum:  
ego vero legem tuam medi-  
tatus sum.
71. Bonum mihi, quia humiliasti  
me,  
ut discam iustificationes tuas.
72. Bonum mihi lex oris tui  
super millia auri et argenti.

**Jod.**

73. Manus tuæ fecerunt me, et  
plasmaverunt me:  
da mihi intellectum, et discam  
mandata tua.
74. Qui timent te, videbunt me,  
et lætabuntur:  
quia in verba tua superspe-  
ravi.
75. Cognovi, Domine, quia æquitas  
iudicia tua,  
et in veritate tua humiliasti  
me.
76. Fiat misericordia tua, ut con-  
soletur me,  
secundum eloquium tuum ser-  
vo tuo.
77. Veniant mihi miserationes tuæ,  
et vivam:  
quia lex tua meditatio mea est.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Antequam humiliatus essem, de-  
liqui;  
nunc autem præceptum Tuum cu-  
stodio!
- Benignus es Tu,  
et propter benignitatem Tuam doce  
me statuta Tua!
- Multiplicata est super me iniuria  
superborum;  
ego autem toto corde scrutor man-  
data Tua!
- Coagulatum instar lactis est cor  
eorum;  
ego vero de lege Tua meditor!
- Bene mihi, quod humiliasti me,  
ut discerem statuta Tua!
- Maius bonum est mihi lex oris Tui,  
quam millia auri et argenti!

**Jod.**

- M**anus Tuæ fecerunt me et for-  
maverunt me;  
doceas me, ut discam mandata Tua!
- Cultores Tui vident me et lætantur,  
quod promissa Tua exspecto!
- Novi, Domine, iusta esse iudicia  
Tua,  
et quod ob fidelitatem Tuam hu-  
miliasti me!
- Sit, quæso, gratia Tua, solatio meo,  
secundum promissum Tuum servo  
Tuo factum!
- Contingat mihi misericordia Tua,  
ut vivam;  
nam lex Tua meditatio mea est!

**Sonus latinae Vulgatae.**

78. Confundantur superbi, quia iniuste iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.
79. Convertantur mihi timentes te, et qui noverunt testimonia tua.
80. Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, ut non confundar.

**C a p h.**

81. Defecit in salutare tuum anima mea,  
et in verbum tuum supersperavi.
82. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum,  
dicentes: Quando consolaberis me?
83. Quia factus sum sicut uter in pruina:  
iustificationes tuas non sum oblitus.
84. Quot sunt dies servi tui?  
Quando facies de persecutoribus me iudicium?
85. Narraverunt mihi iniqui fabulationes:  
sed non ut lex tua.
86. Omnia mandata tua veritas:  
inique persecuti sunt me:  
adiuva me.
87. Paulominus consummaverunt me in terra:  
ego autem non dereliqui mandata tua.
88. Secundum misericordiam tuam vivifica me,  
et custodiam testimonia oris tui.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Confundantur superbi, quia iniuste iniquitatem fecerunt in me; ego autem meditor te mandatis Tuis!
- Convertant se ad me cultores Tui, et ii, qui norunt præcepta Tua!
- Sit cor meum sincerum in statutis Tuis,  
ne pudore afficiar!

**C a p h.**

- A**nima mea tabescit desiderio auxilii Tui;  
in promissum enim Tuum spero!
- Oculi mei tabescunt desiderio promissi Tui,  
dum dico: „Quando consolaberis me?“
- Quamquam factus sum sicut uter in pruina;  
statutorum Tuorum non obliviscor!
- Quot sunt dies vitæ servi Tui?  
quando facies de persecutoribus meis iudicium?
- Iniqui narrant mihi fabulationes,  
quod non concordat cum lege Tua!
- Omnia mandata Tua sunt fidelia;  
sine causa persecuntur me;  
adiuva me!
- Non multum abfuit, quin perderent me hac in terra;  
ego vero non dereliqui mandata Tua!
- Secundum gratiam Tuam restituas me vitæ;  
et custodiam præcepta oris Tui!

**Sonus latinae Vulgatae.**

**L a m e d.**

89. In æternum, Domine,  
verbum tuum permanet in cœlo.
90. In generationem et generatio-  
nem veritas tua:  
fundasti terram, et permanet.
91. Ordinatione tua perserverat  
dies,  
quoniam omnia serviunt tibi.
92. Nisi, quod lex tua, meditatio  
mea est:  
tunc forte periissem in humi-  
litate mea.
93. In æternum non obliviscar iu-  
stificationes tuas:  
quia in ipsis vivificasti me.
94. Tuus sum ego, salvum me fac:  
quoniam iustificationes tuas  
exquisivi.
95. Me exspectaverunt peccatores,  
ut perderent me:  
testimonia tua intellexi.
96. Omnis consummationis vidi  
finem:  
latum mandatum tuum nimis.

**M e m.**

97. Quomodo dilexi legem tuam,  
Domine?  
tota die meditatio mea est.
98. Super inimicos meos pruden-  
tem me fecisti mandato tuo,  
quia in æternum mihi est.
99. Super omnes docentes me  
intellexi,  
quia testimonia tua meditatio  
mea est.
100. Super senes intellexi,  
quia mandata tua quæsivi.

**Sensus latinae Vulgatae.**

**L a m e d.**

- I**n æternum, o Domine,  
verbum Tuum firmiter stat in  
cœlo!
- Per omnes ætates manet fidelitas  
Tua,  
fundasti terram, eaque permanet!
- Ad ordinationem Tuam persistit  
dies,  
quia omnia serviunt Tibi!
- Nisi fuisset lex Tua meditatio mea;  
  
diu fors periissem in miseria mea!
- In æternum non obliviscar præ-  
ceptorum Tuorum;  
nam iis restituisti me vitæ!
- Tuus sum ego, serva me!  
nam præcepta Tua curo.
- Peccatores mihi insidiantur, ut  
perdant me;  
ego præcepta Tua attendo!
- Omnis rei perfectæ vidi finem,  
  
mandatum Tuum est nimis late  
patens!

**M e m.**

- Q**uam diligo legem Tuam,  
Domine!  
tota die est ea — meditatio mea.
- Inimicis meis prudentiorem fecisti  
me mandato Tuo,  
quoniam semper coram me est!
- Prudentior factus sum omnibus  
magistris meis,  
quoniam præcepta Tua sunt me-  
ditatio mea!
- Senioribus intelligentior evasi,  
quoniam mandata Tua attendo!

**Sonus latinae Vulgatae.**

101. Ab omni via mala prohibui  
pedes meos,  
ut custodiam verba tua.
102. A iudiciis tuis non declinavi,  
quia tu legem posuisti mihi.
103. Quam dulcia faucibus meis  
eloquia tua:  
super mel ori meo!
104. A mandatis tuis intellexi:  
propterea odivi omnem viam  
iniquitatis.

**Nun.**

105. Lucerna pedibus meis ver-  
bum tuum,  
et lumen semitis meis.
106. Iuravi, et statui  
custodire iudicia iustitiæ tuæ.
107. Humiliatus sum usquequaque,  
Domine: vivifica me secun-  
dum verbum tuum.
108. Voluntaria oris mei bene-  
placita fac, Domine:  
et iudicia tua doce me.
109. Anima mea in manibus meis  
semper,  
et legem tuam non sum ob-  
litus.
110. Posuerunt peccatores laque-  
um mihi,  
et de mandatis tuis non erravi.
111. Hereditate acquisivi testimo-  
nia tua in æternum:  
quia exultatio oris mei sunt.
112. Inclinavi cor meum ad fa-  
ciendas iustificationes tuas  
in æternum propter retribu-  
tionem.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Ab omni via mala cohibeo pedes  
meos,  
ut custodiam verba Tua!
- A statutis Tuis non recedo,  
quia Tu instituis me!
- Quam dulcia sunt palato meo elo-  
quia Tua,  
magis quam mel ori meo!
- Ex mandatis Tuis sapere disco;  
quapropter odio habeo omnem  
viam iniquam!

**Nun.**

- L**ucerna pedibus meis est verbum  
Tuum;  
et lux semitis meis!
- Quod iuravi, præsto —  
custodiens iusta mandata Tua!
- Humiliatus sum valde nimis;  
Domine, vivifica me secundum  
promissum Tuum!
- Fac, ut spontanea sacrificia oris  
mei sint beneplacita, Domine;  
et statuta Tua doceas me!
- Vita mea est continuo in palmis  
meis;  
verum legis Tuæ non obliviscor!
- Ponunt improbi laqueum mihi;  
ego autem a mandatis Tuis non  
aberro!
- Hereditatis instar teneo præcepta  
Tua in perpetuum;  
nam exultatio oris mei illa sunt!
- Flexi cor meum ad faciendum sta-  
tuta Tua —  
in æternum propter retributionem!

**Sonus latinae Vulgatae.****Samech.**

113. Iniquos odio habui,  
et legem tuam dilexi.
114. Adiutor, et susceptor meus  
es tu,  
et in verbum tuum super-  
speravi.
115. Declinate a me maligni,  
et scrutabor mandata Dei mei.
116. Suscipe me secundum elo-  
quium tuum, et vivam:  
et non confundas me ab ex-  
spectatione mea.
117. Adiuva me et salvus ero:  
et meditabor in iustificatio-  
nibus tuis semper.
118. Sprevisisti omnes discedentes  
a iudiciis tuis,  
quia iniusta cogitatio eorum.
119. Prævaricantes reputavi om-  
nes peccatores terræ:  
ideo dilexi testimonia tua.
120. Confige timore tuo carnes  
meas:  
a iudiciis enim tuis timui.

**Ain.**

121. Feci iudicium et iustitiam:  
non tradas me calumnianti-  
bus me.
122. Suspice servum tuum in bo-  
num:  
non calumnientur me superbi.
123. Oculi mei defecerunt in sa-  
lutare tuum:  
et in eloquium iustitiæ tuæ.
124. Fac cum servo tuo secundum  
misericordiam tuam,  
et iustificationes tuas doce me.

**Sensus latinae Vulgatae.****Samech.**

- Iniquos odio habeo,  
et legem Tuam amo!
- Adiutor et protector meus es Tu,  
in promissum Tuum spero nil  
hæsitans!
- Recedite a me malefici;  
observabo enim mandata Dei mei!
- Sustenta me secundum promissum  
Tuum, ut vivam;  
neque pudore me afficias propter  
spem meam!
- Adiuva me, ut salvus fiam,  
et continuo mediter in statutis  
Tuis!
- Contemnis omnes, qui discedunt  
a statutis Tuis;  
nam iniusta est cogitatio eorum!
- Omnes peccatores terræ reputo  
prævaricari;  
ideo diligo præcepta Tua!
- Fac, ut configatur caro mea ti-  
more Tui;  
nam iudicia Tua timeo!

**Ain.**

- Feci, quod iustum et rectum est,  
ne tradas me calumniantibus  
me!
- Sponde pro servo Tuo in bonum;  
ne calumnientur me superbi!
- Oculi mei tabescunt desiderio au-  
xilii Tui —  
et iustæ promissionis Tuæ!
- Fac cum servo Tuo secundum  
gratiam Tuam;  
et statuta Tua doce me!

**Sonus latinae Vulgatae.**

125. Servus tuus sum ego: da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.
126. Tempus faciendi, Domine: dissipaverunt legem tuam.
127. Ideo dilexi mandata tua super aurum et topazion.
128. Propterea ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.

**P h e.**

129. Mirabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea.
130. Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.
131. Os meum aperui, et attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam.
132. Aspice in me, et miserere mei, secundum iudicium diligentium nomen tuum.
133. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei omnis iniustitia.
134. Redime me a calumniis hominum, ut custodiam mandata tua.
135. Faciem tuam illumina super servum tuum, et doce me iustificationes tuas.
136. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Servus Tuus sum ego; instrue me, ut cognoscam praecepta Tua!
- Tempus est, ut agas, Domine; violant enim legem Tuam!
- Ideo diligo mandata Tua — magis quam aurum, quam lapidem pretiosum.
- Ideo dirigo me ad omnia mandata Tua, omnem viam iniquam odio habeo!

**P h e.**

- Mirabilia sunt praecepta Tua! ideo scrutatur ea anima mea.
- Interpretatio verborum Tuorum illuminat, et intellectum dat imperitis!
- Os meum distendo et spiritum attraho, desidero enim mandata Tua!
- Aspice in me et miserere mei — secundum ius eorum, qui diligunt nomen Tuum!
- Fac, ut dirigant se gressus mei secundum verbum Tuum; neque permittas, ut dominetur in me ulla iniustitia!
- Libera me a calumniis hominum, ut possim custodire mandata Tua!
- Fac, ut facies Tua sit gratiosa in servum Tuum, et doce me statuta Tua!
- Rivos lacrimarum demittunt oculi mei — propter eos, qui non custodiunt legem Tuam.

**Sonus latinae Vulgatae.**

S a d e.

137. Iustus es, Domine,  
et rectum iudicium tuum.
138. Mandasti iustitiam, testimo-  
nia tua  
et veritatem tuam nimis.
139. Tabescere me fecit zelus meus,  
quia obliti sunt verba tua  
inimici mei.
140. Ignitum eloquium tuum ve-  
hementer,  
et servus tuus dilexit illud.
141. Adolescentulus sum ego, et  
contemptus:  
iustificationes tuas non sum  
oblitus.
142. Iustitia tua, iustitia in æter-  
num  
et lex tua veritas.
143. Tribulatio et angustia inve-  
nerunt me:  
mandata tua meditatio mea  
est.
144. Aequitas testimonia tua in  
æternum:  
intellectum da mihi, et vivam.

C o p h.

145. Clamavi in toto corde meo:  
exaudi me,  
Domine; iustificationes tuas  
requiram.
146. Clamavi ad te; salvum me  
fac,  
ut custodiam mandata tua.
147. Præveni in maturitate et cla-  
mavi,  
quia in verba tua superspe-  
ravi.

**Sensus latinae Vulgatae.**

S a d e.

- Iustus es Tu, Domine,  
et rectum est iudicium Tuum!
- Decrevisti præcepta Tua iusta,  
et fidelia nimis!
- Consumit me indignatio mea,  
quod obliviscuntur verborum Tuo-  
rum inimici mei!
- Ignem probatum est verbum Tuum  
valde;  
et servus Tuus diligit illud!
- Iuvenis sum ego et contemptus;  
attamen præceptorum Tuorum non  
sum oblitus!
- Tua iuris norma est iusta in æ-  
ternum,  
et lex Tua est veritas!
- Quamquam tribulatio et angustiae  
incidunt mihi;  
sunt mandata Tua meditatio mea!
- Iusta sunt præcepta Tua in æter-  
num;  
intelligentem me redde, ut vivam!

C o p h.

- Toto corde clamo, exaudi me!  
Domine, statuta Tua quæram!
- Clamo ad Te; salvum me, fac;  
et custodiam mandata Tua!
- Anteverto crepusculum matutinum  
et vociferor;  
spero enim in promissa Tua!



**Sonus latinae Vulgatae.**

148. Prævenerunt oculi mei ad te  
diluculo,  
ut meditarer eloquia tua.
149. Vocem meam audi secundum  
misericordiam tuam, Domine:  
et secundum iudicium tuum  
vivifica me.
150. Appropinquaverunt perse-  
quentes me iniquitati:  
a lege autem tua longe facti  
sunt.
151. Prope es tu, Domine:  
et omnes viæ tuæ veritas.
152. Initio cognovi de testimoniis  
tuis,  
quia in æternum fundasti ea.

**Res.**

153. Vide humilitatem meam, et  
eripe me:  
quia legem tuam non sum  
oblitus.
154. Iudica iudicium meum, et re-  
dime me:  
propter eloquium tuum vi-  
vifica me.
155. Longe a peccatoribus salus:  
quia iustificationes tuas non  
exquisierunt.
156. Misericordiæ tuæ multæ, Do-  
mine:  
secundum iudicium tuum vi-  
vifica me.
157. Multi, qui persequuntur me,  
et tribulant me:  
a testimoniis tuis non de-  
clinavi.
158. Vidi prævaricantes, et tabes-  
cebam,  
quia eloquia tua non custo-  
dierunt.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Directi sunt oculi mei ad Te di-  
luculo,  
ut meditarer eloquia Tua!
- Vocem meam audi secundum gra-  
tiam Tuam, Domine;  
et secundum statutum Tuum vi-  
vifica me!
- Iniquitati appropinquant, qui per-  
sequuntur me,  
qui procul absunt a lege Tua!
- Propinquus es Tu, Domine,  
et omnes viæ Tuæ sunt fideles!
- Iam dudum didici ex præceptis  
Tuis,  
Te constituisse illa in æternum!

**Res.**

- R**espice afflictionem meam et  
eripe me,  
quia legis Tuæ non obliviscor!
- Age causam meam et redime me;  
secundum promissum Tuum vi-  
vifica me!
- Procul abest ab improbis salus;  
nam statuta Tua non curant!
- Misericordia Tua magna est, Do-  
mine;  
secundum statutum Tuum vivifica  
me!
- Multi sunt, qui persequuntur me,  
et tribulant me;  
a præceptis Tuis non deflecto.
- Quando video prævaricantes, ta-  
besco,  
eo quod eloquia Tua non custo-  
diunt.

**Sonus latinae Vulgatae.**

159. Vide, quoniam mandata tua dilexi,  
Domine: in misericordia tua vivifica me.
160. Principium verborum tuorum veritas:  
in æternum omnia iudicia iustitiæ tuæ.

**Sin.**

161. Principes persecuti sunt me gratis:  
et a verbis tuis formidavit cor meum.
162. Lætabor ego super eloquia tua,  
sicut qui invenit spolia multa.
163. Iniquitatem odio habui, et abominatus sum:  
legem autem tuam dilexi.
164. Septies in die laudem dixi tibi  
super iudicia iustitiæ tuæ.
165. Pax multa diligentibus legem tuam,  
et non est illis scandalum.
166. Expectabam salutare tuum, Domine,  
et mandata tua dilexi.
167. Custodivit anima mea testimonia tua,  
et dilexit ea vehementer.
168. Servavi mandata tua et testimonia tua,  
quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

**T a u.**

169. Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo, Domine:  
iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Videas, me diligere mandata Tua,  
Domine, secundum gratiam Tuam vivifica me!
- Summa verborum Tuorum est fidelitas;  
in æternum stant omnes sententiæ Tuæ iustæ.

**Sin.**

- P**rincespersequuntur me sine causa;  
sed a verbis Tuis tantum timet cor meum!
- De eloquiis Tuis lætor —  
tamquam is, qui invenit prædam magnam!
- Iniquitatem odio habeo et abominor,  
legem autem Tuam diligo!
- Septies per diem laudem Tibi dico,  
propter iudicia Tua iusta!
- Pax magna est iis, qui diligunt legem Tuam,  
et non est iis offendiculum!
- Exspecto auxilium Tuum, Domine!  
et mandata Tua diligo!
- Custodit anima mea præcepta Tua;  
nam diligo ea valde!
- Observo mandata et edicta Tua;  
nam omnes viæ meæ coram Te patent!

**T a u.**

- A**ppropinquet deprecatio mea in conspectum Tuum, Domine;  
secundum promissum Tuum instruas me!

**Sonus latinae Vulgatae.**

170. Intret postulatio mea in conspectu tuo:  
secundum eloquium tuum eripe me.
171. Eructabunt labia mea hymnum,  
cum docueris me iustificationes tuas.
172. Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum,  
quia omnia mandata tua æquitas.
173. Fiat manus tua, ut salvet me:  
quoniam mandata tua elegi.
174. Concupivi salutare tuum, Domine:  
et lex tua meditatio mea est.
175. Vivet anima mea, et laudabit te,  
et iudicia tua adiuwabunt me,
176. Erravi, sicut ovis, quæ periit;  
quære servum tuum,  
quia mandata tua non sum oblitus.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Veniat supplicatio mea ad Te;  
secundum verbum Tuum libera me!
- Labia mea ebullient laudem,  
eo quod doces me statuta Tua!
- Lingua mea celebrabit eloquium Tuum,  
quia omnia mandata Tua sunt iusta!
- Sit manus Tua ad salvandum me,  
nam mandata Tua elegi!
- Desidero auxilium Tuum, Domine!  
et lex Tua meditatio mea est!
- Vivat anima mea, ut laudet Te,  
et statuta Tua iuvent me!
- Quando oberro sicut ovis perdita,  
require servum Tuum!  
nam mandatorum Tuorum non obliviscor!

**Notae ad Psalmum 118.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — ignotus celebrans præcepta et promissa divina, beatum prædicat eum, qui ea observat et simul ex toto corde optat, ut lumine divino illustratus eorum sit semper studiosissimus. —

De tempore et occasione exarationis nil certi dici potest.

Psalmus hic constat viginti duobus octostichis. Omnes 8. versus primi octostichi incipiunt in textu originali litera „alef“; secundi octostichi litera „bet“ et sic porro iuxta alfabetum hebraicum.

Psalmus hic recitatur in officio sacro ad Primam (vv. 1—32.) ad Tertiam (vv. 33.—80.), ad Sextam (81.—128.), ad Nonam (vv. 129.—176. usque ad finem). —

Clericus elegit Dominum partem hæreditatis suæ, inde aptissime in memoriam sibi revocat quotidie sententiam huius psalmi primariam: „Tuus sum, o Domine, serva me!“ (v. 94.)

## Psalmus 119.

### **Domine libera me a vicinis rixosis!**

| <b>Sonus latinae Vulgatae.</b>                                                                     | <b>Sensus latinae Vulgatae.</b>                                                                          |
|----------------------------------------------------------------------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| 1. Canticum graduum.<br>Ad Dominum, cum tribularer<br>clamavi:<br>et exaudivit me.                 | Canticum graduum.<br><b>A</b> d Dominum, cum tribulor,<br>clamo,<br>et exaudit me.                       |
| 2. Domine, libera animam meam<br>a labiis iniquis,<br>et a lingua dolosa.                          | Domine, libera animam meam a<br>labiis iniquis;<br>a lingua dolosa!                                      |
| 3. Quid detur tibi aut quid ap-<br>ponatur tibi ad linguam do-<br>losam?                           | Quid dabitur tibi et quid appo-<br>netur — lingua dolosa?                                                |
| 4. Sagittæ potentis acutæ,<br>cum carbonibus desolatoriis.                                         | (Resp.) Sagittæ herois acutæ cum<br>prunis desolationem causantibus.                                     |
| 5. Heu mihi, quia incolatus meus<br>prolongatus est:<br>habitavi cum habitantibus Ce-<br>dar:      | <b>V</b> æ mihi, quod commoratio mea<br>prolongatur;<br>habito inter incolas Kedar!                      |
| 6. multum incola fuit anima mea.                                                                   | Multum iam habitat anima mea —                                                                           |
| 7. Cum his, qui oderunt pacem,<br>eram pacificus: cum loquebar<br>illis,<br>impugnabant me gratis. | cum iis, qui oderunt pacem!<br>Ego sum pacificus, verum cum<br>eos alloquor,<br>impugnant me sine causa! |

### **Notae ad Psalmum 119.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — ignotus — conqueritur de perfidia et hypocrisi hominum, inter quos versabatur. —

De tempore exarationis nil certi constat.

Canticum graduum seu canticum graduale idem est quod canticum ascensionum, seu peregrinationum sacrarum; i. e. canticum, quod a Judæis Hierosolymam ad festa Paschatis, Pentecostes et Tabernaculorum ascendentibus decantari solebat. Sic vocantur 15 psalmi 119.—133. (vide „Præfatio“ § 22).

## Psalmus 120.

**D o m i n u s   n o s   t u e t u r .****Sonus latinae Vulgatae.****Sensus latinae Vulgatae.**

- 1 Canticum graduum.  
Levavi oculos meos in montes,  
unde veniet auxilium mihi.
2. Auxilium meum a Domino,  
qui fecit cælum et terram.
3. Non det in commotionem pe-  
dem tuum:  
neque dormitet, qui custodit te.
4. Ecce non dormitabit, neque  
dormiet,  
qui custodit Israël.
5. Dominus custodit te,  
Dominus protectio tua, super  
manum dexteram tuam.
6. Per diem sol non uret te,  
neque luna per noctem.
7. Dominus custodit te ab omni  
malo:  
custodiat animam tuam Do-  
minus.
8. Dominus custodiat introitum  
tuum et exitum tuum:  
ex hoc nunc et usque in sæ-  
culum.

- Canticum graduum.  
**A**ttollo oculos meos ad montes;  
unde venit auxilium mihi.
- Auxilium meum venit a Domino,  
qui fecit cælum et terram.
- N**e sinat titubare pedem tuum;  
Ne dormitet custos tuus!
- Ecce non dormitat neque dormit —  
Ille, qui custodit Israël!
- D**ominus custodit te;  
Dominus est protectio tua ad  
manum dexteram tuam.
- Per diem te non punget sol,  
nec luna per noctem.
- D**ominus custodiet te ab omni  
malo;  
custodiet animam tuam Dominus.
- Dominus custodiet introitum tuum  
et exitum tuum;  
ex hoc nunc et usque in sæculum.

**Notae ad Psalmum 120.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer ignotus —  
auxilium divinum promittit ei, qui sincero illius desiderio  
flagrat. —

De tempore exarationis nil certi constat.

(Die „Canticis graduum“ vide „Præfatio“ § 22.)

## Psalmus 121.

**Rogate pacem Jerosolimae, loco peregrinationis nostro!****Sonus latinae Vulgatae.****Sensus latinae Vulgatae.**

1. Canticum graduum.  
Lætatus sum in his, quæ dicta  
sunt mihi:  
In domum Domini ibimus.
2. Stantes erant pedes nostri  
in atriis tuis, Ierusalem:
3. Ierusalem, quæ ædificatur  
ut civitas, cuius participatio  
eius in idipsum.
4. Illuc enim ascenderunt tribus,  
tribus Domini,  
testimonium Israël  
ad confitendum nomini Domini.
5. Quia illic sederunt sedes in  
iudicio,  
sedes super domum David.
6. Rogate, quæ ad pacem sunt  
Ierusalem:  
et abundantia diligentibus te.
7. Fiat pax in virtute tua,  
et abundantia in turribus tuis.
8. Propter fratres meos et pro-  
ximos meos  
loquebar pacem de te:
9. propter domum Domini Dei  
nostri  
quæsivi bona tibi.

Canticum graduum.  
**L**ætator de illis, a quibus dicitur  
mihi:  
„Ibimus in domum Domini.“

Stant pedes nostri  
in atriis tuis, o Ierosolyma!

**O** Ierosolyma reædificata —  
sicut civitas, cuius partes  
invicem cohærent!

Illuc enim ascendunt tribus,  
tribus Domini.  
Præceptum est Israël, —  
ut laudet nomen Domini.

Ibi enim constitutæ sunt sedes  
iudicii —  
sedes domus Davidicæ.

**R**ogate pacem Ierosolymæ!  
et abundantia sit iis, qui diligunt te!

Sit pax in muris tuis,  
abundantia in palatiis tuis!

Propter fratres et proximos meos,  
dicturus sum: „Sit pax in te!“

Propter domum Domini, Dei nostri,  
quæsiturus sum bona tibi!

**Notae ad Psalmum 121.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer ignotus — læ-  
tatur conspiciens cultores Jehovæ peregrinantes Ierosolymam,  
quæ ab ædificiorum multitudine, hominum frequentia, religione  
et tribunalibus laudatur et cui omnia bona faustaue optantur.

De tempore exarationis certi quid statui nequit.

(De „Canticis graduum“ vide „Præfatio“ § 22.)

## Psalmus 122.

**O Deus, averte a nobis irrisionem  
et contemptum!**

**Sonus latinae Vulgatae.**

1. Canticum graduum.  
Ad te levavi oculos meos,  
qui habitas in cœlis.
2. Ecce sicut oculi servorum in  
manibus dominorum suorum,  
sicut oculi ancillæ in manibus  
dominæ suæ:  
ita oculi nostri ad Dominum  
Deum nostrum,  
donec miscreatur nostri.
3. Miserere nostri, Domine, mi-  
sere nostri,  
quia multum repleti sumus  
despectione:
4. quia multum repleta est anima  
nostra:  
opprobrium abundantibus et  
despectio superbis.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Canticum graduum.

**O**culos meos levo ad Te,  
qui resides in cœlis!

Ecce, ut oculi servorum dirigun-  
tur in manus domini ipsorum,  
ut oculi ancillæ in manus heræ  
ipsius;  
sic oculi nostri ad Dominum Deum  
nostrum,  
donec miscreatur nostri!

**M**iserere nostri, Domine, mise-  
rere nostri;  
nam multum repleti sumus con-  
temptu!

Multum repleta est anima nostra;—  
irrisioni sumus opulentorum et de-  
spectui superbiorum!

**Notae ad Psalmum 122.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — ignotus —  
implorat auxilium divinum contra irrisores et cavillatores.

Tempus exarationis ignoratur.

(De „Canticis graduum“ vide „Præfatio“ § 22)

## Psalmus 123.

**Dominus nos liberavit.**

**Sonus latinae Vulgatae.**

1. Canticum graduum.  
Nisi quia Dominus erat in  
nobis,  
dicat nunc Israël:

**Sensus latinae Vulgatae.**

Canticum graduum.

**N**isi Dominus fuisset nobis-  
„cum“ —  
dicat nunc Israël! —

**Sonus latinae Vulgatae.**

2. nisi quia Dominus erat in nobis,  
cum exsurgerent homines in  
nos,
3. forte vivos deglutissent nos:  
cum irasceretur furor eorum  
in nos,
4. forsitan aqua absorbuisset nos.
5. Torrentem pertransivit anima  
nostra:  
forsitan pertransisset anima  
nostra  
aquam intolerabilem.
6. Benedictus Dominus, qui non  
dedit nos  
in captionem dentibus eorum.
7. Anima nostra sicut passer  
erepta est  
de laqueo venantium:  
laqueus contritus est,  
et nos liberati sumus.
8. Adiutorium nostrum in no-  
mine Domini,  
qui fecit cælum et terram.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Nisi Dominus fuisset nobiscum, —  
cum surgerent contra nos homi-  
nes;  
forsan vivos devorassent nos,  
cum exardesceret furor eorum  
contra nos!  
Forsitan aquæ obruissent nos,  
torrentem transiisset anima nostra!  
Forsitan transiisset anima nostra—  
aquam intolerabilem!  
Benedictus sit Dominus, qui non  
dedit nos —  
prædam dentibus eorum!  
Anima nostra erepta est sicut  
avis —  
ex laqueo venantium;  
laqueus ruptus est —  
et nos liberati sumus!  
A diutorium nostrum est in no-  
mine Domini,  
qui fecit cælum et terram!

**Notae ad Psalmum 123.**

Auctor, argumentum et occasio. — Vates sacer — David —  
ratias agit nomine populi — Deo, sine cuius auxilio perlisset. —  
Occasio exarationis ignoratur.  
(De „Canticis graduum“ vide „Præfatio“ § 22.)

**Psalmus 124.**

**Dominus est arx iustorum.**

**Sonus latinae Vulgatae.**

1. Canticum graduum.  
Qui confidunt in Domino, si-  
cut mons Sion:  
non commovebitur in æternum,  
qui habitat  
in Ierusalem.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Canticum graduum.  
Qui in Dominum confidunt, sunt  
instar montis Sionis;  
non nutat in æternum, qui ha-  
bitat —  
Ierosolymæ.



**Sonus latinae Vulgatae.**

Montes in circuitu eius:  
et Dominus in circuitu populi  
sui,  
ex hoc nunc et usque in sæ-  
culum,

3. quia non relinquet Dominus  
virgam peccatorum  
super sortem iustorum,  
ut non extendant iusti  
ad iniquitatem manus suas.

4. Benefac, Domine, bonis  
et rectis corde.

5. Declinantes autem in obliga-  
tiones  
adducet Dominus cum ope-  
rantibus iniquitatem:  
pax super Israël!

**Sensus latinae Vulgatae.**

Montes sunt circum eam,  
et Dominus circum populum suum;  
ex hoc nunc et usque in sæculum.

**N**on enim relinquet Dominus  
sceptrum impietatis —  
super hereditate iustorum;  
ne extendant iusti —  
ad iniquitatem manus suas.

**B**enefac Domine bonis,  
et iis, qui sunt sinceri cordis!

Eos autem, qui declinant in vias  
curvas,  
adducat (in iudicium) Dominus  
cum operantibus iniquitatem!  
Pax super Israël!

**Notae ad Psalmum 124.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — ignotus —  
excitat populum ad sectandam probitatem; confidentes enim in  
Deum tuti erunt, improbi autem peribunt. —

Tempus exarationis ignoratur.

(De „Canticis graduum“ vide „Præfatio“ § 22.)

**Psalmus 125.****Post lacrymas — exultatio.****Sonus latinae Vulgatae.**

1. Canticum graduum.  
In convertendo, Dominus, cap-  
tivitatem Sion,  
facti sumus sicut consolati:

2. tunc repletum est gaudio os  
nostrum,  
et lingua nostra exultatione.  
Tunc dicent inter gentes:  
Magnificavit Dominus facere  
cum eis:

**Sensus latinae Vulgatae.**

Canticum graduum.  
**Q**uam reduceret Dominus cap-  
tivos Sionis,  
fuimus sicut inopinate consolati.

Tunc plenum fuit gaudio os no-  
strum,  
et lingua nostra exultatione;  
tunc dixerunt inter gentes:  
„Magnifice egit Dominus cum eis.“

**Sonus latinae Vulgatae.**

3. magnificavit Dominus facere nobiscum:  
facti sumus lætantes.
4. Converte Domine captivitatem nostram,  
sicut torrens in austro.
5. Qui seminant in lacrymis,  
in exultatione metent.
6. Euntes ibant et flebant mittentes semina sua.  
Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Magnifice egit Dominus nobiscum!  
facti sumus lætantes.  
Reduc, Domine, captivos nostros  
sicut torrentem in austro!  
Qui serunt cum lacrimis,  
cum exultatione metent.  
Lente incedunt et plorant mittentes semina sua;  
Certe venient cum exultatione portantes manipulos suos.

**Notae ad Psalmum 125.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — ignotus — lætatur de reditu primæ exulum turbæ ex exilio Babylonico, exoptatque, ut etiam reliqui captivi mox revertantur. —

Psalmus hic exaratus est sine dubio post reditum exulum sub Zorobabele; vide I. Ezdr. cap. 1. et 2.

(De „Canticis graduum“ vide „Præfatio“ § 22.)

**Psalmus 126.**

**Nil proficiunt hominum labores nisi Deo iuvante.**

**Sonus latinae Vulgatae.**

1. Canticum graduum Salomonis.  
Nisi Dominus ædificaverit domum,  
in vanum laborant, qui ædificant eam.  
Nisi Dominus custodierit civitatem,  
frustra vigilat, qui custodit eam.
2. Vanum est vobis ante lucem surgere:  
surgite, postquam sederitis,  
qui manducatis panem doloris.  
Cum dederit dilectis suis somnum:

**Sensus latinae Vulgatae.**

Psalmus graduum — Salomonis.  
**S**i Dominus non ædificat domum;  
in vanum laborant, qui ædificant eam.  
Si Dominus non custodit civitatem,  
frustra vigilat custos eius.  
**V**anum est nobis ante lucem surgere;  
surgite, postquam quieveritis vos,  
qui comeditis panem doloris,  
dum largitur Ille dilectis suis somnum.

**Sonus latinae Vulgatae.**

3. ecce, hereditas Domini filii  
merces fructus ventris.
4. Sicut sagittæ in manu potentis:  
ita filii excussorum.
5. Beatus vir,  
qui implevit desiderium suum  
ex ipsis:  
non confundetur,  
cum loquetur inimicis suis in  
porta.

**Sensus latinae Vulgatae.**

**E**cce hereditas a Domino concessa — sunt filii;  
præmium est — fetus uteri.

Sicut sagittæ in manu viri fortis,  
ita sunt filii adultorum.

**B**eatus vir,  
qui implevit iis desiderium  
suum;  
non confundetur,  
quando contenderit cum inimicis  
suis in porta!

**Notae ad Psalmum 126.**

Auctor, argumentum et occasio. — Vates sacer, secundum inscriptionem — Salomo docet, frustranea esse hominum molimina, nisi Deus prosperum tribuat successum. —

De occasione exarationis nil certi constat.

De „Canticis graduum“ vide „Præfatio“ § 22.)

**Psalmus 127.****Pio cultori suo benedicit Dominus.****Sonus latinae Vulgatae.**

1. Canticum graduum.  
Beati omnes, qui timent Dominum,  
qui ambulant in viis eius.
2. Labores manuum tuarum quia  
manducabis:  
beatus es et bene tibi erit.
3. Uxor tua, sicut vitis abundans  
in lateribus domus tuæ.  
Filii tui sicut novellæ olivarum  
in circuitu mensæ tuæ.
4. Ecce sic benedicetur omnis  
homo,  
qui timet Dominum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Canticum graduum.

**B**eati omnes, qui timent Dominum;  
qui ambulant in viis Eius!

Proventus enim manuum tuarum  
manducabis;  
beatus es et bene tibi erit.

Uxor tua est ut vitis frugifera  
in penetralibus domus tuæ;  
filii tui ut surculi olearum — circa  
mensam tuam.

Ecce enim sic fortunatur omnis  
vir,  
qui timet Dominum!

**Sonus latinae Vulgatae.**

**Sensus latinae Vulgatae.**

5. Benedicat tibi Dominus ex Sion;  
ut videas bona Ierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.
6. Et videas filios filiorum tuorum:  
pacem super Israël!

- Benedicat tibi Dominus de Sione,  
ut intuearis felicitatem Ierosolymæ  
omnibus diebus vitæ tuæ!
- Videas etiam filios filiorum tuorum,  
pacem super Israël!

**Notae ad Psalmum 127.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates, sacer — ignotus — docet, pium Jehovæ cultorem fore beatum.

Tempus exarationis ignoratur.

(De „Canticis graduum vide „Præfatio“ § 22.)

**Psalmus 128.**

**Hostes Sionis peribunt.**

**Sonus latinae Vulgatae.**

**Sensus latinae Vulgatae.**

1. Canticum graduum.  
Sæpe expugnaverunt me a iuventute mea,  
dicat nunc Israël:
2. Sæpe expugnaverunt me a iuventute mea,  
etenim non potuerunt mihi.
3. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores:  
prolongaverunt iniquitatem suam.
4. Dominus iustus  
concidit cervices peccatorum:
5. Confundantur et convertantur retrorsum  
omnes, qui oderunt Sion.
6. Fiant sicut fœnum tectorum,  
quod priusquam evellatur, exaruit.

- Canticum graduum.  
Sæpe impugnaverunt me a iuventute mea,  
dicat nunc Israël!
- Sæpe impugnaverunt me a iuventute mea,  
attamen non prævaluerunt mihi.
- Supra dorsum meum arabant peccatores,  
dudum patrabant iniquitatem suam.
- Dominus est iustus,  
concidit cervices peccatorum!
- Confundantur et recedant retrorsum —  
omnes, qui odio habent Sionem!
- Fiant sicut gramen in tectis,  
quod, priusquam evellatur, are-  
scit!

| Sonus latinae Vulgatae.                                                                                  | Sensus latinae Vulgatae.                                                                           |
|----------------------------------------------------------------------------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------|
| 7. de quo non implevit manum suam, qui metit, et sinum suum, qui manipulos colligit.                     | Quo non implet manum suam messor, nec sinum suum, qui manipulos colligit!                          |
| 8. Et non dixerunt, qui præteribant:<br>Benedictio Domini super vos: benediximus vobis in nomine Domini. | Nec dicunt prætereuntes:<br>„Benedictio Domini sit super vos: Benedicimus vobis in nomine Domini!“ |

### Notae ad Psalmum 128.

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — ignotus — docet, Jehovam, qui populum suum ex magnis afflictionibus eripuit, conatus hostium irritos redditurum esse. —

Tempus exarationis ignoratur.

(De „Canticis graduum“ vide „Præfatio“ § 22.)

### Psalmus 129. (VI. pœnitentialis).

#### Apud Dominum est misericordia.

| Sonus latinae Vulgatae.                                                                                           | Sensus latinae Vulgatae.                                                                                                |
|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| 1. Canticum graduum.<br>De profundis clamavi ad te, Domine:                                                       | Canticum graduum.<br><b>D</b> e profundis clamo ad Te, Domine!                                                          |
| 2. Domine exaudi vocem meam: fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.                              | Domine, audi vocem meam! Sint aures Tuæ attentæ — ad vocem deprecationis meæ!                                           |
| 3. Si iniquitates observaveris, Domine:<br>Domine, quis sustinebit?                                               | <b>S</b> i iniquitates observaveris, Domine,<br>Domine, quis constabit?                                                 |
| 4. Quia apud te propitiatio est, et propter legem tuam sustinui te, Domine.<br>Sustinuit anima mea in verbo eius, | Attamen apud Te est propitiatio, et propter legem Tuam spero in Te, Domine!<br><b>A</b> nima mea sperat in verbum Eius; |
| 5. speravit anima mea in Domino.                                                                                  | Anima mea sperat in Dominum!                                                                                            |

**Sonus latinae Vulgatae.**

6. A custodia matutina usque ad noctem  
speret Israël in Domino.
7. Quia apud Dominum misericordia,  
et copiosa apud eum redemptio.
8. Et ipse redimet Israël  
ex omnibus iniquitatibus eius.

**Sensus latinae Vulgatae.**

**A** custodia matutina usque ad noctem  
speret Israël in Dominum;  
nam apud Dominum est misericordia;  
et copiosa apud Eum redemptio!  
Et Ipse redimet Israëlem —  
ex omnibus pœnis iniquitatum eius.

**Notae ad Psalmum 129.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — ignotus — personam gerens peccatoris profundelapsi, ad misericordiam divinam se convertit petens, fiducia plenus, remissionem peccatorum;  
animo recreatus se totum Deo committit,  
et dein populum ad eandem fiduciam in misericordiam Jehovahæ excitat. —

Tempus exarationis non est notum.

(De „Canticis graduum“ vide „Præfatio“ § 22.)

**Psalmus 130.**

**Cor humile et Deo addictum.**

**Sonus latinae Vulgatae.**

1. Canticum graduum David.  
Domine, non est exaltatum cor meum,  
neque elati sunt oculi mei:  
neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.
2. Si non humiliter sentiebam,  
sed exaltavi animam meam:  
sicut ablactatus est super matre sua,  
ita retributio in anima mea.
3. Speret Israël in Domino  
ex hoc nunc et usque in sæculum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Canticum graduum — Davidis.  
**D**omine, non est superbum cor meum,  
neque elati sunt oculi mei,  
nec versor in rebus, quæ mihi sint nimis arduæ et nimis singulares!  
**S**ane humiliter sentiebam et non exaltavi animam meam;  
sicut infans abblactatus apud matrem suam,  
ita est spes retributionis in anima mea!  
**S**pera, Israël, in Dominum —  
ab hoc tempore et usque in æternum!

**Notae ad Psalmum 130.**

Auctor, argumentum et occasio. — Vates sacer — David — contestatur, se esse alienum ab omni insolentia et ambitione. —

Psalmus referendus est ad illud tempus, quo calumniatores in aula Sauli arguebant Davidem, quod nefariis artibus et vi ad regnum aspiraret.

(De „Canticis graduum“ vide „Præfatio“ § 22.)

**Psalmus 131.****Thronus Davidis manet in aeternum.****Sonus latinae Vulgatae.**

1. Canticum graduum.  
Memento, Domine, David  
et omnis mansuetudinis eius:
2. sicut iuravit Domino;  
votum vovit Deo Jacob:
3. Si introiero in tabernaculum  
domus meæ,  
si ascendero in lectum strati  
mei:
4. si dederò somnum oculis meis,  
et palpebris meis dormitationem,
5. et requiem temporibus meis,  
donec inveniam locum Do-  
mino,  
tabernaculum Deo Jacob.
6. Ecce audivimus eam in Eph-  
rata:  
invenimus eam in campis  
silvæ.
7. Introibimus in tabernaculum  
eius:  
adorabimus in loco, ubi ste-  
terunt pedes eius.
8. Surge, Domine, in requiem  
tuam,  
tu et arca sanctificationis tuæ.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Canticum graduum.  
**M**emor esto, Domine, Davidis,  
et omnis pietatis eius,  
qui iuravit Domino,  
votum vovit Deo Jacobi:
- „Non ingrediar tabernaculum do-  
mus meæ,  
non conscendam lectum strati  
mei;  
non concedam somnum oculis  
meis,  
et palpebris meis dormitationem,  
et requiem temporibus meis,  
donec invenero locum pro Do-  
mino,  
ædes pro Deo Jacobi.“
- E**n, audivimus de ea Ephrataë,  
invenimus eam in campis silve-  
stribus.
- Introeamus in tabernaculum Eius,  
adoremus in loco, ubi stant pedes  
Eius!
- Surge, Domine, ad locum quietis  
Tuum,  
Tu et arca maiestatis Tuæ!

**Sonus latinae Vulgatae.**

9. Sacerdotes tui induantur iustitiam,  
et sancti tui exultent.
10. Propter David servum tuum  
non avertas faciem christi tui.
11. Juravit Dominus David veritatem,  
et non frustrabitur eam.  
De fructu ventris tui  
ponam super sedem tuam.
12. Si custodierint filii tui testamentum meum,  
et testimonia mea hæc, quæ docebo eos:  
et filii eorum usque in sæculum  
sedebunt super sedem tuam.
13. Quoniam elegit Dominus Sion,  
elegit eam in habitationem sibi.
14. Hæc requies mea in sæculum  
sæculi: hic habitabo, quoniam  
elegi eam.
15. Viduam eius benedicens benedicam:  
pauperes eius saturabo panibus.
16. Sacerdotes eius induam salutari,  
et sancti eius exultatione exultabunt.
17. Illuc producam cornu David,  
paravi lucernam christo meo.
18. Inimicos eius induam confusione:  
super ipsum autem efloreat  
sanctificatio mea.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Sacerdotes Tui vestiant se iustitia  
et pii cultores Tui exultent!
- Propter Davidem, servum Tuum,  
ne reiicias faciem uncti Tui!
- Juravit Dominus Davidi fidelitatem,  
et non recedet ab illa (dicens):  
„De fructu ventris tui  
collocabo in throno tuo.“
- „Si custodierint filii tui fœdus  
meum —  
et præcepta mea hæc, quæ eos  
doceo;  
etiam filii ipsorum in sempiternum  
sedebunt in throno tuo.“
- Quoniam elegit Dominus Sionem,  
elegit eam in habitationem sibi  
(dicens):
- Hæc est quies mea in æternum,  
„Hic habitabo, quoniam elegi  
eam.“
- „Viduis eius largiter benedicam,  
pauperes eius satiabo panibus.“
- „Sacerdotes eius vestiam salute,  
et pii eius intime exultabunt.“
- „Ibi germinare faciam cornu Davidis,  
parabo lucernam uncto meo.“
- „Inimicos eius vestiam confusione,  
et super ipsum micabit diadema  
meum.“



**Notae ad Psalmum 131.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — ignotus — occasione ædificationis templi recordatur consilii et conatus Davidis templum ædificandi simulque promissionis divinæ pio regi hac occasione factæ (vide II. Sam. cap. 7.).

Quia David memoratur iam pridem defunctus, erat sine dubio occasio huic psalmo ædificatio templi II. decreto Pseudo-Smerdis inhibita — (vide I. Ezdr. 4, 24.).

(De „Canticis graduum“ vide „Præfatio“ § 22.)

**Psalmus 132.****Salutares effectus concordiae.****Sonus latinae Vulgatae.****Sensus latinae Vulgatae.**

1. Canticum graduum David.  
Ecce, quam bonum et quam  
iucundum  
habitare fratres in unum:

Canticum graduum — Davidis.  
**E**cce, quam bonum et iucundum  
est,  
si fratres concorditer habitant!

2. sicut unguentum in capite,  
quod descendit in barbam,  
barbam Aaron,  
quod descendit in oram ve-  
stimenti eius:

sicut oleum pretiosum in capite,  
quod defluxit in barbam, barbam  
Aaronis,  
quod defluxit in oram vestimenti  
eius;

3. sicut ros Hermon, qui descen-  
dit in montem Sion. —  
Quoniam illic mandavit Do-  
minus benedictionem  
et vitam usque in sæculum.

sicut ros Hermonis, qui descendit  
in montem Sionem;  
eo enim loco demandavit Dominus  
benedictionem  
et vitam in æternum.

**Notae ad Psalmum 132.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer, — David — com-  
parat salutares effectus concordiae cum effectibus olei sacri (Exod.  
30, 23.—33.) et cum beneficiis effectibus roris. —

Psalmus videtur exaratus fuisse illa occasione, qua 11. tribus concordēs  
cum Juda — Davidem creabant regem (II. Sam. 5, et I. Par. 11.).

(De „Canticis graduum“ vide „Præfatio“ § 22.)

## Psalmus 133.

**I n e g r e s s u e s a n c t u a r i o .****Sonus latinae Vulgatae.**

## 1. Canticum graduum.

Ecce, nunc benedicite Domi-  
num  
omnes servi Domini:  
qui statis in domo Domini,  
in atriis domus Dei nostri.

2. In noctibus extollite manus  
vestras in sancta,  
et benedicite Dominum.3. Benedicat te Dominus ex Sion,  
qui fecit cœlum et terram.**Sensus latinae Vulgatae.**

## Canticum graduum.

(Egrediens pius Israëlitæ.)

**E**cce, nunc benedicite Domino,  
omnes servi Domini,  
qui statis in domo Domini,  
in atriis domus Dei nostri!

In noctibus levate manus vestras  
sanctuarium versus,  
et benedicite Domino!

(Responsum servorum sacrarii.)

**B**enedicat tibi ex Sione Dominus,  
qui fecit cœlum et terram!

**Notae ad Psalmum 133.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — ignotus —  
excitat ad laudandum Deum, et quidem —

personam gerens pii Israëlitæ, qui post sacrificium vesper-  
tinum discedit,

dein Levitarum, qui vigilias obituri advenerant.

Tempus exarationis ignoratur.

(De „Canticis graduum“ vide „Præfatio“ § 22.)

## Psalmus 134.

**L a u d a t e D o m i n u m !****Sonus latinae Vulgatae.**

Alleluia.

1. Laudate nomen Domini,  
laudate, servi, Dominum:2. qui statis in domo Domini,  
in atriis domus Dei nostri.3. Laudate Dominum, quia bonus  
Dominus:  
psallite nomini eius, quoniam  
suave.**Sensus latinae Vulgatae.**

Halleluia!

**L**audate nomen Domini,  
laudate, servi, Dominum!

Qui statis in domo Domini,  
in atriis domus Dei nostri!

Laudate Dominum, nam benignus  
est Dominus;  
canite nomini Eius, nam gratio-  
sum est!

**Sonus latinae Vulgatae.**

4. Quoniam Jacob elegit sibi Dominus,  
Israël in possessionem sibi.
5. Quia ego cognovi, quod magnus est Dominus,  
et Deus noster præ omnibus diis.
6. Omnia, quaecumque voluit, Dominus fecit in cælo, in terra,  
in mari, et in omnibus abyssis.
7. Educens nubes ab extremo terræ:  
fulgura in pluviam fecit:  
Qui producit ventos de thesauris suis:
8. qui percussit primogenita Aegypti  
ab homine usque ad pecus.
9. Et misit signa et prodigia in medio tui, Aegypto,  
in Pharaonem et in omnes servos eius.
10. Qui percussit gentes multas,  
et occidit reges fortes:
11. Schon regem Amaorrhæorum,  
et Og regem Basan,  
et omnia regna Chanaan.
12. Et dedit terram eorum hereditatem,  
hereditatem Israël populo suo.
13. Domine, nomen tuum in æternum:  
Domine, memoriale tuum in generationem et generationem:
14. quia iudicabit Dominus populum suum,  
et in servis suis deprecabitur.
15. Simulacra gentium argentum et aurum,  
opera manuum hominum.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Nam Jacobum elegit sibi Dominus,  
Israëlem in peculium suum.

Ego enim novi, magnum esse Dominum,  
et Deum nostrum esse super omnes deos.

Quaecumque vult Dominus, facit —  
in cælo et in terra,  
in mari et in omnibus voraginibus.

Ille enim ascendere iubet nubes  
a fine terræ,  
et fulgura facit ad pluviam;  
Ille enim educit ventos de promptuariis suis.

Ille enim percussit primogenitos Aegypti  
ab homine usque ad bestiam,

et misit signa et prodigia in medium tuum, Aegypto,  
in Pharaonem atque in omnes servos eius.

Ille enim percussit gentes multas  
et occidit reges potentes.

Schonem, regem Amoræorum  
et Ogum, regem Baſanitidis  
et omnia regna Cananæa.

Et dedit terram eorum possidendam —  
possidendam Israël, populo suo.

Domine, nomen tuum manet in æternum,  
Domine, memoria Tui manet in generationem et generationem!

Dominus enim causam agit populi sui,  
et deprecabilis est servis suis.

Simulacra gentium sunt argentum et aurum,  
sunt opera manuum hominum.

**Sonus latinae Vulgatae**

16. Os habent et non loquuntur:  
oculos habent, et non videbunt.
17. Aures habent, et non audient:  
neque enim est spiritus in ore  
ipsorum.
18. Similes illis fiant, qui faci-  
unt ea,  
et omnes, qui confidunt in eis.
19. Domus Israël, benedicite Do-  
mino:  
domus Aaron, benedicite Do-  
mino.
20. Domus Levi, benedicite Do-  
mino,  
qui timetis Dominum, bene-  
dicite Domino.
21. Benedictus Dominus ex Sion,  
qui habitat in Ierusalem.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Os habent nec loquuntur,  
oculos habent et non vident.

Aures habent et non audiunt,  
neque est spiritus vitalis in ore  
eorum.

Similes iis sunt, qui fabricant ea,  
et omnes, qui fiduciam collocant  
in eis.

**D**omus Israël celebrate Domi-  
num!  
Domus Aaronis celebrate Domi-  
num!

Domus Levi celebrate Dominum!

Cultores Domini celebrate Do-  
minum!

Celebratus sit ex Sione Dominus,  
qui sedem suam habet Ierosolymæ!

**Notae ad Psalmum 134.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — igno-  
tus — excitat  
domum Aaronis, i. e. sacerdotes,  
domum Levi, seu Levitas,  
et omnes pios ad Deum laudandum, qui hebræis olim tanta bene-  
ficia præstitit, dum idola iam in se inania sunt.  
Tempus exarationis ignoratur.

**Psalmus 135.**

**Laudate Dominum, quoniam in æternum  
manet gratia Eius!**

**Sonus latinae Vulgatae.**

- Alleluia.
1. Confitemini Domino quoniam  
bonus:  
quoniam in æternum miseri-  
cordia eius.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Halleluia!

**L**audate Dominum, quoniam est  
benignus;  
quoniam in æternum manet gratia  
Eius!

**Sonus latinae Vulgatae.**

2. Confitemini Deo Deorum:  
quoniam in æternum miseri-  
cordia eius.
3. Confitemini Domino domino-  
rum:  
quoniam in æternum miseri-  
cordia eius.
4. Qui facit mirabilia magna so-  
lus:  
quoniam in æternum miseri-  
cordia eius.
5. Qui fecit cœlos in intellectu:  
quoniam in æternum miseri-  
cordia eius.
6. Qui firmavit terram super  
aquas:  
quoniam in æternum miseri-  
cordia eius.
7. Qui fecit luminaria magna:  
quoniam in æternum miseri-  
cordia eius.
8. Solem in potestatem diei:  
quoniam in æternum miseri-  
cordia eius.
9. Lunam et stellas in potestatem  
noctis:  
quoniam in æternum miseri-  
cordia eius.
10. Qui percussit Aegyptum cum  
primogenitis eorum:  
quoniam in æternum miseri-  
cordia eius.
11. Qui eduxit Israël de medio  
eorum:  
quoniam in æternum miseri-  
cordia eius.
12. In manu potenti et brachio  
excelso:  
quoniam in æternum miseri-  
cordia eius.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Laudate Deum Deorum;  
quoniam in æternum manet gratia  
Eius!
- Laudate Dominum dominorum;  
quoniam in æternum manet gratia  
Eius!
- Illum, qui facit mirabilia magna  
solus;  
quoniam in æternum manet gratia  
Eius!
- Illum, qui condidit cœlos sapienter;  
quoniam in æternum manet gratia  
Eius!
- Illum, qui firmavit terram super  
aquas;  
quoniam in æternum manet gratia  
Eius!
- Illum, qui fecit luminaria magna;  
quoniam in æternum manet gratia  
Eius!
- Solem, ut dominetur diei;  
quoniam in æternum manet gratia  
Eius!
- Lunam et stellas, ut dominantur  
nocti;  
quoniam in æternum manet gratia  
Eius!
- Illum, qui percussit Aegyptios in  
primogenitis eorum;  
quoniam in æternum manet gratia  
Eius!
- Eum, qui eduxit Israël ex medio  
illorum;  
quoniam in æternum manet gratia  
Eius!
- Manu forti et brachio excelso;  
quoniam in æternum manet gratia  
Eius!

**Sonus latinae Vulgatae.**

13. Qui divisit mare rubrum in  
divisiones:  
quoniam in æternum miseri-  
cordia eius.
14. Et eduxit Israël per medium  
eius:  
quoniam in æternum miseri-  
cordia eius.
15. Et excussit Pharaonem et vir-  
tutem eius in mari rubro:  
quoniam in æternum miseri-  
cordia eius.
16. Qui traduxit populum suum  
per desertum:  
quoniam in æternum miseri-  
cordia eius.
17. Qui percussit reges magnos:  
quoniam in æternum miseri-  
cordia eius.
18. Et occidit reges fortes:  
quoniam in æternum miseri-  
cordia eius.
19. Sehon regem Amorhæorum:  
quoniam in æternum miseri-  
cordia eius.
20. et Og regem Basan:  
quoniam in æternum miseri-  
cordia eius.
21. Et dedit terram eorum here-  
ditatem:  
quoniam in æternum miseri-  
cordia eius.
22. hereditatem Israël servo suo:  
quoniam in æternum miseri-  
cordia eius.
23. Quia in humilitate nostra me-  
mor fuit nostri:  
quoniam in æternum miseri-  
cordia eius.
24. Et redemit nos ab inimicis  
nostris:  
quoniam in æternum miseri-  
cordia eius.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Illum, qui divisit mare rubrum in  
segmenta;  
quoniam in æternum manet gratia  
Eius!

Et traduxit Israël per medium  
illius;  
quoniam in æternum manet gratia  
Eius!

Et deiecit Pharaonem et exercitum  
eius in mare rubrum;  
quoniam in æternum manet gratia  
Eius!

Illum, qui duxit populum suum  
per desertum;  
quoniam in æternum manet gratia  
Eius!

**Q**ui percussit reges magnos;  
quoniam in æternum manet  
gratia Eius!

et occidit reges fortes;  
quoniam in æternum manet gratia  
Eius!

Sehonem, regem Amoræorum;  
quoniam in æternum manet gratia  
Eius!

et Ogum, regem Baſanitidis;  
quoniam in æternum manet gratia  
Eius!

Et dedit terram eorum possiden-  
dam;  
quoniam in æternum manet gratia  
Eius!

Possidendam Israël, servo suo;  
quoniam in æternum manet gratia  
Eius!

**Q**ui in humiliatione nostra me-  
mor fuit nostri;  
quoniam in æternum manet gratia  
Eius!

Et liberavit nos ab inimicis nostris;  
quoniam in æternum manet gratia  
Eius!

**Sonus latinae Vulgatae.**

25. Qui dat escam omni carni:  
quoniam in æternum miseri-  
cordia eius.
26. Confitemini Deo cœli:  
quoniam in æternum miseri-  
cordia eius.  
Confitemini Domini domino-  
rum:  
quoniam in æternum miseri-  
cordia eius.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Qui dat escam omni carni;  
quoniam in æternum manet gratia  
Eius!

Laudate Deum cœlorum!  
quoniam in æternum manet gratia  
Eius!  
Laudate Dominum dominorum:  
quoniam in æternum manet gratia  
Eius!

**Notae ad Psalmum 135.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — ignotus — celebrat hoc hymno Deum, creatorem et gubernatorem universi, qui Hebræis tot tantaque beneficia præstitit.

Tempus exarationis ignoratur.

Nota. — Hymnus hic habet formam Litaniarum. Primum hemistichium cuiusvis versus a choro præcinebatur; altero hemistichio, semper eodem, populus respondebat.

**Psalmus 136.****Non obliviscar tui, o Jerosolima!****Sonus latinae Vulgatae.**

Psalmus David, Hieremiæ.

1. Super flumina Babylonis, illic  
sedimus et flevimus,  
cum recordaremur Sion:
2. in salicibus in medio eius  
suspendimus organa nostra,
3. quia illic interrogaverunt nos,  
qui captivos duxerunt nos,  
verba cantionum,  
et qui abduxerunt nos:  
Hymnum cantate de canticis  
Sion.
4. Quomodo cantabimus canti-  
cum Domini in terra aliena?
5. Si oblitus fuero tui, Ierusalem,  
oblivioni detur dextera mea.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Psalmus Davidis; Ieremiæ.

Ad flumina Babylonica, ibi se-  
dimus et flevimus,  
dum recordaremur Sionis.

Ad salices in medio eius  
suspendimus citharas nostras.

Nam ibi postulaverunt a nobis, —  
qui captivos nos abduxerant, —  
verba canticorum;  
ii, inquam, qui abduxerant nos:  
„Hymnum canite nobis de can-  
ticis Sionis!“

Quomodo canamus canticum Ie-  
hovæ — in terra peregrina!

Si oblitus fuero tui, Ierosolima,  
oblivioni detur dextera mea!

**Sonus latinae Vulgatae.**

6. Adhæreat lingua mea faucibus meis,  
si non meminero tui:  
si non proposuero Ierusalem  
in principio lætitiæ meæ.
7. Memor esto, Domine, filiorum Edom  
in die Ierusalem,  
qui dicunt: Exinanite, exinanite  
usque ad fundamentum in ea.
8. Filia Babylonis misera:  
beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam,  
quam retribuisti nobis!
9. Beatus, qui tenebit,  
et allidet parvulos tuos ad petram.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Palato adhæreat lingua mea,  
si non meminero tui, —  
si non posuero Ierosolimam —  
fastigium gaudii mei!

**M**emento, Domine, Edomitis  
diem Ierosolimæ fatalem;  
ii enim dicebant: „Evertite, evertite,  
usque ad fundamentum eam!“

O filia Babylonis! o vastanda!  
beatus, qui rependet tibi id,  
quod fecisti nobis!

Bene sit ei, qui apprehendet  
et allidet parvulos tuos petræ!

**Notae ad Psalmum 136.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — ignotus — delineat, qua ratione Israëlitæ in exilio repulerint ludibria gentilium, —

quanto desiderio anhelaverint redire in patriam et quomodo provocaverint in hostes suos Dei punientis iustitiam.

Tempus exarationis indicari nequit.

Nota. In finem rectæ interpretationis vv. 7.—9. respiciantur dicta de psalmis imprecatoriis (vide „Præfatio“ § 24. et 25.).

**Psalmus 137.**

**Gratias ago Tibi Domine!**

**Sonus latinae Vulgatae.**

1. Ipsi David.  
Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo,  
quoniam audisti verba oris mei.  
In conspectu Angelorum psallam tibi:

**Sensus latinae Vulgatae.**

Davidis.  
**L**audabo Te, Domine, toto corde meo,  
audisti enim verba oris mei!  
In conspectu Angelorum canam Te!



**Sonus latinae Vulgatae.**

2. adorabo ad templum sanctum tuum,  
et confitebor nomini tuo. Super misericordia tua et veritate tua, quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum.
3. In quacunque die invocavero te, exaudi me:  
multiplicabis in anima mea virtutem.
4. Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ,  
quia audierunt omnia verba oris tui:
5. et cantent in viis Domini,  
quoniam magna est gloria Domini.
6. Quoniam excelsus Dominus et humilia respicit,  
et alta a longe cognoscit.
7. Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me:  
et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam,  
et salvum me fecit dextera tua.
8. Dominus retribuet pro me:  
Domine, misericordia tua in sæculum:  
opera manuum tuarum ne despicias.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Adorabo ad sanctum templum Tuum,  
et laudabo nomen Tuum ob gratiam Tuam et fidelitatem Tuam,  
quia magnificasti super omnia nomen sanctum Tuum!

Quacunque die clamavi ad Te,  
exaudisti me;  
corroborasti in anima mea virtutem!

**L**audabunt Te, Domine, omnes reges terræ,  
quando audiverint omnia eloquia oris Tui!

Et canent de viis Domini;  
magna est enim gloria Domini!

Quoniam Dominus, quamquam excelsus, humiles respicit,  
et superbos a longinquo cognoscit!

**S**i ambulavero in media tribulatione, vivificabis me,  
et contra iram inimicorum meorum extends manum Tuam,  
et dextera Tua salvum me faciet!

Dominus rependet pro me;  
Domine, gratia Tua permanet in æternum;  
opera manuum Tuarum ne derelinquas!

**Notae ad Psalmum 137.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — David — gratias agit Deo pro beneficiis divinis, pro liberatione ex periculis, et pro promissionibus opere completis; ad finem orat, ut Deus eum etiam porro tueatur, et promissum de æterna duratione throni adimpleat. —

Occasionem huic psalmo præbuit absque dubio promissio divina de regno Davidicæ domus æterno; vide Psalmum 2. „Occasio“

## Psalmus 138.

**Adoro Te, o Deus omnipotens et immense!****Sonus latinae Vulgatae.**

In finem; Psalmus David.

1. Domine, probasti me, et cognovisti me:
2. tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam.
3. Intellexisti cogitationes meas de longe:  
semitam meam et funiculum meum investigasti.
4. Et omnes vias meas prævidisti, quia non est sermo in lingua mea.
5. Ecce, Domine, tu cognovisti omnia novissima et antiqua: tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.
6. Mirabilis facta est scientia tua ex me:  
confortata est, et non potero ad eam.
7. Quo ibo a spiritu tuo?  
et quo a facie tua fugiam?
8. Si ascendero in cælum, tu illic es:  
si descendero in infernum, ades.
9. Si sumsero pennas meas diluculo,  
et habitavero in extremis maris:
10. etenim illuc manus tua deducet me,  
et tenebit me dextera tua.
11. Et dixi: Forsitan tenebræ conculcabunt me,  
et nox illuminatio mea in deliciis meis.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Ad liturgiam sacram. — Psalmus Davidis.

**D**omine, Tu exploras me adeoque novisti me!

Tu novisti sessionem et resurrectionem meam;

Intelligis cogitationes meas de longinquo.

Ambulationem et cubationem meam investigas,

omnesque vias meas prævides!  
Sane nondum est sermo in lingua mea,

en Tu, Domine, nosti illum — omnia, novissima et antiqua!  
Tu formasti me et imposuisti mihi manum Tuam!

Mirabilis est mihi scientia Tua;

nimis sublimis est, — impar sum ei capiendæ!

**Q**uo eam præ spiritu Tuo,  
et quo præ facie Tua fugiam?

Si ascendam in cælum, Tu ibi es,

et si in orcum descendam, — ades.

Si sumpsero mihi alas auroræ,

et consedero in parte maris extrema;

etiam ibi ducet me manus Tua,

et comprehendet me dextera Tua.

Et si dixerò: „Fors tenebræ obtegunt me,  
et nox erit mihi lux in deliciis meis;“

## Sonus latinae Vulgatae.

12. Quia tenebræ non obscurabuntur a te,  
et nox sicut dies illuminabitur:  
sicut tenebræ eius, ita et lumen eius.
13. Quia tu possedisti renes meos:  
suscepisti me de utero matris meæ.
14. Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es:  
mirabilia opera tua,  
et anima mea cognoscit nimis.
15. Non est occultatum os meum a te,  
quod fecisti in occulto,  
et substantia mea in inferioribus terræ.
16. Imperfectum meum viderunt oculi tui,  
et in libro tuo omnes scribentur:  
dies formabuntur, et nemo in eis.
17. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus:  
nimis confortatus est principatus eorum.
18. Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur:  
exsurrexi, et adhuc sum tecum.
19. Si occideris Deus peccatores:  
viri sanguinum declinate a me:
20. quia dicitis in cogitatione:  
Accipient in vanitate civitates tuas.
21. Nonne, qui oderunt te, Domine, oderam,  
et super inimicos tuos tabescebam?

## Sensus latinae Vulgatae.

nec tenebræ obscuræ essent Tibi,  
et nox esset lucida sicut dies;  
æquales sunt Ei — caligo et lux!

**T**u enim possides renes meos,  
Tu protexisti me in utero matris meæ!

Laudo Te propterea, quod mirum in modum Te magnificasti;  
mirabilia sunt opera Tua,  
et anima mea cognoscit hoc prorsus!

Ossa mea non erant occultata ante Te,  
cum formares ea in abscondito,  
cum substantia mea esset in inferioribus terræ!

Me embryonem viderunt oculi Tui,  
et in libro Tuo scripta sunt omnia;  
dies prædestinati sunt, priusquam unus eorum esset!

**A**me autem nimis honorantur amici Tui, Deus!  
nimis magnus est eorum numerus!

Si eos numerare vellem, numerosiores sunt arena;  
evigilo, et adhuc sum — apud Te!

**U**tinam occideres, o Deus, impios!  
Viri sanguinolenti, discedite a me!

Dicitis enim, prouti cogitatis:  
„in finem nequitiae — oppugnant civitates Tuas“.

Nonne odio habendi sint mihi, o Domine, ii, qui Te oderunt?  
Nonne tædio habendi sint mihi inimici Tui?

**Sonus latinae Vulgatae.**

22. Perfecto odio oderam illos,  
et inimici facti sunt mihi.
23. Proba me, Deus, et scito cor  
meum:  
interroga me, et cognosce se-  
mitas meas.
24. Et vide, si via iniquitatis in  
me est,  
et deduc me in via æterna.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Odio perfecto odi eos;  
pro inimicis sunt mihi.
- Scrutare me Deus et animadverte  
cor meum;  
explora me et cognosce semitas  
meas!
- Et vide, num via mea sit prava,  
et deduc me in via æterne recta!

**Notae ad Psalmum 138.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — David — pro-  
vocans ad Deum omnipotentem, omniscium et immensum, con-  
queritur, quod adversarii ipsum calumniantur, acsi conspiraret cum ho-  
stibus patriæ et religionis. —

De tempore exarationis nil certi statui potest.

**Psalmus 139.****Domine! serva me ab hostibus dolosis et violentis!****Sonus latinae Vulgatae.**

1. In finem;  
Psalmus David.
2. Eripe me, Domine, ab homine  
malo,  
a viro iniquo eripe me.
3. Qui cogitaverunt iniquitates  
in corde;  
toto die constituebant prælia.
4. Acuerunt linguas suas sicut  
serpentis:  
venenum aspidum sub labiis  
eorum.
5. Custodi me, Domine, de manu  
peccatoris,  
et ab hominibus iniquis eripe  
me.  
Qui cogitaverunt supplantare  
gressus meos:

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Ad liturgiam sacram; —  
Psalmus Davidis.
- Eripe me, Domine ab homine  
malo,  
a viro violento eripe me!
- Ab iis, qui excogitant mala in  
corde,  
quotidie concitant prælia!
- Acuunt linguas suas instar ser-  
pentis,  
venenum aspidum est sub labiis  
eorum!
- Custodi me, Domine, de manu  
peccatoris,  
et ab hominibus violentis eripe me!  
ab iis, qui moliuntur impellere  
pedes meos!

**Sonus latinae Vulgatae.**

6. absconderunt superbi laqueum mihi,  
et funes extenderunt in laqueum:  
iuxta iter scandalum posuerunt mihi.
7. Dixi Domino: Deus meus es tu:  
exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ.
8. Domine, Domine, virtus salutis meæ,  
obumbrasti super caput meum in die belli.
9. Ne tradas me, Domine, a desiderio meo peccatori,  
  
cogitaverunt contra me; ne derelinquas me, ne forte exaltentur.
10. Caput circuitus eorum:  
labor labiorum ipsorum operiet eos.
11. Cadent super eos carbones,  
in ignem deiciēs eos:  
in miseriis non subsistent.
12. Vir linguosus non dirigetur in terra:  
virum iniustum mala capient in interitu.
13. Cognovi, quia faciet Dominus iudicium inopis,  
et vindictam pauperum.
14. Verumtamen iusti confitebuntur nomini tuo,  
et habitabunt recti cum vultu tuo.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Fastuosi occulte laqueum mihi ponebant,  
funes extendebant in laqueum,  
  
iuxta viam tendiculas ponebant mihi!
- D**ico, Domine: „Deus meus es Tu,  
exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ“!
- Iehova, Domine, virtus salutaris mea,  
Tu protexisti caput meum die pugnæ!
- Ne tradas me, Domine, — respiciens desiderium meum — peccatoribus,  
deliberant contra me; ne derelinquas me, ne forte se exaltent!
- C**aput eorum, qui me cingunt, —  
eos operiet, culpa labiorum eorum.
- Cadent super eos prunæ,  
in ignem coniciēs eos; —  
in miseriis non subsistent.
- Obtrectator non subsistet in terra,  
  
virum iniustum apprehendent mala opera in interitu.
- N**ovi, Dominum acturum esse causam inopis,  
— vindictam pauperum.
- Profecto iusti gratias agent nomini Tuo,  
et probi permanebunt ante faciem Tuam.

**Notae ad Psalmum 139.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — David — enixe rogat Deum pro liberatione ab hominibus violentis, insidiosis et malitiosis; hi excident consiliis et condigne punientur.

Ad finem contestatur fiduciam suam in Dei auxilium. Argumentum hoc optime respondet persecutionibus Sauli, de quibus agitur in I. Sam. 22, 9 et 23, 19

## Psalmus 140.

**Oratio assidua vincet malitiam adversariorum.****Sonus latinae Vulgatae.**

1. Psalmus David.  
Domine, clamavi ad te, exaudi me;  
intende voci meæ, cum clamavero ad te.
2. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo:  
elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.
3. Pone, Domine, custodiam ori meo,  
et ostium circumstantiæ labiis meis.
4. Non declines cor meum in verba malitiæ,  
ad excusandas excusationes in peccatis.  
Cum hominibus operantibus iniquitatem;  
et non communicabo cum electis eorum.
5. Corripiet me iustus in misericordia, et increpabit me;  
oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.  
Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum:
6. absorpti sunt iuncti petrae iudices eorum.  
Audient verba mea, quoniam potuerunt:
7. Sicut crassitudo terræ erupta est super terram.  
Dissipata sunt ossa nostra secus infernum:
3. quia ad te, Domine, Domine, oculi mei:  
in te speravi, non auferas animam meam.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Psalmus Davidis.

**D**omine, clamo ad Te, exaudi me;  
attende vocem meam, cum clamo ad Te!

Ascendat oratio mea sicut incensum coram Te,  
elevatio manuum mearum sicut sacrificium vespertinum!

**P**one, Domine, custodiam ori meo,  
et ostium firmum labiis meis!

Ne inclinari sinas cor meum ad res malas,  
ad faciendas excusationes peccatorum commissorum —  
cum hominibus operantibus iniquitatem,  
et ne comedam de cupediis eorum!

**C**orripiat me Iustus benevole et castiget me, —  
oleum autem peccatoris non impinguet caput meum!  
Sane adhuc preces fundo in malis desideriis illorum.

Per latera petrae præcipitati absorbentur principes eorum;  
audient, verba mea esse potentia.

**S**icut densæ glebæ eiiciuntur super terram, —  
sparsa sunt ossa nostra ad os orci!

Sane ad Te, Iehova Domine, sunt directi oculi mei;  
in Te spero; ne permittas, ut auferatur vita mea!

**Sonus latinae Vulgatae.**

9. Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi, et a scandalis operantium iniquitatem.
10. Cadent in retiaculo eius peccatores: singulariter sum ego, donec transeam.

**Sensus latinae Vulgatae.**

**C**ustodi me a laqueo, quem ponunt mihi!  
atque a tendiculis maleficorum!

Cadant reti Eius peccatores, —  
simul ego dum prætereo!

**Notae ad Psalmum 140.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — David — rogat Deum, ne admittat, ut verbo vel opere quidquam perperam agat improborum consuetudine allectus; — precatur, ut Deus ipsum tueatur, et ut insidias, quas inimici ipsi struunt, vertat — in perniciem auctorum. —

Qua occasione David psalmum hunc exaraverit, cum certitudine statui nequit.

**Psalmus 141.****Non est mihi amicus praeter Te, o Deus!****Sonus latinae Vulgatae.**

1. Intellectus David, cum esset in spelunca, oratio.
2. Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum.
3. Effundo in conspectu eius orationem meam, et tribulationem meam ante ipsum pronuntio.
4. In deficiendo ex me spiritum meum, et tu cognovisti semitas meas.  
  
In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Carmen didacticum Davidis, cum esset in spelunca; — Oratio.

**V**oce mea ad Dominum clamo,  
voce mea ad Dominum deprecor.

Effundo coram Eo querelam meam,  
et tribulationem meam coram Eo notam facio.

**Q**uando languet in me spiritus meus,  
sane Tu cognitās habes semitas meas;  
in via, qua mihi ambulandum est,  
occultarunt laqueum mihi;

**Sonus latinae Vulgatae.**

**Sensus latinae Vulgatae.**

5. Considerabam ad dexteram,  
et videbam,  
et non erat, qui cognosceret me.  
Periit fuga a me,  
et non est, qui requirat ani-  
mam meam.
6. Clamavi ad te, Domine;  
dixi: Tu es spes mea,  
portio mea, in terra viventium.
7. Intende ad deprecationem me-  
am,  
quia humiliatus sum nimis.  
Libera me a persecutoribus meis,  
quia confortati sunt super me.
8. Educ de custodia animam me-  
am  
ad confitendum nomini tuo:  
me expectant iusti, donec re-  
tribuas mihi.

Respiciebam ad dexteram et vi-  
debam,  
et nemo erat, qui cognosceret me;  
fuga fuit mihi impossibilis,  
et nemo est, qui curam mei gerat!

**C**lamo ad Te, Domine;  
dico: „Tu es spes mea,  
portio mea in terra vivorum!“

Attende ad deprecationem meam,  
  
nam humiliatus sum nimis;  
Libera me a persecutoribus meis,  
nam valentiores sunt me!

Educ me ex carcere,  
  
ut celebrem nomen Tuum!  
Iusti me expectant,  
eo quod benefacis mihi!

**Notae ad Psalmum 141.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — David —  
in spelunca versans, cnixe rogat, ut Deus ipsum liberet ab insidiis  
regis Sauli.

Argumentum magis facit pro spelunca Odollam (I. Sam. 22, 1.), quam  
pro specu in deserto Engeddi (I. Sam. 24.), ob maius in illa periculum.

**Psalmus 142. (VII. poenitentialis).**

**D o m i n e v i v i f i c a m e !**

**Sonus latinae Vulgatae.**

**Sensus latinae Vulgatae.**

1. Psalmus David, quando perse-  
quebatur eum Absalom filius  
eius.  
Domine, exaudi orationem  
meam: auribus percipe obse-  
crationem meam  
in veritate tua: exaudi me in  
tua iustitia.

Psalmus Davidis, quando perse-  
quebatur eum Absalom filius eius.

**D**omine, audi orationem meam,  
auribus percipe obsecratio-  
nem meam!  
pro fide Tua exaudi me, pro iusti-  
tia Tua!



## Sonus latinae Vulgatae.

2. Et non intres in iudicium cum servo tuo,  
quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.
3. Quia persecutus est inimicus animam meam:  
humiliavit in terra vitam meam.  
  
Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi:
4. et anxius est super me spiritus meus:  
in me turbatum est cor meum.
5. Memor fui dierum antiquorum,  
meditatus sum in omnibus operibus tuis:  
in factis manuum tuarum meditabar.
6. Expandi manus meas ad te:  
anima mea, sicut terra sine aqua, tibi.
7. Velociter exaudi me, Domine:  
defecit spiritus meus.  
Non avertas a me faciem tuam,  
et similis ero descendentibus in lacum.
8. Auditam fac mihi mane misericordiam tuam,  
quia in te speravi.  
Notam fac mihi viam, in qua ambulem,  
quia ad te levavi animam meam.
9. Eripe me de inimicis meis, Domine,  
ad te confugi:
10. Doce me facere voluntatem tuam,  
quia Deus meus es tu.  
Spiritus bonus tuus deducet me in terram rectam:

## Sensus latinae Vulgatae.

Neque eas in iudicium cum servo Tuo;  
nam culpa vacuus non est coram Te ullus vivens!

**P**ersequitur enim inimicus animam meam;  
humiliat ad terram usque vitam meam,  
collocat me in tenebris instar dudum mortuorum!

Inde anxius est in me spiritus meus;  
turbatum est in me cor meum!

**R**ecordor dierum pristini temporis,  
meditor de omnibus operibus Tuis, —  
meditor de operibus manuum Tuarum!

Ad Te expando manus meas;  
Te sitit anima mea ut terra sine aqua!

**V**elociter exaudi me, Domine,  
spiritus meus conficitur!  
Ne avertas faciem Tuam a me;

similis enim fierem illis, qui descendunt in sepulchrum!

Fac me mane audire gratiam Tuam,  
nam in Te spero!  
notam fac mihi viam, qua ambulem,  
ad Te enim elevo animam meam!

Eripe me ab inimicis meis, Domine,  
ad Te confugio!

Doce me facere voluntatem Tuam;  
Tu enim es Deus meus!  
Spiritus Tuus bonus ducat me in solo plano!

**Sonus latinae Vulgatae.**

11. propter nomen tuum, Domine,  
vivificabis me  
in æquitate tua. Educes e tribulatione animam meam,
12. et in misericordia tua disperdes inimicos meos.  
Et perdes omnes, qui tribulant animam meam:  
quoniam ego sum servus tuus.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Propter nomen Tuum, Domine,  
vivifica me!  
Tu pro iustitia Tua educes animam meam e tribulatione,  
et pro gratia Tua disperdes inimicos meos,  
et perire facies omnes, qui tribulant animam meam;  
Tuus enim servus sum ego!

**Notae ad Psalmum 142.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — David — enixe rogat, ut Deus ipsum liberet ex præsentis vitæ periculo.

Orans erigit se antiquis auxilii divini exemplis, et sperat, se quoque nunc liberatum iri.

Exaravit psalmum verosimile in fuga a rebelle filio Absalone, ut id latina Vulgata iuxta LXX. in inscriptione expressit.

**Psalmus 143.**

**Deus opem feret, benedicet populo suo.**

**Sonus latinae Vulgatae.**

1. Psalmus David adversus Goliath.  
Benedictus Dominus Deus meus,  
qui docet manus meas ad prælium,  
et digitos meos ad bellum.
2. Misericordia mea, et refugium meum;  
susceptor meus, et liberator meus:  
protector meus, et in ipso speravi:  
qui subdit populum meum sub me.
3. Domine, quid est homo, quia innotuisti ei?  
aut filius hominis, quia reputas eum?

**Sensus latinae Vulgatae.**

Psalmus Davidis adversum Goliathum.

**B**enedictus sit Dominus, Deus meus,  
qui instituit manus meas ad pugnam,  
et digitos meos ad bellum!

Gratia mea et refugium meum,  
patronus meus et liberator meus;  
protector meus, in quem spero,  
qui subiecit populum meum mihi!

**D**omine, quid est homo, quod notum Te facis ei;  
aut filius hominis, quod eius rationem habes!

## Sonus latinae Vulgatae.

4. Homo vanitati similis factus est:  
dies eius sicut umbra prætereunt.
5. Domine inclina cælos tuos, et descende:  
tange montes, et fumigabunt.
6. Fulgura coruscationem, et dissipabis eos:  
emitte sagittas tuas, et conturbabis eos:
7. emitte manum tuam de alto, eripe me, et libera me de aquis multis:  
de manu filiorum alienorum.
8. Quorum os locutum est vanitatem:  
et dextera eorum dextera iniquitatis.
9. Deus canticum novum cantabo tibi:  
in psalterio decachordo psallam tibi.
10. Qui das salutem regibus:  
qui redemisti David servum tuum de gladio maligno:
11. eripe me. Et erue me de manu filiorum alienorum,  
quorum os locutum est vanitatem,  
et dextera eorum, dextera iniquitatis:
12. quorum filii sicut novelæ plantationes in iuventute sua.  
Filiæ eorum compositæ:  
circumornatæ ut similitudo templi.
13. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud.  
Oves eorum fœtosæ  
abundantes in egressibus suis:

## Sensus latinae Vulgatae.

- Homo similis est halitui,  
dies eius sicut umbra prætereunt!
- Domine inclina cælos tuos et descende,  
tange montes et fumabunt!
- Emitte fulgura et dissipa eos,  
mitte sagittas Tuas et conturba eos!
- Extende manum Tuam ex alto,  
eripe me et libera me ex aquis multis, —  
e manu peregrinorum,
- quorum os loquitur — falsa,  
et quorum dextera est — dextera iniquitatis!
- D**eus, canticum novum cantabo  
Tibi,  
lyra decachorda canam Tibi,
- qui das regibus victoriam;  
qui liberasti Davidem, servum tuum,  
a gladio malo!
- E**ripe me et libera me ex manu  
peregrinorum,  
quorum os loquitur — falsa,  
et quorum dextera est — dextera iniquitatis!
- quorum filii in iuventute sua sunt  
sicut novelæ plantæ,  
filiae eorum compositæ,  
ornatæ in similitudinem templi.
- Promptuaria eorum sunt plena,  
eructantia ex hoc in illud.  
Oves eorum sunt fœtosæ  
in abundantia in pascuis eorum.

**Sonus latinae Vulgatae.**

14. boves eorum crassæ.  
Non est ruina maceriæ, neque transitus,  
neque clamor in plateis eorum.
15. Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt:  
beatus populus, cuius Dominus Deus eius.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Vaccæ eorum sunt gravidæ;  
non est ruptura in maceria, nec transitus,  
nec ululatus in plateis eorum.

Beatus dicitur populus, cui sic est;  
beatus populus, cuius Deus est — Dominus!

**Notae ad Psalmum 143.**

Auctor, argumentum et tempus. — Regius psalter — David — celebrat Deum, firmissimum præsidium suum, sine quo nihil potest homo.

Dein implorat contra dolosos hostes auxilium divinum, quo hucusque favente res populi electi prospere procedunt. —

De tempore exarationis certi quid statui nequit.

**Psalmus 144.**

**Dei maiestas, et benignitas immensa.**

**Sonus latinae Vulgatae.**

1. Laudatio ipsi David.  
Exaltabo te, Deus meus rex,  
et benedicam nomini tuo in sæculum et in sæculum sæculi.
2. Per singulos dies benedicam tibi,  
et laudabo nomen tuum in sæculum et in sæculum sæculi.
3. Magnus Dominus et laudabilis nimis,  
et magnitudinis eius non est finis.
4. Generatio et generatio laudabit opera tua,  
et potentiam tuam pronuntiabunt.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Canticum laudis; a Davide.

**E**xaltabo Te, Deus, mi rex!  
et benedicam nomini Tuo in æternum et in sæculum sæculi!

Per singulos dies benedicam Tibi,  
et laudabo nomen Tuum in æternum et in sæculum sæculi!

**M**agnus est Dominus et laudandus nimis,  
et magnitudini Eius non est terminus!

Generatio celebrat opera Tua generationi,  
et fortia facta Tua annuntiant!

**Sonus latinae Vulgatae.**

5. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur,  
et mirabilia tua narrabunt.
6. Et virtutem terribilium tuorum dicent,  
et magnitudinem tuam narrabunt.
7. Memoriam abundantiae suavitatis tuæ eructabunt,  
et iustitia tua exultabunt.
8. Miserator et misericors Dominus,  
patiens et multum misericors.
9. Suavis Dominus universis,  
et miserationes eius super omnia opera eius.
10. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua,  
et sancti tui benedicant tibi.
11. Gloriam regni tui dicent,  
et potentiam tuam loquentur:
12. ut notam faciant filiis hominum potentiam Tuam,  
et gloriam magnificentiae regni tui.
13. Regnum tuum, regnum omnium sæculorum,  
et dominatio tua in omni generatione et generationem:  
Fidelis Dominus in omnibus verbis suis,  
et sanctus in omnibus operibus suis.
14. Allevat Dominus omnes, qui corruunt,  
et erigit omnes elisos.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Magnificam gloriam sanctitatis Tuæ loquentur,  
et mirabilia opera Tua narrant!

Ut vim terribilium factorum Tuorum celebrent,  
narrabunt magnalia Tua!

**M**emoriam eximiae benignitatis Tuæ ebullient,  
et de iustitia Tua exultabunt!

Clemens et misericors est Dominus,  
longanimis et multae misericordiae!

Benignus est Dominus erga omnes,  
et misericordia Eius est erga omnia opera Eius!

**L**audant Te, Domine, omnia opera Tua,  
et pii cultores Tui benedicunt Tibi!

Gloriam regni Tui prædicant,  
et de potentia Tua loquentur!

ut notam faciant hominibus potentiam Tuam  
et magnificam gloriam regni Tui!

Regnum Tuum est regnum omnium sæculorum,  
et dominatio Tua est in omnes generationes!  
Fidelis est Dominus in omnibus verbis suis,  
et gratosus in omnibus operibus suis!

**D**ominus sustentat omnes, qui labant,  
et erigit omnes depressos!

| Sonus latinae Vulgatae.                                                                                                            | Sensus latinae Vulgatae.                                                                                                   |
|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| 15. Oculi omnium in te sperant,<br>Domine,<br>et tu das escam illorum in<br>tempore opportuno.                                     | Oculi omnium in Te sperant, Do-<br>mine,<br>et Tu das escam illorum tempore<br>suo!                                        |
| 16. Aperis tu manum tuam,<br>et imples omnes animal be-<br>nedictione.                                                             | Aperis manum Tuam,<br>et imples omne vivum benedic-<br>tione!                                                              |
| 17. Iustus Dominus in omnibus<br>viis suis,<br>et sanctus in omnibus operi-<br>bus suis.                                           | Iustus est Dominus in omnibus<br>viis suis,<br>et graciosus in omnibus operibus<br>suis.                                   |
| 18. Prope est Dominus omnibus<br>invocantibus eum:<br>omnibus invocantibus eum in<br>veritate.                                     | Prope est Dominus omnibus, qui<br>invocant Eum,<br>omnibus, qui invocant Eum sin-<br>cera mente.                           |
| 19. Voluntatem timentium se fa-<br>ciet,<br>et deprecationem eorum ex-<br>audiet et salvos faciet eos.                             | Voluntatem eorum, qui timent Eum,<br>faciet,<br>auditque deprecationem eorum et<br>salvat eos.                             |
| 20. Custodit Dominus omnes de-<br>ligentes se,<br>et omnes peccatores disperdet.                                                   | Dominus custodit omnes, qui di-<br>ligunt Eum,<br>peccatores autem omnes perdet.                                           |
| 21. Laudationem Domini loquetur<br>os meum,<br>et benedicat omnis caro no-<br>mini sancto eius in sæculum<br>et in sæculum sæculi. | Laudem Domini loquatur os meum,<br><br>omnisque caro benedicat nomini<br>sancto Eius in æternum et in sæ-<br>culum sæculi! |

### Notae ad Psalmum 144.

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — David — ce-  
lebrat hocce hymno alphabetico maiestatem et potentiam Dei, quæ  
in omnibus operibus conspicua est, —

nec non benignitatem, quam Deus hominibus et imprimis piis  
exhibet.

Tempus exarationis ignoratur.

## Psalmus 145.

**D e u s   u n i c e   —   m e   t u e t u r .****Sonus latinae Vulgatae.**

1. Alleluia Aggæi et Zachariæ.
2. Lauda, anima mea, Dominum,  
laudabo Dominum in vita mea:  
  
psallam Deo meo, quamdiu  
fuero.  
  
Nolite confidere in principi-  
bus:
3. in filiis hominum, in quibus  
non est salus.
4. Exhibet spiritus eius, et rever-  
tetur in terram suam:  
in illa die peribunt omnes  
cogitationes eorum.
5. Beatus, cuius Deus Jacob ad-  
iutor eius,  
spes eius in Domino Deo  
ipsius:
6. qui fecit cælum et terram,  
mare et omnia, quæ in eis  
sunt.
7. Qui custodit veritatem in sæ-  
culum,  
facit iudicium iniuriam pa-  
tientibus,  
dat escam esurientibus.  
Dominus solvit conpeditos;
8. Dominus illuminat cæcos.  
Dominus erigit elisos,  
Dominus diligit iustos.
9. Dominus custodit advenas;  
pupillum et viduam suscipiet,  
et vias peccatorum disperdet.
10. Regnabit Dominus in sæcula:  
Deus tuus, Sion, in generatio-  
nem et generationem.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Halleluia; Aggæi et Zachariæ.

**L**auda, anima mea, Dominum!  
Laudabo Dominum per vitam  
meam,  
fidibus canam Deo meo, quamdiu  
superstes ero.

**N**olite fiduciam collocare in  
principibus,

in hominibus, apud quos non est  
salus!

Si exit spiritus eius, revertitur in  
terram suam;  
in illa die irrita cadunt omnia  
consilia eorum.

**B**eatus, cuius adiutor est Deus  
Jacobi,  
cuius spes est in Domino Deo suo,

qui fecit cælum et terram,  
mare et omnia, quæ in eis sunt.

Qui servat fidem in æternum,  
causam agit iniuriam patientium,  
panem dat esurientibus.

**D**ominus vinculis expedit capti-  
vos,

Dominus visum restituit cæcis,  
Dominus erigit depressos,  
Dominus diligit iustos.

Dominus tuetur advenas,  
orphanum et viduam erigit,  
vias autem impiorum pervertit.

Regnabit Dominus in æternum,  
Deus tuus, o Sion, in generatio-  
nem et generationem!

**Notae ad Psalmum 145.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — ignotus — celebrat Deum, creatorem universi, qui omni tempore auxilium ferre valet et etiam auxiliatur;

e contra vana est fiducia posita in homines etiam principes, qui saltem morientes opem ferre nequeunt.

Tempus exarationis non est certum.

**Psalmus 146.**

**Deus curam gerit omnium creatorum.**

**Sonus latinae Vulgatae.**

Alleluia.

1. Laudate Dominum,  
quoniam bonus est psalmus:  
Deo nostro  
sit iucunda decoraque laudatio.
2. Aedificans Ierusalem, Domi-  
nus,  
dispersiones Israëlis congre-  
gabit.
3. Qui sanat contritos corde,  
et alligat contritiones eorum.
4. Qui numerat multitudinem stel-  
larum,  
et omnibus eis nomina vocat.
5. Magnus Dominus noster, et  
magna virtus eius,  
et sapientiæ eius non est nu-  
merus.
6. Suscipiens mansuetos Domi-  
nus:  
humilians autem peccatores  
usque ad terram.
7. Præcinite Domino in confes-  
sione:  
psallite Deo nostro in cithara.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Halleluia!

**L**audate Dominum,  
nam bonum est psallere Deo  
nostro;  
laudatio sit iucunda et decora!

Dominus est, qui Ierosolymam  
ædificat,  
dispersos Israëlis congregat;

qui sanat eos, quorum cor est  
fractum,  
et vulnera eorum obligat.

Qui determinat numerum stella-  
rum,  
easque omnes nomine vocat.

Magnus est Dominus noster, et  
magna est potentia Eius;  
et sapientiæ Eius non est men-  
sura.

Dominus erigit afflictos;

impios autem deprimit usque ad  
terram.

**R**espondete Domino gratiarum  
actione;  
canite Deo nostro cithara!



**Sonus latinae Vulgatae.**

8. Qui operit cœlum nubibus,  
et parat terræ pluviam.  
Qui producit in montibus fœ-  
num,  
et herbam servituti hominum.
9. Qui dat iumentis escam ipso-  
rum,  
et pullis corvorum invocan-  
tibus eum.
10. Non in fortitudine equi vo-  
luntatem habebit,  
nec in tibiis viri beneplacitum  
erit ei.
11. Beneplacitum est Domino su-  
per timentes eum,  
et in eis, qui sperant super  
misericordia eius.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Qui cœlum nubibus operit,  
et parat terræ pluviam;  
qui facit in montibus germinare  
gramen  
et herbas ad utilitatem hominum.

Qui dat iumentis escam ipsorum,  
et pullis corvorum, qui invocant  
Eum.

Non complacet sibi in robore equi,  
neque cruribus viri delectatur.

Dominus delectatur iis, qui timent  
Eum,  
et iis, qui sperant in gratiam Eius.

**Notae ad Psalmum 146.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — ignotus —  
excitat ad celebrandum Deum, qui omnium creatorum, præsertim  
autem populi sui electi curam gerit.

Tempus exarationis indicari nequit

**Psalmus 147.****Deus curam gerit Jerosolimae totiusque populi  
Israëlitici.****Sonus latinae Vulgatae.**

- Alleluia.
12. Landa, Ierusalem, Dominum,  
lauda Deum tuum, Sion:
13. quoniam confortavit seras por-  
tarum tuarum.  
Benedixit filiis tuis in te.
14. Qui posuit fines tuos pacem,  
et adipe frumenti satiat te.
15. Qui emittet eloquium suum  
terræ:  
velociter currit sermo eius.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Halleluiah!

**L**auda, Ierosolyma, Dominum;  
Lauda Deum Tuum, Sion!

Nam firmat vectes portarum tua-  
rum,  
fortunat filios tuos in medio tui.

Qui facit terminos tuos tranquillos,  
teque pinguedine tritici satiat.

Qui mittit iussum suum in terram:  
celeriter currit verbum Eius.

**Sonus latinae Vulgatae.**

16. Qui dat nivem sicut lanam:  
nebulam sicut cinerem spargit.
17. Mittet crystallum suam sicut  
buccelas:  
ante faciem frigoris eius quis  
sustinebit?
18. Emittet verbum suum, et li-  
quefaciet ea:  
flabit spiritus eius, et fluent  
aquæ.
19. Qui annuntiat verbum suum  
Iacob,  
iustitias et iudicia sua Israël,
20. non fecit taliter omni nationi,  
et iudicia sua non manifesta-  
vit eis.  
Alleluia.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- Qui dat nivem instar lanæ,  
nebulam instar cineris spargit.
- Qui proiicit glaciem suam instar  
frustorum;  
coram frigore Eius quis consistet?
- Mittit mandatum suum et lique-  
facit ea,  
flare facit ventum suum, et fluunt  
aquæ.
- Manifestavit voluntatem suam Ia-  
cobo,  
statuta sua et leges suas Israël.
- Non fecit sic ulli nationi,  
inde leges suas — eis non mani-  
festavit.  
Halleluiah!

**Notae ad Psalmum 147.**

Latina Vulgata dividit 147<sup>mum</sup> psalmum textus hebr. in duos psalmos, ita ut versus 1.—11. constituat in latina Vulgata psalmum 146<sup>tum</sup>, et versus 12.—20. psalmum 147<sup>mum</sup> inde hic psalmus orditur versu 12<sup>mo</sup>. — Confer dicta ad psalmum 115<sup>tum</sup>.

**Psalmus 148.**

**Laudate Dominum naturae coelestes et terrestres!**

**Sonus latinae Vulgatae.**

1. Alleluia!  
Laudate Dominum de cœlis:  
laudate eum in excelsis.
2. Laudate eum omnes Angeli  
eius:  
laudate eum omnes virtutes  
eius.
3. Laudate eum sol et luna,  
laudate eum omnes stellæ et  
lumen.

**Sensus latinae Vulgatae.**

- H**alleluiah!  
Laudate Dominum naturæ  
coelestes,  
laudate Eum in excelsis!
- Laudate Eum omnes Angeli Eius,  
laudate Eum omnes exercitus  
Eius!
- Laudate Eum sol et luna,  
laudate Eum omnes stellæ lucidæ!

**Sonus latinae Vulgatae.**

4. Laudate eum cœli cœlorum:  
et aquæ omnes, quæ super  
cœlos sunt,  
laudent nomen Domini.
  5. Quia ipse dixit, et facta sunt:  
ipse mandavit et creata sunt.
  6. Statuit ea in æternum, et in  
sæculum sæculi:  
præceptum posuit, et non præ-  
teribit.
  7. Laudate Dominum de terra  
  
dracones, et omnes abyssi.
  8. Ignis, grando, nix, glacies,  
spiritus procellarum, quæ fa-  
ciunt verbum eius.
  9. Montes et omnes colles,  
ligna fructifera et omnes cedri.
  10. Bestiæ et universa pecora,  
serpentes et volucres pennatæ.
  11. Reges terræ et omnes populi:  
principes et omnes iudices  
terræ.
  12. Juvenes et virgines:  
senes cum iunioribus  
laudent nomen Domini:
  13. quia exaltatum est nomen eius  
solius.
  14. Confessio eius super cœlum  
et terram:  
et exaltavit cornu populi sui.
- Hymnus omnibus sanctis eius:  
filiis Israël, populo appropin-  
quanti sibi.  
Alleluia.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Laudate eum cœli cœlorum,  
et aquæ omnes, quæ sunt super  
cœlis,  
laudent nomen Domini!

Nam ipse dixit et facta sunt,  
ipse mandavit et creata sunt.

Et stabilivit ea in æternum, et in  
sæculum sæculi,  
præscripsit ordinem, qui nunquam  
perit.

**L**audate Dominum naturæ terre-  
stres,  
belluæ marinæ et omnes abyssi!

Fulgur et grando, nix et glacies,  
procellæ spirantes, quæ exse-  
quuntur mandatum Eius!

Montes et omnes colles,  
arbores frugiferæ et omnes cedri!

Bestiæ et omnes pecudes,  
reptilia et volucres pennatæ!

Reges terræ et omnes populi,  
principes et omnes iudices terræ!

Juvenes et virgines,  
senes et pueri,  
laudent nomen Domini!

**N**am excelsum est nomen Eius  
solum,

maiestas Eius est super cœlum  
et terram!

Ipse etiam exaltavit cornu populi  
sui;

laudem omnium cultorum suorum,  
filiorum Israël — populi sibi  
propinqui.

Halleluia!

**Notae ad Psalmum 148.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — ignotus —  
excitat ad laudem Dei creaturas cœlestes, dein terrestres, im-  
primis homines omnis generis et ætatis ob novum beneficium populo  
electo collatum. —

Tempus exarationis ignoratur.

## Psalmus 149.

**Laudate Dominum, qui agitis causam veritatis!****Sonus latinae Vulgatae.**

Alleluia.

1. Canite Domino canticum novum:  
laus eius in ecclesia sanctorum.
  2. Lætetur Israël in eo, qui fecit eum:  
et filii Sion exultent in rege suo.
  3. Laudent nomen eius in choro,  
in tympano et psalterio psallant ei:
  4. quia beneplacitum est Domino in populo suo:  
et exaltabit mansuetos in salutem.
  5. Exultabunt sancti in gloria:  
lætabuntur in cubilibus suis.
  6. Exaltationes Dei in gutture eorum,  
et gladii ancipites in manibus eorum:
  7. Ad faciendam vindictam in nationibus:  
increpationes in populis.
  8. Ad alligandos reges eorum in compedibus,  
et nobiles eorum in manicis ferreis,
  9. ut faciant in eis iudicium conscriptum:  
gloria hæc est omnibus sanctis eius.
- Alleluia.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Halleluia!

Canite Domino canticum novum,  
laus Eius resonet in cœtu piorum cultorum!

Lætetur Israël de creatore suo,  
et filii Sionis iubilent de rege suo!

Laudent nomen Eius chorea;  
tympano et cithara canant Ei!

Nam Dominus delectatur populo suo,  
et afflictos auxilio suo exaltat.

Exultent pii cultores de gloria;  
læti cantent in cubilibus suis!

Laudes Dei sint in gutture eorum,  
et gladii utrimque acuti in manibus eorum!

ut repetant ultionem a gentibus,

pœnas a populis;  
ut compedibus ligent reges illorum,  
et nobiles eorum manicis ferreis;

— ut exsequantur in eis legem scriptam.

Hoc erit honori omnibus cultoribus Eius.

Halleluia!

**Notae ad Psalmum 149.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — ignotus — celebrat hocce hymno Jehovam pro singulari beneficio cultoribus suis collato. —

De tempore exarationis certi quid statui nequit.

## Psalmus 150.

**L a u d a t e D o m i n u m !****Sonus latinae Vulgatae.**

Alleluia.

1. Laudate Dominum in sanctis eius:

laudate eum in firmamento virtutis eius.

2. Laudate eum in virtutibus eius:

laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius.

3. Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in psalterio et cithara.

4. Laudate eum in tympano et choro: laudate eum in chordis et organo.

5. Laudate eum in cymbalis benesonantibus: laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis spiritus laudet Dominum. Alleluia.

**Sensus latinae Vulgatae.**

Halleluia!

Laudate Dominum in sanctuario Eius:

laudate Eum in magnifico firmamento Eius!

Laudate Eum propter potentissima facta Eius;

laudate Eum secundum amplitudinem magnitudinis Eius!

Celebrate Eum clangore tubæ; celebrate Eum lyra et cithara!

Celebrate Eum tympano et choro; celebrate Eum fidibus et fistula!

Celebrate Eum cymbalis canoris;

celebrate Eum cymbalis iubilationis!

Omnis anima laudet Dominum! Halleluia!

**Notae ad Psalmum 150.**

Auctor, argumentum et tempus. — Vates sacer — ignotus — excitat ad laudes Deo canendas musicis instrumentis omnis generis. —

Tempus exarationis ignoratur.



# INDEX.

Principale argumentum, respective usus practicus, psalmorum.



| Numerus                                                                    | Pag. |
|----------------------------------------------------------------------------|------|
| 1. Diversa sors iustorum et impiorum .                                     | 17   |
| 2. Contra Deum Deique Filium frustra consurgit mundus                      | 18   |
| 3. Oratio matutina hominis, qui patitur persecutionem                      | 19   |
| 4. Oratio vespertina hominis in angustiis constituti                       | 20   |
| 5. Oratio matutina in via ad templum Domini                                | 21   |
| 6. Miserere mei, Domine! (I. pœnitentialis)                                | 23   |
| 7. O Domine, adiuva me contra calumniatores et ingratos!                   | 25   |
| 8. Gloria Dei manifestatur in cœlo et in terra                             | 27   |
| 9. f Gratiarum actio et supplicatio                                        | 28   |
| 9. <sup>2</sup> \ Domine, tuere me contra impios raptores et insidiatores! | 30   |
| 10. In diebus tribulationis confide Domino!                                | 32   |
| 11. Oratio iusti grassante corruptione morali                              | 33   |
| 12. Exaudi me, Domine!                                                     | 35   |
| 13. Mundus malus                                                           | 36   |
| 14. Justus salvabitur in æternum                                           | 37   |
| 15. Deus optima pars hereditatis meæ                                       | 38   |
| 16. Domino confidit iustus persecutionem patiens                           | 40   |
| 17. Gratiarum actio pro victoria veritati concessa                         | 42   |
| 18. Gloriam Dei prædicat mundus visibilis et spiritualis                   | 46   |
| 19. Oratio pro rege tempore belli                                          | 48   |
| 20. Gratiarum actio pro auxilio regi præstito                              | 49   |
| 21. Consumatum est                                                         | 51   |
| 22. Pastor bonus                                                           | 54   |
| 23. Parati exspectate adventum Domini gloriosum!                           | 55   |
| 24. Domine, miserere mei!                                                  | 57   |
| 25. Cor purum desiderat frequentare templum Domini                         | 59   |
| 26. Qui Deo confidit, nulla re perturbatur                                 | 61   |
| 27. Adiuva me, Domine!                                                     | 63   |
| 28. Dei potentiam et maiestatem ostendunt tonitrua                         | 64   |
| 29. Gratiarum actio pro liberatione ex periculo letali                     | 66   |
| 30. Oratio pii summis in angustiis versantis .                             | 67   |
| 31. Confitearis peccata tua Domino! — remittentur tibi (II. pœnitentialis) | 70   |
| 32. Laudate Dominum; Ipse est omnipotens et benignissimus!                 | 72   |
| 33. Gratiarum actio pro tutela divina. Salutaria monita                    | 74   |
| 34. O Domine! tuere ius meum contra ingratos!                              | 76   |

| Numerus                                                              | Pag. |
|----------------------------------------------------------------------|------|
| 35. Solatium iusti                                                   | 79   |
| 36. Improbi peribunt, — iustos Deus non derelinquet                  | 81   |
| 37. Domine, remitte mihi pœnas promeritas (III. pœnitentialis)       | 85   |
| 38. Exaudi me, Domine!                                               | 87   |
| 39. Gratiarum actio et supplicatio cultoris Domini                   | 89   |
| 40. Beati misericordes                                               | 92   |
| 41. Fervens desiderium visitandi templum Domini                      | 94   |
| 42. Fervens desiderium accedendi ad altare Dei                       | 96   |
| 43. O Domine, miserere populi Tui!                                   | 97   |
| 44. Epithalamium in regis honorem                                    | 100  |
| 45. Deus tuetur Sionem                                               | 102  |
| 46. Deus est rex totius terræ                                        | 103  |
| 47. Sion est inexpugnabilis                                          | 104  |
| 48. Gloria et potentia improborum ne turbet tranquillum animum iusti | 106  |
| 49. Verus Deum colendi modus                                         | 108  |
| 50. Miserere mei, o Deus! (IV pœnitentialis)                         | 111  |
| 51. Lingua dolosa pœnam non effugiet                                 | 113  |
| 52. Mundus malus                                                     | 114  |
| 53. Oratio persecutionem patientis                                   | 115  |
| 54. Oratio proditi ab amico                                          | 116  |
| 55. Consolatio fugientis                                             | 119  |
| 56. Preces vespertinæ in deserto                                     | 121  |
| 57. Deus inopinate puniet iniustos rectores                          | 122  |
| 58. Oratio persecutionem immerito patientis                          | 124  |
| 59. Aduva nos, o Deus!                                               | 126  |
| 60. O Deus, exaudi regem!                                            | 127  |
| 61. Soli Deo confide!                                                | 128  |
| 62. Oratio matutina persecutionem patientis in deserto inaquoso      | 130  |
| 63. O Deus, tuere me contra maleficos!                               | 131  |
| 64. Gratiarum actio pro benedictione divina                          | 133  |
| 65. Gratiarum actio                                                  | 134  |
| 66. Gratiarum actio pro benedictione divina                          | 137  |
| 67. Hymnus in honorem victoris                                       | 138  |
| 68. Vociferatio pii cultoris Domini                                  | 142  |
| 69. Domine ad auxilium meum festina!                                 | 146  |
| 70. O Domine, ne deseras me in senecta mea!                          | 147  |
| 71. O Domine, fac, ut felix sit regimen regis!                       | 149  |
| 72. Impii peribunt, iusti autem beati erunt in æternum               | 152  |
| 73. O Domine, templum Tuum profanatur, populus Tuus opprimitur!      | 155  |
| 74. Deus puniet tempore suo impios                                   | 157  |
| 75. Celebremus Dominum; castigavit enim impios!                      | 159  |
| 76. Consolatio ægroti et afflicti                                    | 160  |
| 77. Historia antiqua est salutaris admonitio                         | 162  |
| 78. O Domine, miserere populi Tui nimis afflicti!                    | 169  |
| 79. O Domine, conserva vitem, quam plantavit dextera Tua!            | 171  |
| 80. Ad celebrationem festi Paschalis                                 | 173  |
| 81. Iudices iniustos Deus puniet                                     | 175  |
| 82. Aduva nos, o Deus, contra confœderatos hostes nostros!           | 176  |
| 83. Desiderio templi Domini tabescit cor peregrinantis pii           | 178  |

| Numerus                                                                   | Pag. |
|---------------------------------------------------------------------------|------|
| 84. Dominus nos iterum vitæ restituet                                     | 179  |
| 85. Domine, consolare pium Tui cultorem!                                  | 181  |
| 86. Hierosolymis renascentur omnes populi                                 | 183  |
| 87. Oratio graviter afflicti                                              | 184  |
| 88. O Domine, restaura thronum Davidis gloriosum!                         | 186  |
| 89. Cito transit vita nostra!                                             | 191  |
| 90. Deus est tutissimum refugium nostrum                                  | 193  |
| 91. Dominus — rex iustus                                                  | 195  |
| 92. Deus est rex altissimus                                               | 197  |
| 93. Iniustos iudices perdet Deus                                          | 198  |
| 94. Laudate Dominum! Obedite voci Eius!                                   | 200  |
| 95. Appropinquat gloria Dei                                               | 202  |
| 96. Regnum Dei supprimet omnem idololatriam                               | 204  |
| 97. Dominus venit! Laudate eum!                                           | 205  |
| 98. Sanctus, Sanctus, Sanctus est Dominus                                 | 206  |
| 99. Adorate Dominum omnes terræ!                                          | 208  |
| 100. Proposita regis pii                                                  | 208  |
| 101. Domine, miserere mei! marcesco enim sicut gramen! (V. pœnitentialis) | 210  |
| 102. Laudate Dominum maxime misericordem!                                 | 213  |
| 103. Hymnus in honorem Creatoris et conservatoris omnium                  | 215  |
| 104. Hymnus in gratiarum actionem pro mirabilibus beneficiis              | 219  |
| 105. Dominus fidem servabit populo suo ingrato                            | 223  |
| 106. Gratiarum actio pro miraculoso Jehovæ auxilio                        | 228  |
| 107. Exaudi me, Domine!                                                   | 232  |
| 108. Impium feriet maledictio                                             | 233  |
| 109. Victoria regis Messiaë et sacerdotium Eius                           | 236  |
| 110. Laudemus Dominum!                                                    | 238  |
| 111. Beatus, qui timet Dominum!                                           | 239  |
| 112. Laudate Dominum!                                                     | 240  |
| 113. { Gloria Dei in exitu Israël ex Aegypto (v. 1.—8)                    | 241  |
| \ Domine, Deus vive, age causam honoris Tui! (v. 1.—18.)                  | 242  |
| 114. Quomodo rependam Domino beneficia Eius in me?                        | 244  |
| 115. Fides salvavit me; inde publice gratias agam Domino debitas          | 245  |
| 116. Dominum adorate omnes populi!                                        | 246  |
| 117. In dedicatione templi                                                | 246  |
| 118. Tuus sum, Domine, serva me!                                          | 249  |
| 119. Domine, libera me a vicinis rixosis!                                 | 265  |
| 120. Dominus nos tuetur                                                   | 266  |
| 121. Rogate pacem Jerosolimæ, loco peregrinationis nostræ!                | 267  |
| 122. O Deus, averte a nobis irrisiōem et contemptum!                      | 268  |
| 123. Dominus nos liberavit                                                | 268  |
| 124. Dominus est arx iustorum                                             | 269  |
| 125. Post lacrimas — exultatio                                            | 270  |
| 126. Nil proficiunt hominum labores nisi Deo iuvante                      | 271  |
| 127. Pio cultori suo benedicit Dominus                                    | 272  |
| 128. Hostes Sionis peribunt                                               | 273  |
| 129. Apud Dominum est misericordia (VI. pœnitentialis)                    | 274  |
| 130. Cor humile et Deo addictum                                           | 275  |
| 131. Thronus Davidis manet in æternum                                     | 276  |



| Numerus                                                       | Pag. |
|---------------------------------------------------------------|------|
| 132. Salutares effectus misericordiæ                          | 278  |
| 133. In egressu ex sanctuario                                 | 279  |
| 134. Laudate Dominum!                                         | 279  |
| 135. Laudate Dominum, nam in æternum manet gratia Eius!       | 281  |
| 136. Non obliviscar tui, o Jerosolyma!                        | 284  |
| 137. Gratias ago Tibi, Domine!                                | 285  |
| 138. Adoro Te, o Deus omnipotens et immense!                  | 287  |
| 139. O Domine, serva me ab hostibus dolosis et violentis!     | 289  |
| 140. Oratio assidua vincet malitiam adversariorum             | 291  |
| 141. Non est mihi amicus præter Te, o Deus!                   | 292  |
| 142. Domine, vivifica me! (VII. pœnitentialis)                | 293  |
| 143. Deus opem feret, benedicet populo suo                    | 295  |
| 144. Dei maiestas et immensa benignitas                       | 297  |
| 145. Deus unice — me tuetur                                   | 300  |
| 146. Deus curam gerit omnium creatorum                        | 301  |
| 147. Deus curam gerit Jerosolimæ totiusque populi Israëlitici | 302  |
| 148. Laudate Dominum naturæ cœlestes et terrestres!           | 303  |
| 149. Laudate Dominum, qui agitis causam veritatis!            | 305  |
| 150. Laudate Dominum!                                         | 306  |



## EXORDIUM PSALMORUM

latinae Vulgatae ordine alphabetico.

|                               | Num. | Pag. |                                    | Num. | Pag. |
|-------------------------------|------|------|------------------------------------|------|------|
| <b>A.</b>                     |      |      | <b>Benedixisti, Domine, terram</b> | 84   | 179  |
| Ad Dominum, cum tribularer    | 119  | 265  | <b>Benedictus Dominus Deus</b>     |      |      |
| Ad te, Domine, levavi         | 24   | 57   | <b>meus</b>                        | 143  | 295  |
| Ad te, Domine, clamabo        | 27   | 63   | <b>Benedicam Dominum</b>           | 83   | 74   |
| Ad te levavi oculos meos      | 122  | 268  | <b>Bonum est confiteri Domino</b>  | 91   | 195  |
| Afferte Domino filii Dei      | 28   | 64   |                                    |      |      |
| Attendite popule meus         | 77   | 162  | <b>C.</b>                          |      |      |
| Audite hæc omnes gentes       | 48   | 106  | <b>Cantate Domino canticum no-</b> |      |      |
|                               |      |      | <b>vum, cantate</b>                | 95   | 202  |
| <b>B.</b>                     |      |      | <b>Cantate Domino canticum no-</b> |      |      |
| Beati immaculati in via       | 118  | 249  | <b>vum, quia mirabilia fecit</b>   | 97   | 205  |
| Beati omnes, qui timent       | 127  | 272  | <b>Cantate Domino canticum no-</b> |      |      |
| Beati, quorum remissæ sunt    | 31   | 70   | <b>vum: laus Eius in ecclesia</b>  |      |      |
| Beatus vir, qui non abiit     | 1    | 17   | <b>sanctorum</b>                   | 149  | 305  |
| Beatus, qui intelligit super  | 40   | 92   | <b>Cœli enarrant gloriam Dei</b>   | 18   | 46   |
| Beatus vir, qui timet Dominum | 111  | 239  | <b>Confitebimur Tibi</b>           | 74   | 157  |
| Benedic anima mea             | 102  | 213  | <b>Confitebor Tibi, Domine</b>     | 9    | 28   |
| Benedic anima mea Domino      | 103  | 215  |                                    |      |      |

|                                                                   | Num. | Pag. |
|-------------------------------------------------------------------|------|------|
| Confitebor Tibi, Domine, in<br>toto corde meo: in concilio        | 110  | 238  |
| Confitebor Tibi, Domine, in<br>toto corde meo: quoniam<br>audisti | 137  | 285  |
| Confitemini Domino et invo-<br>cate                               | 104  | 219  |
| Confitemini Domino, quoniam<br>(v. 2. quis loquetur potentias)    | 105  | 223  |
| Confitemini Domino, quoniam<br>(v. 2. dicant, qui redempti)       | 106  | 228  |
| Confitemini Domino, quoniam<br>(v. 2. dicat nunc Israël)          | 117  | 246  |
| Confitemini Domino, quoniam<br>in æternum                         | 135  | 281  |
| Conserva me, Domine                                               | 15   | 38   |
| Credidi, propter quod locutus                                     | 115  | 245  |
| Cum invocarem                                                     | 4    | 20   |

## D.

|                                       |     |     |
|---------------------------------------|-----|-----|
| De profundis clamavi                  | 129 | 274 |
| Deus, auribus nostris                 | 43  | 97  |
| Deus Deorum Dominus                   | 49  | 108 |
| Deus, Deus meus, respice              | 21  | 51  |
| Deus, Deus meus, ad Te                | 62  | 130 |
| Deus, in nomine Tuo                   | 53  | 115 |
| Deus in adiutorium                    | 69  | 146 |
| Deus iudicium Tuum regi da            | 71  | 149 |
| Deus laudem meam ne                   | 108 | 233 |
| Deus misereatur nostri                | 66  | 137 |
| Deus noster refugium                  | 45  | 102 |
| Deus, quis similis                    | 82  | 176 |
| Deus repulisti nos                    | 59  | 126 |
| Deus stetit in synagoga               | 81  | 175 |
| Deus venerunt gentes                  | 78  | 169 |
| Deus ultionum Dominus                 | 93  | 198 |
| Dilexi, quoniam exaudiet Do-<br>minus | 114 | 244 |
| Diligam te, Domine                    | 17  | 42  |
| Dixi custodiam vias meas              | 38  | 87  |
| Dixit Dominus Domino meo              | 109 | 236 |
| Dixit iniustus, ut delinquat          | 35  | 79  |
| Dixit insipiens in corde suo          | 13  | 36  |
| Dixit insipiens in corde              | 52  | 114 |
| Domine clamavi ad Te                  | 140 | 291 |
| Domine Deus meus in Te spe-<br>ravi   | 7   | 25  |

|                                            | Num. | Pag. |
|--------------------------------------------|------|------|
| Domine Deus salutis meæ                    | 87   | 184  |
| Domine, Dominus noster                     | 8    | 27   |
| Domine, exaudi orationem<br>meam et clamor | 101  | 210  |
| Domine, exaudi orationem<br>meam, auribus  | 142  | 293  |
| Domine, in virtute tua                     | 20   | 49   |
| Domine, ne in furore tuo ar-<br>guas me!   | 6    | 23   |
| Domine, ne in furore                       | 37   | 85   |
| Domine, non est exaltatum                  | 130  | 275  |
| Domine, probasti me                        | 138  | 287  |
| Domine, quid multiplicati                  | 3    | 19   |
| Domine, quis habitabit                     | 14   | 37   |
| Domine, refugium factus es                 | 89   | 191  |
| Domini est terra, et plenitudo             | 23   | 55   |
| Dominus illuminatio mea                    | 26   | 61   |
| Dominus regit me et nihil                  | 22   | 54   |
| Dominus regnavit, decorem                  | 92   | 197  |
| Dominus regnavit, exultet                  | 96   | 204  |
| Dominus regnavit, irascantur               | 98   | 206  |

## E.

|                                                   |     |     |
|---------------------------------------------------|-----|-----|
| Ecce nunc benedicite Dominum                      | 133 | 279 |
| Ecce quam bonum                                   | 132 | 278 |
| Eripe me de inimicis meis                         | 58  | 124 |
| Eripe me, Domine, ab                              | 139 | 289 |
| Eructavit cor meum verbum                         | 44  | 100 |
| Exaltabo te, Domine                               | 29  | 66  |
| Exaltabo te, Deus meus rex                        | 144 | 297 |
| Exaudiat te, Dominus in die                       | 19  | 48  |
| Exaudi, Deus, deprecationem                       | 60  | 127 |
| Exaudi, Deus, orationem meam,<br>et ne despexeris | 54  | 116 |
| Exaudi, Deus, orationem meam,<br>cum deprecor     | 63  | 131 |
| Exaudi, Domine, iustitiam<br>meam                 | 16  | 40  |
| Expectans expectavi Dominum                       | 39  | 89  |
| Exultate Deo adiutori nostro                      | 80  | 173 |
| Exultate iusti in Domino                          | 32  | 72  |
| Exsurget Deus, et dissipentur                     | 67  | 138 |

## F.

|                             |    |     |
|-----------------------------|----|-----|
| Fundamenta eius in montibus | 86 | 183 |
|-----------------------------|----|-----|

| I.                                 | Num. | Pag. |
|------------------------------------|------|------|
| In convertendo Dominus             | 125  | 270  |
| Inclina, Domine, aurem Tuam        | 85   | 181  |
| In Domino confido                  | 10   | 32   |
| In exitu Israël de Aegypto         | 113  | 241  |
| In Te, Domine, speravi, libera me  | 30   | 67   |
| In Te, Domine, speravi et eripe me | 70   | 147  |
| Iubilare Deo omnis terra, psalmum  | 65   | 134  |
| Iubilare Deo omnis terra, servite  | 99   | 208  |
| Iudica, Domine, nocentes           | 34   | 76   |
| Iudica me, Deus, et discerne       | 42   | 96   |
| Iudica me, Domine, quoniam ego     | 25   | 59   |

## L.

|                            |     |     |
|----------------------------|-----|-----|
| Lætatus sum in his, quæ    | 121 | 267 |
| Lauda anima mea Dominum    | 145 | 300 |
| Lauda Jerusalem Dominum    | 147 | 302 |
| Laudate Dominum de cœlis   | 148 | 303 |
| Laudate Dominum in sanctis | 150 | 306 |
| Laudate Dominum omnes      | 116 | 246 |
| Laudate Dominum, quoniam   | 146 | 301 |
| Laudate nomen Domini       | 134 | 279 |
| Laudate pueri Dominum      | 112 | 240 |
| Levavi oculos              | 120 | 266 |

## M.

|                               |     |     |
|-------------------------------|-----|-----|
| Magnus Dominus, et laudabilis | 47  | 104 |
| Memento, Domine, David        | 131 | 276 |
| Misericordiam et iudicium     | 100 | 208 |
| Misericordiam Domini in       | 88  | 186 |
| Miserere mei, Deus, secundum  | 50  | 111 |

## N.

|                               |     |     |
|-------------------------------|-----|-----|
| Nisi Dominus ædificaverit     | 126 | 271 |
| Nisi quia Dominus erat        | 123 | 268 |
| Noli æmulari in malignantibus | 36  | 81  |
| Nonne Deo subiecta erit       | 61  | 128 |
| Notus in Judæa Deus           | 75  | 159 |

## O.

|                               | Num. | Pag. |
|-------------------------------|------|------|
| Omnes gentes plaudite manibus | 46   | 103  |

## P.

|                  |     |     |
|------------------|-----|-----|
| Paratum cor meum | 107 | 232 |
|------------------|-----|-----|

## Q.

|                              |     |     |
|------------------------------|-----|-----|
| Quare fremuerunt gentes      | 2   | 18  |
| Quam bonus Israël Deus       | 72  | 152 |
| Quam dilecta tabernacula     | 83  | 178 |
| Quemadmodum desiderat cervus | 41  | 94  |
| Qui confidunt in Domino      | 124 | 269 |
| Quid gloriaris in malitia    | 51  | 113 |
| Qui habitat in adiutorio     | 90  | 193 |
| Qui regis Israël             | 79  | 171 |

## S.

|                                         |     |     |
|-----------------------------------------|-----|-----|
| Salvum me fac, Deus, quoniam defecit    | 11  | 33  |
| Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt | 68  | 142 |
| Sæpe expugnaverunt                      | 128 | 273 |
| Si vere utique iustitiam                | 57  | 122 |
| Super flumina Babylonis                 | 136 | 284 |

## T.

|                       |    |     |
|-----------------------|----|-----|
| Te decet hymnus, Deus | 64 | 133 |
|-----------------------|----|-----|

## U. V.

|                                                  |     |     |
|--------------------------------------------------|-----|-----|
| Usquequo Domine oblivisceris                     | 12  | 35  |
| Ut quid, Deus, repulisti in finem                | 73  | 155 |
| Ut quid, Domine, recessisti                      | 92  | 30  |
| Venite exultemus Domino                          | 94  | 200 |
| Verba mea auribus percipe                        | 5   | 21  |
| Voce mea ad Dominum clamavi; voce mea ad Deum    | 76  | 160 |
| Voce mea ad Dominum clamavi; voce mea ad Dominum | 141 | 292 |